IVLII PACII
A BERIGA I.C.

OECONOMIA IVRIS VTRIVSQVE,

TAM CIVILIS, QVAM CANONICI, PERSPICVIS TABVLIS AD MEMORIAM IVVANDAM repræſentata, & annotationibus illuſtrata.

TITVLORVM VTRIVSQVE IVRIS INDICES TRES.

I. Ordine librorum, & materiarum, adiecta locorum ſimilium collatione.
II. Ordine literarum.
III. Per locos communes.

TABVLÆ IN INSTITVTIONES IMPERIALES, cum quarumdam tabularum appendice.

COMMENTARII IN TITVLOS DIGESTORVM, ET CODICIS, de Pactis, & de Transactionibus: & in Titulum C. de errore calculi.

AD ILLVSTRISSIMVM GALLIÆ ET NAVARRÆ CANCELLARIVM, & Equitem, D. NICOL. BRVLARTVM, Dominum de Sileri, Vicecomitem de Puyſieux, &c.







LVGDVNI,

Sumptibus Viduæ Antonij de Harſy.

Ad inſigne Scuti Colonienſis.

M. DCXVI.

Cum Priuilegio Chriſtianiſſimi Galliarum Regis, ad decennium.

Petri Franciſci Paſſerini Conſiliarij à Latere Sereniſs. Ducis P. & P.



ILLVSTRISSIMO, ET AMPLISSIMO VIRO, DOM. DOMINO NICOLAO BRVLARTO, EQVITI, DOM. DE SILERI, VICECOMITI DE PVYSIEVX, &c. FRANCIÆ ET Nauarræ Cancellario. S. P.



Quemadmodum cytharœdi melodiam audientibus gratam & iucundam parantes, non erumpunt illicò in eas cantiones, quibus adstantes oblectare cupiunt, sed præcentionibus & prolusionibus quibusdam tentant, & exquirunt chordarum sonum, quo appareat, an sint, vt oportet, fides intensæ, atque inter se affectæ: ita mihi hoc tempore faciendum existimaui, Cancellari Illustrissime, ac literatorum Mæcenas. Cùm enim de iure opus, quàm optimum possem, sub tuo præstantissimo nomine, tuisque auspiciis in lucem edere decreuerim; non vt obligationi, qua sum humanitati tuæ deuinctus, vlla ratione satisfaciam, (nam id fieri nullo modo potest) sed potiùs vt debiti magnitudinem non dissimulans, me non esse soluendo, ac perpetuo debiturum liberè profitear: non sum ausus sine præfatione, & quasi illotis (vt ita dicam) manibus id aggredi: sed priùs quibusdam in vtrumque ius quasi teretismatis, quas tabulas & indices vocant, viam mihi quodammodò ad altiora sternere, tum in his quoque aliquid experiri constitui, nonnullos Pandectarum & Codicis titulos, non minus vtiles, quàm obscuros, perspicua explanatione illustrans. Hæc in præsentia ad T. D. transmitto, Patrone optimè merite, tanquam meæ in Te obseruantiæ symbola, & debitorum obsequiorum arras. Vt enim magnus ille Patriarcha, fratris sui gratiam captans, varia munera per diuersos nuncios diuersis temporibus obtulit: sic ego,

——————*si parua licet componere magnis,*

tuam beneuolentiam, quam tua liberalitate sum consecutus, obsequio meo retinere, &, si fieri potest, augere desiderans, nec vnum opus, nec vnum tempus elegi, veritùs, ne ex tanti viri,

Qui tot sustineat, & tanta negotia regni,

memoria facilè effluam, nisi repetitis officiis eam mihi vtcumque conseruem. Non enim æquè tuum est de mea tenuitate cogitare, vt meum est tuas heroïcas virtutes admirari, prædicare, celebrare. Quis enim maiori

fide, sedulitate, prudentia; quis diuturniori tempore; quis maiori felicitate; quis in maiori temporum vicissitudine; quis in grauioribus negotiis, Regibus Christianissimis operam nauauit? HENRICO (inquam) tertio, piæ & beatissimæ memoriæ; HENRICO quarto, huius regni instauratori; cui publico consensu MAGNI cognomen, Alexandri, Pompeij, Caroli exemplo tributum, eius virtutes & facta regia non æquat; MARIÆ MEDICEÆ Reginæ Serenissimæ, regni habenas feliciter regenti; denique LVDOVICO decimo tertio, nunc clementer regnanti, ὡς σὺν Θεῷ ad Nestorios annos regnaturo, de quo tantùm hoc dicam,

Innumeris magni HENRICI *de illustribus actis*
Nullum maius opus, quàm quòd pater extitit huius.

Tu namque sacratissimo tantorum Regum iudicio, præ ceteris ad maximas functiones electus, in legationibus, quas ad summum Pontificem, ad Germanos, ad Heluetios missus, feliciter obiisti; in fœdere cum Rege Catholico feriendo, & cum fortissima Heluetiorum gente renouando; necnon in grauissimo discrimine vitando, Mauortiique ducis insidiis à sacro capite depellendis talem Te præbuisti, vt ingratissima futura sit Gallia, nisi tuam memoriam summis ac perpetuis encomiis extollar. Sed quò me tuarum laudum fulgor rapit? quæ fines epistolæ longè superant, & prolixum historiæ volumen implere possunt. Redeo ad mea qualiacumque de Iure opera, quæ Tuo Nobilissimo & Amplissimo Nomini do, dico, consecro; & vt hilari fronte suscipias, etiam atque etiam supplex peto, rogo, atque obsecro. Sic DEVS Optimus Maximus Te Inuictissimo Regi, & huic sub Regia eius auctoritate florentissimo regno quàm diutissimè beatum, & omnibus bonis affluentem conseruet. Monspelij, kal. Martiis, CIↃ. IↃCXV.

Illustrissimæ Tuæ Amplitudini

Addictissimus,

IVL. PACIVS.



Candido Lectori S.

ANte annos ſeptem & viginti Synopſim Iuris ciuilis edidi, totus in id incumbens, vt Iuris ideam Iuſtinianico ordine ſtudioſis proponerem, qua inſtructi generalem quamdam iuris cognitionem poſſent animo concipere, ac titulos omnes in promptu habere. Sed, vt ſunt δευτέραι φροντίδες σοφώτεραι, longo pòſt tẽpore, cùm Iſagogem in vtrumque Ius conſcriberem, multa correxi & emendaui. Tandem ea Synopſi ſepoſita ac reiecta, nouum opus perfeci, quò non ſolùm Ius Cæſareum, ſed Pontificium quoque ſum complexus, nouámque epigraphen ei præpoſui, Oeconomiam vtriuſque Iuris appellans. Tres inſuper rubricarum indices diuerſis ordinibus deſcriptos, & perſpicuas tabulas in Inſtitutiones Imperiales cum paucis aliis quibuſdam tabulis adieci. Si quis igitur noſtra doctrina ac methodo delectatur, præſertim ſi tabulis delineandis, aut ſaltem euoluendis eſt exercitatus: (cuius ſtudij tanta eſt vtilitas, vt memoriam maximè contineat, & ab omni confuſione, ac præceptorum perturbatione mentem liberet) is hanc Oeconomiam, cæteráque adiuncta perlegat, facturus (polliceor) operæ pretium. Hoc tibi, Lector beneuole, omni aſſeueratione confirmo, ſi veteri illa Synopſi, quam tenebris & obliuioni addico, in poſterum relicta, hanc Oeconomiam in manus ſumpſeris, te talem permutationem facturum, qualem Diomedes, ſi Homero credimus, olim cum Glauco contraxit. Vale.

PRIVILEGE DV ROY.

LOVYS par la grace de Dieu Roy de France & de Nauarre. A nos amez & feaux Conseilliers, les gens tenants nos Cours de Parlemens de Paris, Tholose, Roüen, Bourdeaux, Dijon, Aix, Grenoble & Bretaigne, Baillifs, Preuosts & Seneschaux desdicts lieux : Lyon, Poitiers, Orleans, Bourges, Champagne, & à tous nos Officiers, Iusticiers & subiects qu'il appartiendra, Salut. Nostre bien amé Iulius Pacius, nostre Conseiller, & premier Professeur en Droict en l'Vniuersité de Mompelier, Nous a fait remonstrer qu'il auoit trauaillé depuis vn long temps à faire & composer quelques liures tant en Droict qu'en Philosophie, desquels il auroit fait imprimer plusieurs volumes pour essayer de seruir & proffiter au public, intitulez. *Corpus iuris recognitum nouis paragraphorum distinctionibus, & Argumentis, notisque perpetuis illustratum. Commentarius in L. fratres à fratre.* D. *de conditione indebiti. Institutiones Iuris recognita paragraphorum distinctionibus, argumentis nouis, graduum descriptionibus, notis perpetuis: ac tabula Sinopsica illustrata. Iuris Ciuilis initia & progressus, recogniti, & argumentis, ac notis aucti. Tituli tractatusque Iuris Ciuilis recogniti, & argumentis, ac notis illustrati. Enantiophanon seu Legum Conciliatarum centuria septem ad nouam Imp. Friderici constitutionem de studiosorum priuilegiis commentarius. Cōmentarius ad Papinianum de fructibus inter virum & mulierem soluto matrimonio diuidendis. Iuris quo vtimur epitome. De rebus creditis commentarius ad librum quartum Codicis. Sinopsis Iuris ciuilis. Institutionum Iuris Ciuilis Analysis. Institutionum Iuris Ciuilis epitome. Isagogicorum in Digesta libri 50. In Codicem libri 12. in Decretales libri 5. Methodicorum in Codicem libri tres. De Contractibus tractatus sex. Commentarius in lege transigere. C. de transactionibus. Aristotelis Organon Græcè & Latinè Iulius Pacius recensuit, atque ex libris tum editis, tum manuscriptis emendauit, è Græca in Latinam linguam conuertit, tractatuum capitum, particularium distinctionibus argumentisque, necnon perpetuis notis illustrauit. In Aristotelis organum Commentarius. Aristotelis naturalis auscultationis libri octo, Iul. Pacio interprete. Eiusdem in eosdem libros commentarius Aristotelis de Anima libri tres græcè & latinè. Iul. Pacio interprete. Eiusdem in eosdem libros Commentarius. Doctrina peripathetica tomi tres: primus Logicus, secundus Physicus, tertius Politicus. Institutiones logicæ. Logicæ Rudimenta, &c.* Et d'autant que lesdicts liures ont esté approuuez & sont encores tous les iours recherchez de ceux qui font profession desdites sciences, tant à cause des matieres dont ils traictent, que de la briefue & facile methode de l'exposant, dont chacun peut tirer vne grande erudition : Il desireroit volontiers, reuoir, corriger & augmenter lesdicts liures, & iceux auec tous ceux qu'il peut auoir faits depuis & pourra faire cy apres en suitte des premiers, faire imprimer luy mesme le plus correctement qu'il luy sera possible, & par tel Imprimeur que bon luy semblera : Ce qu'il craint ne pouuoir faire sans auoir sur ce nos Lettres de Permission. A ces causes inclinant liberalement à la supplication dudit Pacius, pour la grande & singuliere recommendation de sa Doctrine, & pour luy donner plus de subiect de continuer la loüable intention qu'il a de seruir au public, à quoy il trauaille soigneusement & continuellement, NOVS luy auons de grace speciale, pleine puissance & authorité royalle, donné & octroyé, donnons & octroyons par ces presentes, congé & permission de faire imprimer luy mesmes par tel Imprimeur & en tel volume, marge & caracteres que bon luy semblera, tous les liures susdits, ensemble ceux qu'il pourra faire cy apres en suitte & consequence d'iceux, & generalement toutes ses Oeuures, tant en Droict qu'en Philosophie, imprimées ou à imprimer, les mettre & exposer en vente, faire vendre ou distribuer, durant le temps & espace de dix ans, à commencer du iour & datte que chascun desdicts liures sera acheué d'imprimer, ainsi qu'il aduisera. Pendant lequel temps, nous auons fait & faisons tres-expresses inhibitions & deffences à tous Imprimeurs de nostre Royaume, & autres personnes de quelque qualité & condition qu'elles soyent, d'imprimer ou faire imprimer, vendre ny exposer en vente lesdits liures sans le vouloir & consentement dudit Pacius, à peine de confiscation d'iceux, despens, dommages, & interests, & d'amende arbitraire. Voulons en outre qu'en faisant par luy mettre au commencement ou à la fin desdits liures vn extraict sommaire desdites presentes, elles soyent tenuës pour notifiees, signifiees, & venues à la cognoissance de toutes personnes. Si vous mandons, & à chacun de vous commettons en droict soy, si comme à luy appartiendra, que de nostre present priuilege & du contenu en iceluy vous faites & souffriez ledit Pacius, celuy ou ceux qui auront charge de luy, ioüir, & vser plainement & paisiblement, nonobstant oppositions & appellations quelconques, Car tel est nostre plaisir. Donné à Paris le quatorsiesme iour de Feurier, l'An de Grace Mil six cents douze : & de nostre regne le deuxiesme.

Par le Roy en son Conseil,

CHALOPIN.

L'AN mil six cents seize & le second iour de Mars apres midy, regnant Tres-Chrestien Prince Louys, par la grace de Dieu Roy de France & de Nauarre. Par deuant moy Notaire & tesmoins, Constitué en personne Mr. Mr. Iulius Pacius, Conseillier du Roy, & son premier Professeur en Droict en l'Vniuersité de Mompelier, lequel de son gré suiuant le Priuilege general à luy donné par sa Majesté de pouuoir faire imprimer tous ses liures à tel Imprimeur que bon luy semblera: Auec deffences à tous Imprimeurs d'en imprimer sans sa permission par ses lettres patentes données à Paris le quatorsieme de Feurier mil six cents douze, signées par le Roy en son conseil Chalopin

lopin, qu'il a exhibees à moy, dit Notaire, auec le Seau y pendant, & apres par luy retirees. A permis & permet par ses presentes à Dame Anne Thomas, vefue de feu Sieur Antoine de Harsy, en son viuant Marchand Libraire de Lyon, absente, moy Notaire pour elle stipulant, d'Imprimer vendre & distribuer les liures faits par ledit Sieur Pacius cy apres designez, Asçauoir, *Analysis Codicis, Oeconomia Iuris vtriusque, Tabula in Institutiones Imperiales, Commentarij in titulos Digestorum & Codicis, de Pactis, de Transactionibus, & de Errore calculi*, comme bon luy semblera: luy cedant & remettant tout son Droict auec tel pouuoir, qu'elle puisse deffendre à tous autres d'en vendre, pour les susdicts liures tant seulement, & pour lesquels il luy cedde ledit Priuilege par luy obtenu de sa Majesté, comme dit est.

Signé, PACIVS, COVRET,

BOVDON, ET MONTET.

ENucleatos hosce iuris Tractatus, à Charissimo D. Iulio Pacio, Legum antecessore meritissimo, & quem in legitima Scientia edi scenda Doctorem quondam habui, ordinatos; Ego Iacobus Daueyne, Regis Consiliarius & Procurator, Typis mandari (iuxta suprascriptum diploma Regium) consentio.

DAVEYNE.

Acheué d'imprimer le dernier iour du mois d'Auril 1616.




IVL. PACII



IVL. PACII A BERIGA I. C. OECONOMIA IVRIS VTRIVSQVE, TAM CIVILIS QVAM CANONICI,

PERSPICVIS TABVLIS AD MEMORIAM IVVANDAM repræſentata,& Adnotationibus illuſtrata.

LIBRI IVRIS.



Adnotationes.

a IVs Orientale, quod à Græcis Imperatoribus poſt diuiſionẽ imperij, & à Patriarchis Conſtantinopolitanis conditum eſt, non eſt in noſtris foris receptum: ideoque hîc prætermittitur.

b Cómune vocatur; quia vniuerſus ferè orbis Chriſtianus hoc iure vtitur. Aliter ius commune accipitur, D. de inſt. & iur. l. omnes populi. 9. & inſtit. de iur. natur. §. 1. nimirum pro iure naturali, vel gentium, quod opponitur iuri ciuili. Aliter Inſtit. de mil. teſtam. in princ. & §. ſed hactenus. vbi opponitur iuri priuilegiario.

c Iuſtinianus Codicem bis edidit. Prior editio nõ extat. Poſteriori vtimur. Idcirco vocatur *Codex repetitæ prælectionis*, C. de emendat. C. §. ſuprà dictis. & §. ſeq.

d Iuſtinianus ſine dubio has Nouellas Codici inſeri iuſſiſſet, ſi quo tempore Codex componebatur, editæ fuiſſent: ſed Codice ſunt recentiores, & diuerſis temporibus promulgatæ. Incertus eſt auctor, qui eas in vnũ volumen redegit: ſed quicumque fuerit, nunquam materiarum, non ſemper temporum ordinem ſeruauit: & neque omnes, neque ſolas Iuſtiniani Conſtitutiones collegit; ſed quaſdã Iuſtini iunioris, & Tiberij conſtitutiones, & nõnullas pręfectorũ prætorio formas adiecit.

e Nouellæ Conſtitutiones dicuntur, quæ poſt veteres conſtitutiones in vnũ volumen redactas conduntur.

f Hoc ius ex moribus Langobardicis, & quibuſdam Imperatorum, præſertim Germanorum conſtitutionibus conſtat. Vulgò duo ſunt libri iuris feudalis, quibus aliquot conſtitutiones ſubiiciuntur. Sed optima, & elegantiſſima eſt Cuiacij editio in quinque libros tributa.

g Canonicũ dicitur, quaſi regulare: quia *Canon* regulam, & conſtitutionem eccleſiaſticam ſignificat, diſt. 3. in princ. & c. 1. eiuſd. & Chryſippus ait legem eſſe canonem, ſeu regulam iuſtorum & iniuſtorum, D. de legib. l. 2. §. 1. Dicitur etiam Pontificium, quoniam ab auctoritate Romani Pontificis pendet.

h Vtraque inſcriptio defendi poteſt: quoniam vtraque in ſcriptis exemplaribus reperitur.

i Decretales epiſtolæ ſunt reſcripta Romanorũ Pontificum.


k Cùm Gregorius Pontifex Decretales Pontificum Romanorum Epiſtolas in quinque libros retuliſſet, ac poſteà multæ aliæ Decretales conditæ eſſent: has Bonifacius VIII. in alterum volumen contulit: quod vocauit Sextum Decretalium, quia ſequitur quinque illos libros Gregorianos. Hoc verò opus eadem methodo conſcriptum eſt, qua Gregorianũ: & ſimiliter diuiditur in quinque libros, & continet eoſdem titulos eodem ordine digeſtos. Idem ordo etiam in Clemẽtinis & extrauagantibus obſeruatum eſt.

l Clemens V. multas conſtitutiones edidit, pręſertim in Concilio Viennenſi: quas in vnum volumẽ redactas emittere conſtituerat: ſed quia morte præuentus hoc efficere non potuit, Ioannes XXII. id præſtitit; & *Clementinas* ab auctore Clemente appellauit.

m Extrauagātium & Nouellarū vocabulo idem significatur; id est, nouæ constitutiones post aliquam iuris compositionem promulgatæ, quæ non potuerunt in ea compositione locum habere, propterea quòd tum temporis nondum essent editæ: ideóque extra illud corpus, & extra illam compositionem quodammodò vagātur. Hac ratione in præsentia Extrauagantes vocantur constitutiones pontificiæ post dicta Decretalium opera editæ.

n Communes dicuntur, quia multos habent auctores. Hinc distinguuntur ab Extrauagantibus Ioannis vigesimi secundi, quæ vnum auctorem habent.

INSTITVTIONES.[a]



Adnotationes.

a Institutionum causa efficiens principalis est Iustinianus Imperator. Instrumentalis, Tribonianus, Theophilus, & Dorotheus, Instit. procem. §. cúmq; hoc. & §. pen. & C. de vet. int. enucl. l. 2. §. sed cùm perspeximus. Finis est, vt sint prima legum cunabula, & elementa, quibus iuuenes instructi possint penetralia iuris intrare, & formam legum pulcherrimam non conniuentibus oculis aspicere, d. §. cúmque hoc. & §. seq. d. §. sed cùm prospeximus. Idcirco diuiduntur in quatuor libros, exemplo quatuor elementorum, ex quibus res naturales constāt, Instit. proœ. §. igitur. materia est, quicquid vtile in veterum Iurisconsultorum Institutionibus, præsertim in commentariis Gaij repertum est, Instit. proœ. §. quas ex omnib. & C. de vet. iur. enucl. d. l. 2. §. sed cum perspeximus. Forma est librorum, titulorum, & paragraphorum series, ac dispositio.


b Si rei vocabulum latissimè accipiatur, etiam personas, & actiones suo ambitu continebit: est enim vocabulum (vt logici loquuntur) transcendens, quod omnia complectitur: sed hoc loco sumitur angustiùs pro eo, quod iudicio petitur, siue in iudicium cadit. Petimus autem vel res nostras, vel nobis debitas, D. de oblig. & act. l. actionū. 25. & Instit. de action. §. 1. vnde fit, vt tractatus de rebus diuidatur in duo capita: quorum prius est de dominio, & rebus nostris: posterius de obligationibus, & rebus creditis.

c Ius gentium in his libris spectatur, quatenus est pars iuris Romani, Instit. de iust. & iur. §. vlt. & D. eod. l. 1. §. huius studij. Quare non curamus ea, quæ aliæ gentes inter se agunt, sed iuri gentium ea attribuimus, quorum communicatio est inter ciues Romanos & exteros, vt venditionem, mandatum.

d Iuris ciuilis ea dicuntur, quæ ciues Romani cum peregrinis communicare nequeunt, licet apud alios populos eadem reperiantur, vt patria potestas, Instit. de patr. pot. §. ius autem. donatio, Instit. de donat. in princ. adhibito §. vlt. de vsu & habitat. testamentum, D. de legat. iij. l. 1. § hi quibus.

f Hereditas, & bonorum possessio differunt, quatenus illa est ciuilis, hæc prætoria, Instit. de bon. possess. vers. quos autē. sed vtraque est successio in vniuersum ius defuncti.

g In contractu, vt in emptione & venditione est mutuus consensus, habens vim pariendæ ciuilis obligationis & actionis. Ille consensus est facti, D. de curat. furio. l. 7. §. vlt. hæc vis est iuris, D. de pact. l. si vnius. 27. §. pactus ne peteret. Tolle mutuum consensum, & fac esse vnius voluntatem, relicta vi pariendæ ciuilis obligationis: quasi contractum efficies, vt negotiorum gestionem, infr. de oblig. quæ quas. ex contr. in princ. & §. 1. Tolle dictam vim, & relinque mutuum consensum: erit pactū nudum, D. de pact. l. 1. §. & est. l. 7. §. sed cum nulla. & de pollicit. l. 3. in prin. Tolle vtrumque, sed ita vt relinquas vnius voluntatem: erit pollicitatio, d. l. 3. in princ. vt in sequenti descriptione apparet.



Hæc ita regulariter obtinent: nam & pactum legitimum actionem parit, D. de pactis. l. 6. & interdum pollicitatio, D. de pollicit. l. 1. §. 1. & §. seq.


h Delictum dolo malo committitur: quasi delictum culpa, infr. de oblig. quæ quas. ex delict. in princ. Delicti vocabulum hic propriè accipitur pro priuato maleficio, vt furto, rapina, damno, iniuria, Instit. de oblig. quæ ex delict. in princ. à quo distinguitur publicum crimen, vt adul

vt adulterij, homicidij, &c. D. de ædilit. edic. l. quid sit. 17. §. noxas.

ſ Actionum appellatio hîc latè sumitur, vt complectatur etiam exceptiones & interdicta; facit l. 1. D. de except. & l. actionis verbo. 37. in prin. D. de oblig. & act.

k Iudicium est iuris disceptatio de causa inter actorem & reum apud iudicem controuersa.

INSTITVTIONVM LIBER I.



Tituli libri I. Institutionum, & in eos adnotationes.

1 D*E iustitia & iure.* Iustitia definitur, constans & perpetua voluntas suum cuique tribuendi. Ius prima significatione obiectū iustitiæ indicat: sed hîc (vt puto) accipitur pro arte iuris, vt & in l. 1. in princ. D. eo.

2 *De iure naturali, gentium, & ciuili.* Ius naturale est à natura: ius gentium à naturali ratione: ius ciuile à ratione ciuili. Ius naturale est commune omnibus hominibus, non solis: ius gentium omnibus & solis: ius ciuile solis, non omnibus.

3 *De iure personarum.*

4 *De ingenuis.* Ingenui sunt, qui liberi nascuntur, vel natalibus à principe sunt restituti, D. de natal. restit. l. 3.

5 *De libertinis.* Libertinus definitur, qui ex iusta seruitute manumissus est. Olim libertinus dicebatur liberti filius, teste Sueton. in Claudio, c. 24. hodie libertus, & libertinus re idē sunt, τῷ λόγῳ differunt. Nā libertus opponitur patrono, libertinus ingenuo: & libertus quidem relationem significat, libertinus verò statum eius, qui per manumissionem seruus esse desiit: vt Tiro est libertinę conditionis, & est Ciceronis libertus. Hanc verborum proprietatem Cicero in Verrem seruauit, cùm dixit, *P. Trebonius fecit heredem libertum suum.* & quibusdam interiectis, *Equiti Romano libertinus homo sit heres?*

6 *Qui, & ex quibus causis manumittere non possunt.* Duæ

sunt causæ propter quas lex Ælia Sentia manumissionem impedit, I. Odium manumittentis, creditores suos fraudantis, dum obæratus per seruorum manumissionem fit pauperior. I I. Odium manumissi, qui præsumitur dominum circumuenire, cùm ab eo minore viginti annis alio modo manumittitur, quàm eo qui lege Ælia Sentia præscribitur.

7 *De lege Fusia* (aliàs, Furia) *Caninia tollenda.* quæ numerum seruorum in testamento manumittendorum limitabat. Vide Vlpian. tit. 2. §. pen. Gaium lib. 1. Institi. tit. 2. Paulum lib. 4. sententiar. tit. 14. Vopiscum in Tacito. Hæc lex non habebat locum in testamento militis, D. de manumiss. testam. l. testamento 51. à Iustiniano abrogata est, C. hoc tit. l. vnic.

8 *De his, qui sui, vel alieni iuris sunt.* Sui iuris sunt patres familiarum. Alieni iuris sunt filij familiarum, qui sunt in potestate parentum: & serui, qui sunt in potestate dominorum.

9 *De patria potestate.*

10 *De nuptiis.* Nuptiæ seu matrimonium (nam hæc vocabula accipiuntur ἐκ παραλλήλου) est viri & mulieris coniunctio, indiuiduam vitæ consuetudinem continens, supr. tit. prox. §. 1. videlicet si iustæ sint, id est, secundum legum præcepta contractæ, hoc tit. in princ. nam contra legum præcepta contractæ, non sunt nuptiæ, eod. tit. §. si aduersus.

11 *De adoptionibus.* Adoptio est actus legitimus naturam imitans, quo fit, vt adoptati in numerum liberorum, & potestatem adoptantium transeant.

12 *Quibus modis potestas soluitur.* Dominica potestas soluitur manumissione, quæ ex seruo liberum facit. Patria potestas tollitur morte patris, deportatione patris, vel filij, seruitute pœnæ, patriciatu filij, emancipatione: suspenditur captiuitate patris, vel filij: transfertur in alium per dationem in adoptionem.

13 *De tutelis.* Tutela est potestas hominis liberi in pupillum. Pupillus est impubes sui iuris, D. de verb. signif. l. pupillus 239. in princ. Impubes est masculus vsque ad annum decimum quartum completum, fœmina vsque ad duodecimum completum, infr. quib. mod. tut. fin. in princ.

14 *Qui testamento tutores dari possunt.*

15 *De legitima adgnatorum tutela.* Adgnati sunt, qui sunt in eadem familia, id est, coniuncti per masculos, nulla capitis deminutione interueniente.

16 *De capitis deminutione*, id est, status mutatione.

17 *De legitima patronorum tutela.*

18 *De legitima parentum tutela.*

19 *De fiduciaria tutela.* Si parens, idémque tutor legitimus decesserit, eius filius perfectæ ætatis in tutelā succedit, & vocatur tutor fiduciarius.

20 *De Atiliano tutore, & eo qui ex lege Iulia & Titia dabatur.* Datiuus tutor est, qui datur à magistratu, infr. rem pupilli sal. for. §. 7. & C. de episc. & cler. l. generaliter. 52. Hic olim in vrbe dabatur ex lege Atilia, in prouinciis ex legibus Iulia & Titia.

21 *De auctoritate tutorum.* Auctoritas est consensus, quo quis præsens probat, & confirmat, quod ab alio geritur.

22 *Quibus modis tutela finitur.*


23 *De curatoribus.* Tutelam finitam excipit curatio, quæ est potestas in capite libero ad gerenda illius negotia, qui per minorem ætatem, vel animi, aut corporis morbum ea rectè genere nequit.

24 *De satisdatione tutorum, vel curatorum.* Hi satisdant, id est, datis fideiussoribus cauent rem pupilli, vel eius qui in curatione est, saluam fore. Hæc satisdatio iussu prætoris, vel iudicis interponitur, infr. de diuis. stipul. §. vlt.

25 *De excusationibus tutorum, vel curatorum.* Quia tutela & cura sunt munera publica, etiam inuiti ea subire coguntur, nisi iustis de causis excusentur.

26 *De suspectis tutoribus, vel curatoribus.* Hi à tutela remouentur, & interdum grauiùs puniuntur.

INSTITVTIONVM LIBER II.



* Tituli

Tituli libri secundi Institutionum cum adnotationibus.

1 DE *rerum diuisione.* Duæ dantur diuisiones, quò magis intelligatur, quæ res acquiri possint, vel non possint. I. Aliæ sunt in patrimonio nostro, aliæ extra patrimonium nostrum. II. Aliæ sunt communes omnium hominum, aliæ publicæ, id est, vnius populi, aliæ vniuersitatis, aliæ nullius, aliæ singulorum ciuium Romanorum, quæ iure gentium, vel iure ciuili acquiruntur.

2 *De rebus corporalibus, & incorporalibus.* Iure gentium tantùm res corporales acquiruntur: iure ciuili tam corporales, quàm incorporales.

3 *De seruitutibus.* Seruitus hoc loco significat ius, quo prædium alieno prædio seruit: veluti si ex meis ædibus mihi liceat in tuas ædes lignum immittere.

4 *De vsufructu.* Vsusfructus definitus ius alienis rebus vtendi fruendi salua earum substantia.

5 *De vsu & habitatione.* Vsus est ius alienis rebus vtendi salua earum substantia. Vtimur ad necessitatem: vimur fruimur etiam ad superfluitatem. Habitatio est ius habitandi in alienis ædibus, plurimum facti habens adiunctum, §. pen. & D. de cap. minu. l. pen.

6 *De vsucapionibus, & longi temporis possessionibus.* Vsucapere est possidendo acquirere dominium: nam vsus hic accipitur pro possessione. Vsucapio generalis diuiditur in vsucapionem specialem, & longi temporis possessionem. Specialiter vsucapimus res mobiles triennio: longi temporis possessione, id est, decem annorum inter præsentes, viginti inter absentes acquirimus res immobiles.

7 *De donationibus.* Donatio est concessio nullo iure cogente facta, D. h. tit. l. donati. 29. in prin. & de diu. reg. iur. l. donari. 82. Quæ si per traditionem fiet, dominium transfert in accipientem, supr. de rer. diuis. §. per traditionem. si per stipulationem, vel aliam conuentionem, tantùm obligationem parit.

8 *Quibus alienare licet, vel non.* Regulariter rem alienare dominus potest, non dominus non potest. Quandoque è contrario dominus non potest, & non dominus potest rem alienare, vt incasibus hoc titulo propositis. Alienatio est iuris competentis ad alium translatio. Vide quod notaui, C. lib. 4 tit. 51.

9 *Per quas personas nobis acquiritur.*

10 *De testamentis ordinandis.* Id est, de forma testandi plerumque à testatoribus obseruanda.

11 *De militari testamento.* Militare testamentum est, quod à milite factum est iure militari. Quòd si miles iure communi testetur, militis quidem testamentum dicitur, sed propriè non dicitur militare.

12 *Quibus non est permissum facere testamentum.*

13 *De exheredatione liberorum.* Si testator liberos habeat in potestate, neceos heredes instituat, non sufficiunt solemnitates expositæ titulo 10. nisi eos nominatim exheredet: quoniam hereditas extraneis dari non potest, nisi liberis, qui sunt sui heredes, nominatim adimatur.

14 *De heredibus instituendis,* in primo gradu: quæ propriè dicitur institutio: nam secundo, vel vlteriori gradu facta dicitur substitutio, D. de vulga. & pupil. substit. l. 1. in princ.

15 *De vulgari substitutione.* Qua vulgò quilibet testator cuilibet heredi alium substituere potest in eum casum, si heres non erit.

16 *De pupillari substitutione.* Qua parentes substituunt liberis suis impuberibus, quos in potestate habent, non recasuros in alterius potestatem: vt pater filio, auus nepoti ex filio prædefuncto, vel emancipato. Hæc substitutio fit in casum, si in pupillari ætate decesserit. Huius exemplo Iustinianus introduxit quasi pupillarem, si filius meus priùs decesserit, quàm mentis compos factus sit, C. de impub. & al. substit. l. humanitatis. 9.

17 *Quibus modis testamenta infirmantur.* Subaudi, ipso iure, sine sententia iudicis.

18 *De inofficioso testamento.* Quod contra officium pietatis factū est, certis personis immeritò exheredatis, vel præteritis, nisi præteritio testamētum ipso iure nullum faciat, quod accidit, cùm suus heres præteritus est: non est enim opus, vt rescindatur, quod ipso iure non valet.

19 *De heredum qualitate & differentia.* Id est, de diuersis heredum qualitatibus, quibus heredes instituti inter se differunt; quoniam alij sunt necessarij, alij sui, alij extranei.

20 *De legatis.* Legatum dicitur, quod in testamento directis verbis iure particulari relinquitur, vt, *Heres meus decem Seio dato.* Agitur hoc titulo de legati definitione, antiqua diuisione sublata, cōparatione cum fideicommissis, re legata, personis, quibus legatur, & modis legandi.

21 *De ademptione, & translatione legatorum.* Qui trāsfert legatum, omnino alicui adimit: non contrà, quicumque adimit, etiam transfert. Ademptionis igitur vocabulum, cùm à translatione seiungatur, angustiùs hic accipitur pro pura ademptione, distincta ab ea, quam translatio in se continet. *Quod Titio legaui, non lego. Quod Titio legaui, Seio lego.* Priori modo adimitur: posteriori transfertur.

22 *De lege Falcidia.* Legem accipe pro Plebiscito. nam eius auctor P. Falcidius fuit tribunus plebis. Hæc lex vetat legari vltra dodrantem bonorum, vt quadrans penes heredem maneat.

23 *De fideicommissariis hereditatibus.* Fideicommissaria hereditas est, quam heres (siue testamentarius, siue legitimus) rogatur alteri restituere. Quod quidem vel in totum, vel pro parte contingit: sic tamen, vt nemo plus restituere debeat, quàm acceperit.

24 *De singulis rebus per fideicommissum relictis,* vel ex testamento, vel ab intestato.

25 *De codicillis.* Codicilli nō sunt species quædam perfecta, à testamento distincta, sed testamētum quoddam imperfectum: aut enim fiunt à testato, aut ab intestato. Priori casu sunt pars testamenti; ita vt quod in codicillis scriptum est, in testamento scriptum videatur. Posteriori casu vicem exhibent testamenti: & in eis relicta fideicommissa debentur, quatenus paterfamiliâs onerans succedentes ab intestato, videtur eis tacitè relinquere legitimam hereditatem, D. hoc titul. l. 2. §. codicillorum. l. 3. §. vltim. l. conficiuntur. 8. §. 1. ab intestato. 16.

INSTITV

INSTITVTIONVM LIBER III.

Rerum attributa duo sunt præcipua:

- Dominium: quod acquiritur
  - Particulariter. } Hæc superiori libro exposita fuerunt.
  - Per vniuersitatem,
    - Hereditate
      - Ingenui
        - Ex testamento. } Hæc superiori libro exposita fuerunt.
        - Ab intestato.Hic agitur.
          - Primò de defuncto,cui succeditur. } tit. 1.
          - Secundò de heredibus, qui succedunt. Hoc loco Imperator declarat
            - Tres heredum ordines
              - Primum suorum,& quasi suorū heredū. } tit. 1.
              - Secundum legitimorum, qui succedūt ex
                - Vel principaliter, ex
                  - Lege 12.tabul.vt
                    - Adgnati.
                    - Parés,qui emancipauit. } tit. 2.
                  - Senatusconsulto.
                    - Tertulliano, tit. 3.
                    - Orficiano. } tit. 4.
                - Vel iure accrescendi. } 4.
              - Tertium cognatorum, qui non sunt propriè heredes,sed quasi heredes,id est,bonorum possessores, tit. 5.
            - Quædam dictis heredum ordinibus communia, tit. 6.
      - Liberti, tit. 7. 8.
    - Bonorum possessione, tit.9.
    - Arrogatione, tit.10.
    - Addictione bonorum, tit. 11.
    - Bonorum emptione, } tit. 12. vbi traditur hos modos hodie non obtinere.
    - Ex S. C. Claudiano, } tit. 12. vbi traditur hos modos hodie non obtinere.
- Obligatio, quæ explicatur
  - In genere, tit.13.
  - In specie, id est, ex contractu, vel quasi cōtractu.Hic de obligatione quatuor declarantur.
    - I. Quibus modis contrahitur. Omnis contractus perficitur
      - Vel re, tit. 14.
      - Vel verbis,vt stipulatio, tit. 15. quæ multis modis diuiditur.
        - Primò contrahitur
          - Vel per vnum reum.
          - Vel per plures reos, tit. 16.
        - Secundò cōtrahitur
          - Vel per homines liberos.
          - Vel per seruos,tit.17.
        - Teriò est
          - Vel iudicialis.
          - Vel prætoria.
          - Vel cōmunis.
          - Vel iudicialis. } tit.18.
        - Quartò est
          - Vel vtilis.
          - Vel inutilis, tit.19.
        - Quintò est
          - Aut principalis.
          - Aut accessoria, vt fideiussoris, tit. 20.
      - Vel literis, tit. 21.
      - Vel consensu, tit. 22. vt
        - Emptio & venditio, tit. 23.
        - Locatio & conductio, tit.24.
        - Societas, tit. 25.
        - Mandatum, tit.26.
    - II. Quibus modis quasi contrahitur, tit. 27.
    - III. Per quas personas acquiritur, tit.28.
    - IV. Quibus modis tollitur, tit.29.

Tituli libri III. Institutionum, & Adnotationes.

1 D*E hereditatibus,qua ab intestato deferuntur.* Hæc rubrica est generalis, & omnium ab intestato heredum communis,vt & principium tituli.Sequentes verò paragraphi specialiter loquuntur de primo heredum ordine,id est,de suis heredibus,& quasi suis. Intestatus est, qui testamentum non fecit, vel nō iure fecit, cuiusue testamentum quoquo modo infirmatum est, h. tit. in princ. Vt sui heredes dicantur, duo requiruntur. Primò, vt in morientis potestate fuerint: secundò, vt nemo inter eos & defunctum sit in potestate interiectus.Sic filius integri iuris est suus heres patri, & nepos ex filio emācipato, vel prædefuncto est suus heres auo. Nam potestatem hîc intelligimus patriam, non dominicam. Defectu primæ conditionis filius emancipatus non est suus heres patri;defectu secundæ nepos ex filio superstite non emancipato, non est suus heres auo. Is, in quo desideratur prima conditio, potest nihilominùs succedere in primo ordine,vel beneficio prætoris,vt filius emancipatus;vel ex cōstitutionibus, vt descendentes ex feminis.Secundæ verò conditionis defectus successionem adimit:quoniam is,qui præcedit, potior est, & succedere debet.

2 *De legitima adgnatorum successione.* Qui suus heres est, legitimus quoque est: non contrà quicumque est legitimus,est etiā suus.Vt adgnatus,& pater, qui filium emancipauit,de quibus hoc titulo agitur,legitimi, non sui heredes sunt. Adgnati vocantur post suos heredes ex verbis illis duodecim tabularum, quæ extant apud Vlpianum tit.27. in princ. S*i intestatus moritur, cui suus heres nec extabit,adgnatus proximus familiam*(id est,hereditatem) *habeto.*

4 *De Senatusconsulto Tertulliano.* Ex quo mater filiis succedit.

4 *De Senatusconsulto Orphitiano.* Ex quo filij & filiæ matri succedunt. Huic Senatusconsulto accesserunt principales constitutiones, quibus nepotes & neptes

vocantur

vocantur ad legitimam auiæ ſucceſſionem. Vltimus §. huius tituli latiùs patet, quàm rubrica: eſt enim de iure accreſcendi, quod omnibus legitimis heredibus commune eſt. Finge plures ſimul vocari ad eandem hereditatem, vt fratres, vel patruos defuncti: ſi omnes adeant hereditatem; tot erunt portiones, quot heredes: ſi qui verò aut omittant, aut repudient, eorum partes aliis accreſcent.

5 *De ſucceſſione cognatorum.* In ſuperioribus ordinibus fiunt heredes iure ciuili: in hoc fiunt bonorum poſſeſſores iure prætorio. quare hic tractatus magis pertinet ad tit. infr. de bonor. poſſeſſ. quàm ad hunc locum: ſed obiter hîc ponitur, quia ius prætorium coniungitur cum iure ciuili, vt ſupr. de teſtamen. §. ſed cùm paulatim. Hodie tamen etiam cognati fiunt heredes iure ciuili, & vnà cum adgnatis ſuccedunt ſecundum gradus prærogatiuam, Nou. 118. cap. 3.

6 *De gradibus cognationis.* Hoc titulo tria declarantur. I. Gradus, id eſt, diſtantiæ cognatorum, vel agnatorum. II. Seruilis cognatio, quæ inter manumiſſos ſpectatur. III. Collatio ordinis, & gradus heredum. Vbi docetur potiorem eſſe ordinem, quàm gradum, vt nepos, qui eſt in tertio gradu primi ordinis, præfertur fratri, qui eſt in ſecundo gradu ſecundi ordinis.

7 *De ſucceſſione libertorum.* Id eſt, qua ſuceeditur libertis, non, qua liberti ſuccedunt.

8 *De adſignatione libertorum.* Omnes filij ipſius patroni ſuccedunt in ius patronatus, niſi pater cuidam, vel quibuſdam ex illis libertum adſignauerit: nam hi ſoli in ius patronatus ſuccedunt, quibus libertus adſignatus eſt.

9 *De bonorum poſſeſſionibus.* Hactenus de hereditate, quæ iure ciuili ex teſtamento, vel ab inteſtato defertur, & eſt primus modus acquirendi per vniuerſitatem. Sequitur ſecundus modus primo perſimilis: dicere enim poſſumus bonorum poſſeſſorem eſſe heredem prætorium, quoniam habet eadem iura, quæ heres, verſ. quos autem. & interdum appellatione heredis continetur, D. de condit. & demonſtr. l. in conditionib. 19. & de verb. ſignif. l. hereditatis. 138.

10 *De acquiſitione per arrogationem.* Arrogati bona ad arrogatorem tranferuntur, olim pleno iure, hodie ratione ſolius vſusfructus, proprietate penes arrogatum manente.

11 *De eo, cui libertatis* conſeruandæ *cauſa bona addicuntur*, nullo exiſtente herede, qui libertatem præſtare poſſit.

12 *De ſucceſſionibus ſublatis, quæ fiebant per bonorum venditionem, & ex S.C. Claudiano.* Bona debitoris obærati vendebantur ſolemniter per magiſtrum, non ſine debitoris dedecore. Ex S.C. Claudiano mulier, quæ ſe alieno ſeruo, neglecta terna domini denunciatione, iungebat, ſerua illius fiebat, ita vt omnia mulieris bona ad eum transferrentur.

13 *De obligationibus.* Subaudi, ciuilibus: de quibus ſolis hîc ex profeſſo agitur, quia ſolæ regulariter pariunt actionem. Obiter naturalis obligationis (quæ minùs propriè vocatur obligatio, D. de fideiuſſor. l. fideiuſſor. 16. §. naturales.) mẽtio fit infr. de fideiuſſorib. §. 1. Obligatio (ſubaudi, ciuilis) definitur, Iuris vinculum, quo neceſſitate adſtringimur alicuius rei ſoluendæ ſecundum noſtræ ciuitatis iura, in princ.

14 *Quibus modis re contrahitur obligatio.* Res hîc accipitur pro rei traditione, quæ neceſſaria eſt in omnibus contractibus innominatis perficiendis, de quibus hîc non agitur: & in quatuor nominatis, qui hoc loco declarantur, mutuo, commodato, depoſito, pignore. Nominati ſunt, ex quibus lex duodecim tabularum nominatim actionem dedit: cæteri, quorum mentionem lex non fecit, appellantur innominati.

15 *De verborum obligationibus.* Quæ per ſtipulationem contrahuntur, interrogatione ſtipulantis præcedente, & reſponſione reſpondentis ſequente: vt, *Dabis? dabo. Promittis? promitto.*

16 De *duobus reis ſtipulandi, & promittendi.* Duorum appellatione ſignificantur etiam tres, vel plures. Qui eandem rem ab eodem in ſolidum ſtipulantur, ſunt rei ſtipulandi: qui ſimiliter promittunt, rei promittendi. Aliis quoque contractibus duo rei credendi, vel debendi fieri poſſunt: veluti ſi duo ſimul eandem rem commodent, vel commodatò accipiant. D. h. t. l. eandem. 9.

17 *De ſtipulatione ſeruorum:* non qua ſtipulamur ſeruos nobis dari, ſed qua ſerui ſtipulantur. Seruus eſt, qui dominio alieno contra naturam ſubiectus eſt, ſupr. de iur. perſon. §. ſeruitus.

18 De *diuiſione ſtipulationum.* In varia genera. Alia eſt diuiſio ratione partium rei promiſſæ, vnde ſtipulatio diuidua dicitur. D. de verb. oblig. l. 2. §. 1.

19 De *inutilibus ſtipulationibus.*

20 De *fideiuſſoribus.* Fideiuſſor eſt, qui pro alio promittit, id eſt, pro debitore principali, ita vt ille quoque nihilominùs obligatus maneat: alioquin non eſt fideiuſſor, ſed expromiſſor. Qui verò dat fideiuſſorem, dicitur ſatiſdare. Sed qui ſolus ſine iureiurando, & nullo dato pignore promittit, dicitur repromittere.

21 *De literarum obligatione.*

22 De *obligationibus ex conſenſu ſolo*, ita vt nec rei traditione, nec verbis, nec literis opus ſit. Ceterùm nullus eſt contractus ſine conſenſu. D. de pact. l. 1. §. pen.

23 De *emptione & venditione.* Emptio & venditio eſt contractus conſenſu conſtans inter emptorem & venditorem: ita vt vnus ſit contractus, qui reſpectu emptoris vocatur emptio, reſpectu venditoris appellatur venditio. Emptor eſt, qui tenetur pretium dare venditori, ita vt pecuniam faciat accipientis. Venditor eſt, qui debet rem tradere, ita vt emptori eam rem habere liceat. D. de act. emp. l. ex empto. 11. §. & in primis. Pretium eſt pecunia numerata, qua res æſtimatur. §. item pretium.

24 De *locatione & conductione.* Locatio & conductio eſt contractus conſenſu conſtans inter locatorem & conductorem. vnus enim eſt contractus qui reſpectu locatoris dicitur locatio, reſpectu conductoris appellatur cõnductio. Locator eſt, qui certa mercede rem vtendam, vel fruendam, vel faciendam dat, conductor, qui accipit. Merces eſt pecunia, qua vſus vel fruitio, vel opera æſtimatur.

25 *De ſocietate.* Societas eſt contractus ſolo conſenſu conſtans de re vel negotiatione honeſta, & eius lucro vel damno inter ſocios communicando.


26 De *mandato.* Mandatum eſt contractus conſenſu conſtans, quo dominus negotium gratis, bona fide gerendum ſuſcipienti procuratori committit.

27 De *obligationibus, quæ quaſi ex contractu naſcuntur.* Quaſi contractus eſt actus, qui vnius voluntate fit, delicto vacans.

28 *Per quas perſonas nobis obligatio acquiritur.* Vt dominium nobis acquiritur, non ſolùm per noſmetipſos, ſed etiam per alios, ſupr. lib. 2. tit. 9. ita etiam obligatio.

29 *Quibus modis tollitur obligatio.* Subaudi, ipſo iure, ſine ope exceptionis: nam de exceptionibus dicetur lib. 4. tit. 13. & 14.

INSTITVTIONVM LIBER IV.



Tituli libri IV. Institutionum, adiunctis notis.

1 De *obligationibus, quæ ex delicto* (priuato) *nascuntur.*

2 De actione *vi bonorum raptorum.* Rapere dicitur aliquis res mobiles, inuadere res immobiles, vt fundum, vel ædes, §.1.vers. quod non solùm Rapina igitur est rerum mibilium violenta extersio.

3 *De lege Aquilia.* Quod supr. notaui de lege Falcidia, idem dicendum de hac lege Aquilia, id est, esse plebiscitum. D. eod. l. 1. in fi. tractat autem primo capite de seruo, & pecude occisis, d. l. 1. in princ. tertio (nam secundum non extat §. caput. & D. eod. l. si seruus. 27. §. huius.) de quouis alio damno dato §. capite, & d. l. si seruus. §. tertiò. Damnum, latè sumpto vocabulo, est deminutio patrimonij. D. de damno infec. l. 3. angustè sumpto, vt in lege Aquilia, est corporis læsio, vel peremptio.

4 De *iniuriis.* Iniuria est contumelia. in pr. & D. eod. l. 1. in princ. in corpus illata, vel dignitatem violans, vel infamiam importans. d. l. 1. §. omnem.

5 De *obligationibus, quæ quasi ex delicto nascuntur.* Quasi delictum à delicto differt, vt culpa à dolo: nam dolo malo delinquitur, culpâ quasi delinquitur.

6 De *actionibus.* Actio definitur ius persequendi in iudicio, quod sibi debetur. in princ.

7 *Quod cum eo, qui in aliena potestate est*, (id est, cum filiofamiliâs, aut seruo alieno) *negocium gestum esse dicitur.* Hinc oriuntur sex actiones, quæ hoc tit. declarantur: quod iussu, exercitoria, institoria, tributoria, de peculio, de in rem verso. sed quando hæ duæ postremæ concurrunt, hæc sub illa continetur, & omnes sunt qualitates, non species actionum, vt certi condictio exercitoria, commodati de peculio, commodati de in rem verso, &c.

8 De *noxalibus actionibus.* Noxalis quoque est qualitas, non species actionis. Nã si rem mihi surripueris, agam tecum furti actione directa: si seruus tuus, noxali quæ inde appellata est, quòd potes dedendo seruum noxæ, liberari. Idem olim obtinuit in delictis filiorumfamiliâs, sed Iustiniano secus visum est, §. vlt.

9 *Si quadrupes pauperiem fecisse dicatur.* Pauperies est damnum à quadrupede datum, quod quidem dicitur datum sine iniuria facientis; quia brutum animal, quod ratione caret, non videtur iniuriam facere, vers. pauperies. Actio de pauperie est species actionis noxalis: quia dominus dedendo quadrupedem liberatur. versic. quæ animalia.

10 De *his, per quos agere possumus.*

11 *De satisdationibus:* Quæ tam ex parte actoris præstantur, vt de rato, quàm ex parte rei, vt iudicatũ solui.

12 De *perpetuis* (id est, quæ olim nullo tempore finiebantur, hodie durant triginta vel quadraginta annos) *& temporalibus actionibus*, quæ breuiori tẽpore terminantur, *& quæ ad heredes* actoris, *& in heredes* rei conuenti *transeunt.*

13 De *exceptionibus.* Exceptio est actionis exclusio, D. h. tit. l. 1. in princ.

14 De *replicationibus.* Vt reus actioni opponit exceptionem, ita actor exceptioni replicationem, rursus reus replicationi duplicationem, actor duplicationi triplicationem, reus triplicationi quadruplicationem: & ita deinceps. Inuenies aliquando exceptionis vocabulum latè accipi, vt complectatur etiam replicationem, duplicationem, &c. §. quarum.

15 De *interdictis.* Interdictum est iussus, vel prohibitio prætoris de possessione controuersa: veluti, vnde illum vi deiecisti, restitue. Quò minùs possideat, vim fieri veto.


16 De *pœna temerè litigantium.* Litigantium officium est non temerè, id est, non calumniose litigare. Actoris officium est, à vocatione in ius litem inchoare. Iudicis officia sequenti titulo proponentur.

17 De *officio iudicis.*

18 De *publicis iudiciis.* Olim publica dicebantur, quia populus de his causis iudicabat: hodie publica dicuntur, quia quiuis è populo ad accusandum admittitur.

DIGES

DIGESTA[a] *SEV PANDECTAE*[b].



Adnotationes.

a Digesta vocantur, quia leges non temerè congestas, sed in congruos titulos relatas continent.

b Pandectæ dicuntur Græco vocabulo, ac si Latinè diceres Omnicapientia, quia ex omnibus iuris scripti partibus aliquid continent. In hoc enim opere reperies leges, vt leges publicorum iudiciorum lib. 48. senatusconsulta, vt de petitione hereditatis; Macedonianum, Velleianum, Tertullianum, Orphitianum: Plebiscita, vt Aquilium & Falcidium: constitutiones principum, vt Antonini. de offic. proconsl. l. 6. §. vlt. Marci & Commodi. de offi. præsid. l. Diuus. 14. & plures alias: Edicta, tam prætorum, quæ passim occurrunt, quàm Ædilium, de ædil. edic. l. 1. §. 1. l. ædiles. 38. in princ. l. hi enim. 40. & ll. seqq. denique responsa prudentum, ex quibus potissimùm hoc opus constat.

c Omnis scientia duabus partibus constat: quarum altera, quæ præcipua est, res illi scientiæ subiectas declarat: altera, quæ in illius gratiam præponitur, de ipsa scientia differit illam Aristoteles vocat ἐπιστήμην: hãc, παιδείαν τινα. Vt in naturali scientia, vna est pars, quæ docet, quod sit physicæ obiectum, quæ partes, quales demonstrationes, & alia id genus: altera est, quæ rerum naturalium principia, affectiones, species enarrat. Sic prior Iurisprudentiæ pars est de ipso iure, posterior de rebus iuri subiectis, id est, de iudiciis, seu de actionibus humanis, quatenus ad iudicia referuntur. Nam iudicia sunt obiectum iurisprudentiæ, vt corpus naturale physicæ, numerus arithmeticæ.

d Pandectæ sunt cõscriptæ partim ordine συνθετικῷ, partim διαιρετικῷ. nam priùs explicantur partes iudiciorum, deinde ipsa iudicia. de his autem primùm agitur generaliter, mox specialiter. Eundem ordinem Aristoteles adhibuit in Organo logico: primùm enim est vsus ordine compositiuo, progrediens à simplicibus vocabulis ad enunciationes, ab enunciationibus ad syllogismos: deinde ordine diuisiuo, exponẽs syllogismum in genere, & subiiciens expositionem specierum.

e Tria particularia iuris obiecta in Institutionibus proponũtur: personæ, res, actiones. hìc duo tantùm, personæ, & res: quæ sunt natura iudiciis priores, & cùm per se existant, deinde ad iudicia transferuntur. Actiones verò, quoniam extra iudicia non consistunt, simul cum iudiciis enarrabuntur.

f Vide supr. Institutiones, adnot. b.

g Iudiciorum vocabulum latè accipio, nam in angusta significatione coarctatur ad iudicia iudicum pedaneorum.

h Compromissaria.

i Iudices pedanei à pedibus dicti videntur, vt pedarij senatores: etenim magistratus iudicat vel de plano, vel pro tribunali: iudices pedanei de plano tantùm, quia vt iurisdictione, ita & tribunali carent, ac tantùm cognoscendi & pronunciandi, non etiam exequendi facultatem habent.

k Contractus appellatione intelligo etiam quasi contractum, vt D. de constit. pecu. l. 1. §. debitum & aliis locis.

l Contractos reales voco eos, qui de aliqua re fiunt: tales sunt, emptio, locatio, mutuum, &c.

m Vt pignoribus, vsuris, probationibus, &c.

n Contractus personales appello, qui sunt de personis, vt nuptias, & tutelas.

o Vltimo loco ponuntur regulæ, quia non ius ex regulis, sed regulæ ex iure colliguntur, infr. de diuers. reg. iur. l. s.

DIGESTORVM SEV PANDECTARVM PARS I.

LIBER I.

Tà πρῶτα id est, iuris primordia continẽt tribus tractatib.

- Primo, de iustitia,&iure:quorum principia exponuntur
  - Moralia, tit. 1.
  - Historica, tit. 2.
  - Iuridica, tit. 3.& 4.
- Secundo,de partibus iudiciorum, id est, de
  - Personis: quarum duplex diuisio explicatur:
    - Prior ex iure gentium,tit.5.
    - Posterior ex iure ciuili,tit.6.7.
  - Rebus, tit. 8.
- Tertio de iudiciis
  - Senatorum, tit. 9.
  - magistratuum,& aliorum ius dicẽtium, vt eorũ quibus iurisdictio mãdata est. Hic agitur
    - I. De officio magistratuũ
      - Vrbanorũ
        - Ordinariorum, vt
          - Consulis, tit. 10.
          - Præfecti prætorio,tit. 11.
          - Præfecti vrbi, tit. 12.
          - Quæstoris,tit. 13.
          - Prætoris, tit. 14.
        - Extraordinariorum, vt præfecti vigilum,tit. 15.
      - Prouincialiũ, vt
        - Proconsulis, tit. 16.
        - Præfecti Augustalis,tit. 17.
        - Præsidis, tit. 18.
        - Procuratoris Cæsaris,tit. 19.
        - Iuridici, tit. 20.
      - Magistratibus accedunt
        - Hi, qui mandatam iurisdictionem suscipiunt, tit. 21.
        - Assessores, tit. 22.

LIBER II.

    - II. De iurisdictione. Hic explicantur
      - Iurisdictio & imperium. tit. 1.
      - Tria edicta ad Iurisdictionem pertinentia.
        1. De albo corrupto. tit. 1.
        2. De nouo iure statuto,vel impetrato,tit. 2.
        3. De eo, qui ius dicenti non obtemperauit,tit. 3.
    - III. De horum iudiciorum ritu. Huius tractatus tres sunt partes.
      1. De in ius vocando, tit. 4.
      2. Vt vocatus
         - Aut in ius veniat, tit. 5.
         - Aut caueat, tit. 6.
         - Si
           - Venit,nõ est eximendus, tit. 7.
           - Si cauere vult, videndũ quo modo cauere debet in iudicio
             - Directo,tit. 8.
             - Noxali, tit. 9.
      3. De sistẽdo. Hic agitur
         - Primò de eo, qui fecit, quò minùs quis se iudicio sisteret,tit. 10.
         - Secundò de eo, qui se non stitit ob iustam aliquam causam, tit. 11. vtputà propter
           - Ferias. t. 12.
           - Dilationẽ. t. 12.
           - Editionẽ ab actore omissam.t. 13.
           - Pactionẽ, t. 14. vel trãsactionẽ,t. 15.

LIBER III.

    - IV. De litigantibus, vt
      - Aduocatis & postulantibus.Hic quęritur,
        1. An infames possint postulare, tit. 1.
        2. Qui sint infames,tit. 2.
      - Procuratoribus,& defensoribus,tit. 3.
      - Syndicis,siue actoribus vniuersitatum, tit. 4.
      - Negotiorum gestoribus,tit. 5.
      - Horum omnium calumnia iure punitur, tit. 6.

LIBER IV.

    - V. De materia horum iudiciorum, id est, de cõstitutionibus: de quibus agitur
      - In genere,tit. 1.
      - In specie propter
        - Metum, tit. 2.
        - Dolum, tit. 3.
        - Minorem ætatem, tit. 4.
        - Capitis deminutionem, tit. 5.
        - Absentiam,& alias causas, tit. 6.
        - Alienationem iudicij mutandi causa factam,tit. 7.
  - Arbitrorum compromissariorum, qui tenentur de recepto,tit. 8. vt & nautæ, & caupones, & stabularij, tit. 9.

Tituli primæ partis Digestorum, & in eos notæ.

LIBER I.

1 D*E iustitia & iure.* Quæ hoc tit. traduntur, diuhpta sunt ex morali philosophia, & conferri debent cum iis, quæ Aristoteles docet quinto Ethico.

2 *De origine iuris, & omnium magistratuum, & successione prudentium.* Tres sunt huius tituli partes. I. De origine & progressu iuris. II. De magistratibus, quam confer cum libello de magistratibus, qui adscribitur Fenestellæ. III. De prudentibus, id est, Iurisconsultis, quorum alij aliis successerunt: vt Sabiniani Sabino, Proculeiani Proculo.

3 *De legibus, senatusq; consultis, & longa consuetudine.* Etsi propriè loquendo, leges à plebiscitis distinguuntur, supr. de iust. & in iur. l. 7. in prin. & Inst. de iur. natur. §. constat. & §. seq. tamen hoc loco sub legum appellatione cõtinentur etiam plebiscita, vt infr. ad leg. Aquil. l. 1. §. 1. & dist. 2. c. quædam. Senatuscõsultum est, quod senatus iubet atque constituit, Inst. de iur. natur. §. senatusconsultum. Longam consuetudinem intelligo, cuius initij memoria non extat.

4 *De constitutionibus principum.* Constitutio est, quod principi placet vt vim legis habeat, l. 1. in princ. & Inst. de iur. nat. §. sed & quod.

5. *De statu hominum.* Ad statum hominis pertinent libertas, ciuitas, familia. Vnde, cùm capitis deminutio sit status mutatio, infr. de capi. minu. l. 1. triplex capitis deminutio oritur, infr. eod. l. vlt.

6 *De his, qui sui, vel alieni iuris sunt.* Sui iuris sunt patres & matres familiarum, alieni iuris, filij vel filiæ familiarum, & serui siue ancillæ.

7 *De adoptionibus & emancipationibus, & alijs modis, quibus potestas* patria *soluitur.* Adoptio est legis actio, infr. de offic. proconsl. l. 3. naturam imitans, l. adoptio. 16. & Instit. eo. §. minorem. quæ adoptanti patriam potestatem tribuit in adoptatum, l. 1. Emancipatio, actus, quo parens aliquem è liberis suis è potestate sua dimittit, id est, sui iuris facit, Inst. quib. mod. ius potest. solu. §. præterea. Adoptio partim constituit, partim dissoluit patriam potestatem: nam si filium meum tibi dem in adoptionem, mea potestas hoc modo soluitur, tua cõstituitur: quia patria potestas à me ad te transfertur. Emancipatio verò tantùm perimit, nõ etiam constituit patriam potestatẽ. De aliis modis soluendę patriæ potestatis sub hoc tit. nihil traditur specialiter: sed hæc subiecta particula, *& alijs modis, &c.* adiecta est, vt opinor, propter leges quasdam huius tituli generales, quæ pertinent ad quemcumque modum soluendæ patriæ potestatis, vt l. 12. & 13.

8 *De diuisione rerum & qualitate.* id est, de rerum diuisionibus, quæ à diuersis earum qualitatibus sumuntur.

9 *De senatoribus.* Senatores iure Iustinianeo sunt, quicumque in senatu sententiam dicere possunt, l. vlt. in fi. quanquàm Senatores olim hi soli dicebantur, qui in senatum lecti erant ab iis, qui legendi potestatem habebant, vt regibus, dictatoribus, censoribus. Nam honoribus functi, etsi in senatum venire poterant, & sententiæ dicendæ ius habebant, tamen, cùm nondum in senatum lecti essent, senatores non appellabantur. Valer. lib. 2. c. 1. Gellius lib. 3. cap. 18. Festus in verbo *senatores.* Liu. lib. 23. senatus est selectorum virorum non plebeiorum cœtus, infr. de verb. sign. l. plebs. 238. vbi plebis appellatione etiam equites continentur, vt & in §. lex est. Inst. de iu. natur. Nam Romæ tres fuisse ordines constat: senatũ, equites, plebem. Hic igitur titulus est de ordine senatorio: sequẽtes tituli sunt de magistratibus.

10 *De officio consulis.* Consules ex eo dicti sunt, quòd plurimum reipublicæ consulerent. supr. de orig. iur. l. 2. §. exactis deinde regibus consules.

11 *De officio præfecti prætorio.* Prætorium est aula principis, quæ inde hoc nomen traxit, quod veteres (vt ait Asconius) prætorem dixerunt omnem magistratum, cui pareret exercitus: & prætorium, tabernaculum eius.

12 *De officio præfecti vrbi.* Cuius fidei vrbs commissa est, l. 1. in princ.

13 *De officio quæstoris.* Quæstores à quærendo dicti sunt, l. vn. §. 1. qui pecunias publicas in vrbe, vel in prouinciis curabant. Alij erant quæstores parricidij, qui capitalibus rebus præerant, supr. de orig. iur. l. 2. §. & quia. vt diximus; de quibus hoc tit. non agitur.

14 *De officio prætorum.* Alij erant prætores in vrbe, de quibus est hic titulus, alij in prouinciis, supr. de orig. iur. l. 2. §. capta. In vrbe prætor vrbanus dicebatur, qui ciuibus: peregrinus, qui peregrinis ius dicebat, d. l. 2. §. cúmque consules. & §. seq.

15 *De officio præfecti vigilum.* Hic noctu excubias agit, oberrans per vrbem, ne incendia oriantur, & vt orta extinguantur.

16 *De officio proconsulis, & legati.* Procõsul est, qui consulari prouinciæ vice consulis & auctoritate consulari præest. Huic legatus adiungitur, vt ei iurisdictionem suam mandet, l. 4. §. vlt. & l. seq. quò faciliùs & promptiùs ius dicatur.

17 *De officio præfecti Augustalis.* Qui Ægypto ab Imperatore præficitur: vnde etiam præfectus Ægypti appellatur, l. vnic.

18 *De officio præsidis.* Præses, latè sumpto vocabulo, dicitur, quicumque prouinciam regit: propriè verò, qui in principis prouinciam missus est. nam Augustus (teste Sueto. in Augusto, cap. 47.) prouincias, quæ stante republica diuidebantur in consulares & prætorias, aliter diuisit, alias populo Romano permittens, alias, quæ validiores erant, sibi reseruans: in illas mittebantur proconsules more maiorum: in has præsides, & in Ægyptum præfectus Augustalis, de quo dictum fuit superiori titulo: nam Ægyptus principis, non populi prouincia erat.

19 *De officio procuratoris Cæsaris, vel rationalis.* Hic caussis fiscalibus in prouincia præest, vt in vrbe præfectus ærario, infr. de transact. l. cùm hi. 8. §. transactiones. & de iur. fisc. l. edicto. 13. in princ.

20 *De officio iuridici.* qui Alexãdriæ ius dicebat, à principe constitutus, non à præfecto Augustali.

21 *De officio eius, cui mandata est iurisdictio*, vel ab vrbico, vel à prouinciali magistratu.

22 *De officio adsessorum.* Iurisperiti, qui magistratibus adsident, vt eis consilium impertiant, adsessores, vel consiliarij vocantur.

LIBER II.

1 D*E iurisdictione.* Magistratus iurisdictionem habet: iudex pedaneus notionem, infr. de re iudica. l. 5. Episcopus audientiam, C. de Episc. audien. Iurisdictioni coniunctum est imperium mixtum, quod est modica coërcitio, l. 2. & supr. tit. prox. l. 1. §. vlt. l. vlt. §. 1. Ab ea seiunctum est imperium merum, quod est gladij potestas ad animaduertẽdum in facinorosos homines, d. l. 2. Perpetuæ iurisdictionis causa prætor edicta in albo proponebat: de quo per quempiam corrupto agitur in l. 7. & seqq.

2 *Quod quisque iuris in alterũ statuerit,* (cùm magistratu, seu potestate fungeretur, aut à magistratu impetrauerit, l. 1. §. 1. effectu secuto, d. l. 1. §. vlt.) *vt ipse eodem iure vtatur.* si magistratus non dolo malo, sed per imperitiam adsessoris nouum ius dixerit: hoc, non magistratui, sed adsessori nocere debet, l. 2.

3 *Si quis ius dicenti non obtemperauerit*, hoc est, id non

feceri

fecerit;quod extremum eſt in iuriſdictione, tanti damnatur, quanti eius cõtumacia arbitrio ius dicentis æſtimatur,l.vnic.

4 *De in ius vocando.* In ius vocare eſt ad eum qui iuriſdictioni præeſt,experiundi(id eſt,agendi) cauſa vocare, l.1.quod quidem eſt omnium actionum inſtituẽdarum initium,Inſt.de pœna tem.litig.§.vlt.Dico inſtituendarum,non,inſtitutarum : quia iudicium præparatur vocatione in ius , & inchoatur per litis conteſtationem,infr.de li. conteſtat. l. vn.& D. rat. rem hab.l.amplius.15.

5 *Si quis in ius vocatus non ierit , ſiue quis eum vocauerit, quem ex edicto non debuerit.* Duæ ſunt partes huius rubricæ:prior contra vocatum in ius nõ euntem, qui pro iuriſdictione iudicis multatur, l. 2. §. ſi quis. poſterior pro in ius vocato , qui non veniens in ius excuſatur, ſi contra edictum vocatus eſt, vt conſul , præfectus, proconſul,ſupr.tit.prox.l.1.

6 *In ius vocati vt eant , aut ſatis vel cautum dent.* Qui rectè & ſecundum edictum in ius vocatus eſt , aut ire debet,aut cauere iudicio ſiſti. Cauet autem ſtipulanti promittens ſe certa die in iudicio ſtaturum. Cui promiſſioni,ſi accedant fideiuſſores,dicitur ſatiſdatio:ſi iuramentum, iuratoria cautio:ſi neutrum , repromiſſio, ſeu nuda cautio.

7 *Ne quis eum,qui in ius vocabitur, vi eximat* , quò minùs in ius eat.

8 *Qui ſatiſdare coguntur*,datis fideiuſſoribus,(nam hîc pignora non admittuntur,infr.de ſtipul. prætor.l.7.)*vel iuratò promittant* ſe iudicio ſtaturos , *vel ſuæ promiſſioni* (id eſt,nudæ cautioni)*committantur.*

9 *Si ex noxali cauſa agatur , quemadmodum caueatur*,de ſeruo,cuius nomine eſt actio noxalis, exhibendo.

10 *De eo , per quem factum erit,quò minùs quis in iudicio ſiſtat.* Quemadmodum ſi in ius vocatus eat , non eſt ab aliquo eximendus,ſupr.tit.7.ita ſi cauit ſe iudicio ſtaturum,& ſua die ſe ſiſtere velit, non eſt impediendus, quò minùs ſe ſiſtat.

11 *Si quis in iudicio ſiſtendi cauſa factis non obtemperauerit* , id eſt , die, de qua conuenit,ſe iudicio non ſtiterit.

12 *De ferijs,& dilationibus , & diuerſis temporibus.* Feriæ ſunt vacationes à ciuilibus iudiciis, l. 6. ſeu forenſibus negotiis,l.pe. Dilatio eſt diei iudicij diffuſio atque prorogatio,infr.tit.prox.l.2. §. ſi quis iudicio. Tempus vel continuum eſt, quod continenter currit , ne quidẽ diebus feriatis exceptis, C. de dilat.l. 3. vel vtile , de quo deducuntur,ſiue in quod non imputantur dies , quibus id quod faciendum eſt,quauis de cauſa fieri nequit,infr. quis or.in bon.poſſ.ſeru.l.2.

13 *De edendo.* Editur(id eſt, profertur & demonſtratur, l.1.§.1.& C.eo.l.3.)actio,vt ſciat reus , quo iure conueniatur,d.l.1.in prin. & inſtrumentum , quo quis vſurus eſt,vt veritas appareat,C.eo.d.l 3.& l.5.

14 *De pactis.* Vide ſupr.Inſtitutiones,adnot.g.

15 *De tranſactionibus.* Tranſactio eſt deciſio.C.hoc ti.l. 7.l.cùm proponas.17.l. ſub prætextu. 19. cum ſim. non gratuita,C.eo.l.tranſactionem.35.l.tranſactio. 38. de re controuerſa,vel aliter dubia,l.1.putà de fideicommiſſo, cuius conditio pendet,C. eo. l.de fideicommiſſo 11. & de pact.l.1.

LIBER III.

1 *DE poſtulando.* Poſtulare eſt deſiderium ſuum vel amici ſui in iure , apud eum qui iuriſdictioni præeſt exponere, vel alterius deſiderio cõtradicere,l.1.§. poſtulare, & infr.de dam.infec.l.4.§. hoc autẽ. Exponitur ex parte actoris : contradicitur ex parte rei conuenti.Pro ſe poſtulat dominus litis:pro alio aduocatus,tutor,curator,& ſimiles.

2 *De his qui notantur infamia* : propter quam remouentur à poſtulando,ſupr.tit. prox. l. 1. §.ſecundo loco, & §.ſeq.infamia eſt exiſtimationis læſio,C.h.tit.l.ſi furti.8. Exiſtimatio eſt dignitatis illæſæ ſtatus , legibus ac moribus comprobatus , infr. de extraord. cogn. l. pen. §. 1.

3 *De procuratoribus & defenſoribus.* Procurator eſt , qui negotia aliena mandato domini adminiſtrat,l.1.in prin. extra iudicium,vel in iudicio,l.ſeruum.33. in princ.ſiue pro actore, ſiue pro reo interueniens , l. filiusfam. 8. in princ. Defenſor in iudicio pro reo interuenit vel cum mandato, vel ſine mandato:nam defendere eſt eandem vicem,quam reus,ſubire,l. minor. 51. non ſine ſatiſdatione iudicatum ſolui,infr.de iudic.l.rectè. 63. & Inſtit. de ſatiſdat. §.ſi verò aliquis, & §.ſeq.

4 *Quod cuiuſcumque vniuerſitatis nomine, vel contra eam agatur.* Hæc rubr.ex primis edicti prætorij verbis ſumpta eſt,vt multæ aliæ:vniuerſitas eſt corpus ex pluribus perſonis conſtituta , res quaſdam communes habens: vt municipia & collegia. Qui vniuerſitatis negotia gerit,ſyndicus,actor,defenſor , vniuerſitatis magiſter appellatur.

5 *De negotijs geſtis* ſine domini mandato. Hinc datur negotiorum geſtorum actio directa , & contraria, l. 1. & exceptio , l. 3. §. pupillus , l. ſi autem. 8. §. quicumque.

6 *De calumniatoribus.* Qui pecuniam acceperunt, vt alicui negotium facerent , id eſt , lite calumnioſa eum vexarent, vel ne facerent,l.1.in princ.

LIBER IV.

1 *DE in integrum reſtitutionibus.* Reſtitutio eſt in priſtinum ſtatum reductio,infr.ne quid in loc. publ.l.2. §. reſtituas. id eſt , remedium prætorium, quo is , qui contra æquitatem læſus eſt , in priſtinum ſtatum reponitur.

2 *Quod metus cauſa geſtum erit* , ratum prætor non habet.Eſt autem metus,inſtantis vel futuri periculi cauſa, mentis trepidatio, l. 1. Hinc datur,I. Actio quod metus cauſa,arbitraria in quadruplum,l.item ſi cum exceptione.14.§.hæc autem.II. Reſtitutio priſtinæ actionis per metum amiſſæ,l. 9. §. volenti. & §. licet.III. Exceptio metus.d.l.9.§.ſed quod, & Inſtr. de dol. mal.& met. excep.l.4.§.pe.& vlt.& Inſt.de except.§.1.

3 *De dolo malo.* Dolus bonus eſt ſolertia , vt aduerſus hoſtes, vel latrones,l.1.§.non fuit. Dolus malus eſt omnis calliditas,fallacia,machinatio ad circumueniẽdum, fallendum,decipiendum alterum adhibita,d. l. 1.§. dolum.De dolo eſt actio , de qua eſt hic titulus : & exceptio,de qua infr.lib.44.tit.4.

4 *De minoribus viginti quinque annis.* Minor eſt vſque ad horam,qua incipit agere annum vigeſimum ſextum: nam de momento in momentum tempus computatur, l. 3. §. minorem. Reſtitutio datur minori ob lubricum ætatis lapſo , vel per dolum aduerſarij circumuento, l. quòd ſi minor.24.§.1.l.non omnia.44.

5 *De capite minutis.* In eos , qui per minimam capitis deminutionem liberati ſunt , prætor actionem reſtituit, l. 2.

6 *Ex quibus cauſis maiores viginti quinque annis in integrum reſtituuntur.* Hæ cauſæ partim ſpecialiter ſunt in edicto expreſſæ , vt abſentia reipublicæ cauſa ; partim ſub generali illa clauſula continentur , ſi qua alia iuſta cauſa videbitur,l.1.§.1.

7 *De alienatione iudicij* futuri, l. ex hoc edicto. 8. §. 1. *mutandi cauſa facta* , vt durior aduerſarius nobis opponatur. Hinc triplex remedium nobis competit. I. Vtilis actio contra alienantem, perinde ac ſi poſſideret , quia dolus pro poſſeſſione eſt,D.de diuer. reg.iur.l.qui dolo. 131. II. Actio in factum aduerſus alienantem , in id quod intereſt,l.1.in princ.III.Exceptio,l.vlt.

8 *De receptis qui arbitrium receperunt , vt ſententiam dicant.*

dicant. De recepto tenentur, I. Arbitri ex compromisso sumpti, qui arbitrium in se receperũt: æquum est enim, vt sententiam dicere à prætore cogantur, ne decipiantur hi, qui in eum compromiserunt, eique arcana negotij aperuerunt, l. 2. §. 1. I I. Nautæ, caupones, stabularij, de quibus est seqnens titulus.

9 *Nautæ, caupones, stabularij vt recepta restituant.* Hi tenentur, I. De recepto, vt hæc rubr. ostendit. I I. Ex quasi delicto ob damnum datum, aut furtum factum ab his, quos secum habent in naui, aut caupona, ant stabulo, l. penultim. & vltim. Coniun. tit. infr. furti aduers. nau. campo. stabul. Nautæ appellatione hîc significatur exercitor, vel magister nauis, et si nautæ dici possunt quicumque nauigandi causa in naui sunt, l. 1. §. qui sunt. & similiter caupones, vel stabularij dicuntur, qui cauponam vel stabulum exercent, & eorum institores, d. l. 1. §. caupones. Exercitor est, ad quem obuentiones & reditus omnes perueniunt, infr. de exercit. act. l. 1. §. exercitorem. Magister nauis est, cui totius nauis cura mandata est, d. l. 1. §. 1 Institor est, qui negotio gerendo præpositus est, infr. de exercit. action. l. 5. in princip.

DIGESTORVM SEV PANDECTARVM PARS II.

L I B E R V.

Iudicium explicatur
- Generaliter, tit. 1.
- Specialiter, id est,
  - Reale,
    - Vniuersale,
      - Præparatorium, tit. 2
      - Principale, de hereditate,
        - Directum,
          - De tota hereditate, tit. 3.
          - De parte hereditatis, tit. 4.
        - Vtile,
          - Prætorium, tit. 5.
          - Ex senatusconsulto, tit. 6.

L I B E R V I.

    - Speciale, id est, vindicatio
      - Corporis
        - Directa, tit. 1.
        - Vtilis,
          - Publiciana, tit. 2
          - Emphyteuticaria, tit. 3.

L I B E R V I I.

      - Seruitutis: quæ est vel
        - Personalis, vt
          - Vsusfructus. Hîc agitur
            - I. De vsufructu propriè dicto: vbi quatuor considerantur:
              - 1. Ius fructuarij, tit. 1.
              - 2. Ius accrescendi, tit. 2.
              - 3. Cessio diei vsusfructus legati, tit. 3.
              - 4. Amissio vsusfructus, tit. 4.
            - I I. De vsufructu impropriè dicto, tit. 5.
            - I I I. De actionibus, quibus vsusfructus petitur, vel negatur, tit. 6.
            - I V. De fructu quodam, id est, operis seruorum, tit. 7.
          - Vsus. — Habitatio. } tit. 8.
          - Communiter iniungitur his, qui hæc iura habent, vt caueant se iure suo vsuros boni viri arbitratu, eóque finito se possessionem restituturos, tit. 9.

L I B E R V I I I.

        - Prædialis, tit. 1. quę subdiuiditur in
          - Vrbanam, tit. 2.
          - Rusticam, tit. 3.
          - Vtrique autem speciei multa sunt cōmunia, tit. 4. vt
            - Actiones, tit. 5.
            - Interitus, tit. 6.

L I B E R I X.

  - Personale: vt de
    - Pauperie, tit. 1.
    - Damno iniuria dato, tit. 2.
    - Deiectione, vel effusione, tit. 3.
    - Noxis seruorum, tit. 4.

L I B E R X.

  - Mixtum,
    - A re ad factum, id est, ad
      - Distinctionem, tit. 1.
      - Diuisionem
        - Hereditatis, tit. 2.
        - Rerum singularum, tit. 3.
      - Exhibitionem, tit. 4.

L I B E R X I.

    - Ad iudiciũ à facto
      - Non religioso,
        - Iudiciali, vt
          - Interrogatione in iure, tit. 1.
          - Petitione, quæ facit, vt ad eundem iudicem quis mittatur, tit. 2.
        - Extraiudiciali, vt
          - Corruptione serui, tit. 3.
          - Fugitiuo recepto, tit. 4.
          - Alea, tit. 5.
          - Mendacio mensoris, tit. 6.
      - Religioso. Hîc agitur de
        - Religiosis in genere. Sumptu funeris. Funere ducendo. } tit. 7.
        - Mortuo inferendo, Sepulchro ædificando. } tit. 8.

Tituli secundæ partis Digestorum, & in eosdem notæ.

LIBER V.

1 *De iudiciis, & vbi quisque agere, vel conueniri debeat.* Duæ sunt partes huius rubricæ: prior generalis, posterior specialis de foro competenti. Iudicium est legitima cõtrouersię apud iudicem disceptatio; vnde iudex vocatur disceptator. Cic. in partit. *Disceptator rei sententiaque moderator.* rei, id est, litis, vt D. de in integr. rest. l. penultim. in princ. & de inoffic. testam. l. Papinianus, 8. §. 1. & apud Cic. pro Murena, Varronem lib. 6. de lingua Latin. Festum in verbo *Res*. Forum compereos est, vbi quis agere, vel conueniri debet, vel exercendarum litium locus, extr. de verb. signif. c. forus. 10. in princip. vbi *forus* dicitur in genere masculo, quod minùs est vsitatum.

2 *De inofficioso testamento.* Testamentum definitur, inf. qui testam. fac. poss. l. 1. Inofficiosum testamentum est, quod contra officium pietatis factum est, iis ab hereditate exclusis, quibus piè relinqui debet, vt liberis, parentibus, & interdum fratribus, l. 1. 3. 4. 5. & C. eo. l. fratres. 27. Excludi intellige per exheredationem, vel præteritionem, d. l. 3. d. l. 5. §. 1. si præteritio pro exheredatione habeatur, vt facta à matre, vel adscendentibus per lineam maternam, Institut. de exhered. liber. §. vlt. Inofficiosum igitur testamentum dicere, est allegare, quare exheredari vel præteriri non debuerit, d. l. 3. vel docere immerentem se & indignè præteritum, vel exheredatione summotum, d. l. 5. §. 1. De eo datur querela, l. 1. id est, actio, l. 2. l. 7. l. Papinianus. 8. in princ. & passim (quæ etiam accusatio dicitur, l. 6. §. vltim.) vel exceptio, d. l. Papinianus. §. si filius.

3 *De hereditatis petitione:* qua quis petit se declarari heredem, & consequenter bona hereditaria, quæ aduersarius pro herede vel pro possessore possidet, l. regulariter, 6. & C. eo. l. 7. sibi restitui vnà cùm accessionibus personalibus, vt quia possessor rem hereditariam deteriorauit, l. sed etsi. 25. §. petitio. nam actio mixta est, d. l. 7. Pro herede possidet, qui putat se heredem vel bonorum possessorem esse: pro possessore possidet, qui mala fide possidet, sciens se nec heredem esse, nec bonorum possessorem, l. pro herede. 11. & l. seq.

4 *Si pars hereditatis petatur.* Hereditas, cùm sit ius, sup. de diuis. rer. l. 1. §. 1. non recipit partes pro diuiso, infr. t. ptox. l. Pomponius, 8. in fin. sed tantum pro indiuiso, l. 3. §. si ego. & §. seq. Et, nisi testator aliter diuiserit, à lege diuiditur in duodecim vncias, quę omnes simul iunctæ assem efficiant, infr. de hered. instit. l. seruum meum. 50. §. vltim. & Institut. eod. §. hereditas.

5 *De possessoria hereditatis petitione*, quæ datur bonorum possessoribus, propterea quòd iure prætorio pro heredibus habentur, infr. de bon. possess. l. 2. & Inst. eod. vers. quos autem. Missis autem in possessionem ex Carboniano edicto, non datur, infr. de Carbon. edic. l. 3. §. missum.

6 *De fideicommissaria hereditatis petitione*, quæ datur vniuersali fideicommissario, cui hereditas restituta est, l. 1. non contra heredem qui restituit, l. vlt. §. 1. sed aduersos tertium pro herede vel pro possessore possidentem, exemplo directæ & ciuilis petitionis hereditatis.

LIBER VI.

1 *De rei vindicatione.* Rei vindicatio est species vindicationis: nam omnis actio in rem dicitur vindicatio, Inst. de actionib. §. appellamus. rei autem vindicatio est, qua quis se rei corporalis dominum declarari, & consequenter eam sibi restitui petit.

2 *De Publiciana in rem actione*, à Publicio prætore introducta, ei competente, qui rem vsucapere cœpit, necdum vsucapionem absoluit, Inst. de action. §. namque si cui aduersus quemcumque possessorem, excepto vero domino, l. penult. & vltim. Est igitur actio vtilis & potissimum in corporibus locum habet, sed producitur ad seruitutes tam personales quàm prædiales, l. si ego. 11. §. 1.

3 *Si ager vectigalis, id est, emphyteuticarius petatur.* Ager vectigalis siue emphyteuticarius dicitur, quem dominus dedit in emphyteusim, id est, quem in perpetuum, vel ad longum tempus locauit, vtili dominio translato, directo dominio retento. Qui ita conduxit, vocatur emphyteuta, & habet vtilem rei vindicationem quasi dominus. Quæ de agro dicta sunt, eadem in qualibet re immobili locum habent.

LIBER VII.

1 *De vsufructu, & quemadmodum quis vtatur fruatur.* Vsusfructus est ius alienis rebus vtendi fruẽdi salua rerum substantia, l. 1. & Inst. eod. in prin. id est, percipiendi omnes rei fructus, l. 7. in princ. Aliud igitur est vsusfructus, aliud fructus: vsusfructus est ius percipiendi, quod est incorporale: fructus est corpus, quod percipitur, supr. de diuis. rer. l. 1. §. 1. & Inst. de reb. corpor. §. incorporales. & infr. de euiction. l. vaccæ. 43. Interdum tamen fructus accipitur pro vsufructu, l. si Titio. 33. l. dominus, 57. & infr. tit. prox. l. penult. & de vsufr. car. rer. quæ vsu consum. l. tribus 8. & de vsu & habit. l. per seruum, 14. §. 1. & seqq. & de vsu & vsufr. leg. l. vxori, 24. in princip. l. qoi fructus. 25. & de verb. oblig. l. qoi vsumfructū. 58. Fructuarius vel vsufructuarius dicitur, cui hoc ius competit, ac debet vti frui boni viri arbitratu, l. si cuius. 13. & infr. vsufruct. quemad. cau. l. 1. in prin. id est, rectè & tamquam bonus paterfamilias, Institut. de rer. diuis. §. sed si gregis.

2 *De vsufructu accrescendo.* Si pluribus vsusfructus sit legatus, ita vt sint re coniuncti, veluti, *Titio vsumfructum fundi Tusculani do lego, Seio eundem vsumfructum do lego:* vel re & verbis coniuncti: veluti, *Titio & Seio vsumfructum fundi Tusculani do lego:* portio repudiantis vel quoquo modo amittentis non redit ad proprietatem, sed confructuario accrescit, l. 1. in princ. & §. penult. Sed si testator partes fecerit, veluti, *Titio & Seio vsumfructum fundi Tusculani pro æquis partibus, do lego,* quo casu dicuntur verbis tantum coniuncti, ius accrescendi cessat, & amittentis portio ad proprietatem reuertitur, d. l. 1. in princip. & §. vltim. & l. 3. in princip.

3 *Quando dies vsusfructus legati cedat.* Dies legati cedit, cùm incipit deberi, inf. de verb. signif. l. cedere diem 213. quod in vsofructu legato tunc accidit, cum hereditas adita est, l. vn. §. dies. nisi conditio legato adscripta sit, ante quam existentem dies non cedit, inf. quan. dies lega. ced. l. 5. §. sed si sub conditione.

4 *Quibus modis vsusfructus, vel vsus amittitur.*

5 *De vsufructu earum rerum, quæ vsu consumuntur, vel minuuntur.* Aliæ res in vsu consistunt, aliæ in abusu illarum substantia salua manet, nec vtendo perit: harum substantia salua non manet; sed aut consumitur, vt vini, olei, frumenti: aut minuitur, vt vestimentorum, quæ paulatim atteruntur. In illis cõstituitur vsusfructus propriè dictus, ita vt fructuarius non habeat proprietatem, & finito vsufructu restituat idem corpus: harum alia ratio est; nam quæ vsu consumuntur, non recipiunt vsumfructum, sed quasi vsumfructum, fructuario proprietatem consequente; nec idem corpus, sed eandem quantitatem restituente: quæ verò vsu minuuntur, vtroque modo in vsumfructum cadunt: nam si spectentur vt corpora, ita vt idem corpus sit restituendum, recipiunt verum vsumfructum, si vt quantitates, ita vt idem genus, vel æstimatio restitui debeat,

dicimus

dicimus earum esse quasi vsumfructum, supr.de vsufr. l.sed & si quid.15.§.vestimentorum. & Inst. eo. §. constituitur,& infr.vsufr.quemad. cau.l.vsufru.9.§.pen.

6 *Si vsufructus petetur, vel ad alium pertinere negetur.* Debitus vsufrusctus,vt quia promissus, nondum constitutus est, petitur actione personali, vt ex stipulatu;constitutus vindicatur actione confessoria, sed asserenti sibi plenam proprietatem, datur actio negatoria, qua vsumfructum negans,libertatem rei suæ vindicat. Verbum petendi in hac rubr. propriè accipitur: quia peti propriè dicitur,cùm in rem agitur, infr.de oblig.& act.l.actio in personam.28.

7 De *operis seruorum.* Opera est diurnum officium,infr. de oper.libert.l.1. in quo fructus serui cōsistit,l.4.in pr.

8 *De vsu & habitatione.* Vsus est ius vtendi, non etiam fruendi rebus alienis salua earum substantia. Habitatio est facultas habitandi in ædibus alienis, magis in facto, quàm in iure consistens,supr.de cap.min.l.penultim.

9 *Vsufructuarius quemadmodum caueat.* Hic titulus est, de cautione prętoria,quam pręstat is,qui vsumfructum, vel aliud simile ius habet. Vsufructuarius cauet se vsurum fruiturum boni viri arbitratu, & finito vsufructu restituturum, quod inde extabit,l.1.in princ. vsuarius similiter cauet, sed de vsu tantum, non de fructu; l.5.§.1.similis est aliorum ratio.

LIBER VIII.

1 De *seruitutibus*, Prædialibus, secundum quas prædium seruit alterius prædio. hîc enim obtinet regula, Nemini res sua seruit, infr.tit.prox.l.in re. 26. & si serui vindic. l.sicut.8.§.penult.In omni igitur seruitute spectantur duo prędia:alterum superius seu dominans;alterum inferius seu seruiens, respectu dominantis dicitur ius: respectu seruientis appellatur seruitus, supr. de diuis. rer.l.1.in fin.& Instit.de reb.corporal.in fi.

2 De *seruitutibus prædiorum vrbanorum*: quæ à prædio siue rustico siue vrbano debentur prædio vrbano. Prædium vrbanum est omne ædificium habitandi causa extructum:reliqua omnia prædia rustica sunt.

3 *De seruitutibus prædiorum rusticorum*: quæ à prædio siue vrbano siue rustico debentur prædio rustico.

4 *Communia* de seruitutibus *prædiorum tam vrbanorum, quàm rusticorum.*

5 *Si seruitus vindicetur*, actione confessoria, *vel ad alium pertinere negetur* actione negatoria, quæ libertas prædij vindicatur, consequenter eius seruitus negatur. Confessoria datur domino prædij dominantis;negatoria domini prædij,quod alius seruire contendit.

6 *Quemadmodum seruitutes amittantur.*

LIBER IX.

1 Si *quadrupes pauperiem fecisse dicatur.* His verbis sumptis à primis verbis edicti significatur actio noxalis de pauperie, introducta per legem duodecim tabularum, l.1.in princip.& Instit. eo.in princip.nam prætor etiam ciuiles actiones in edicto proponit, d.l.1.§. ait prætor. Pauperies est damnum sine iniuria facientis datum: quoniam animal brutum, quod ratione caret, videri non potest iniuria facere, d. l. 1. §. ait prætor. & Instit.eod. §. pauperies. Noxalis actio est, quia dominus quadrupedem noxæ dedendo liberatur, d. l. 1. in princip.

2 *Ad legem Aquiliam*: de damno per iniuriam, id est, per dolum vel culpam dato, Instit.h. t. §.illud.Hæc lex est plebiscitum,l.1.§.1.

3 *De his qui effuderint* aliquid liquidum,vt aquam,seu liquefactū,vt plumbum;*vel deiecerint*,aliquid solidum, vt lapidem, datur actio prætoria in factum accommodata ad legem Aquiliam:adeoque dicitur vtilis Aquilia, l.5.§.cùm autem.

4 *De noxalibus actionibus*: quæ in dominum ex priuatis seruorum delictis competunt, ita vt in domini arbitrio sit, vtrum malit litis æstimationem soluere, an seruum, qui deliquit, noxæ dedere.

LIBER X.

1 De actione *finium regundorum*: qua confines agri distinguuntur,terminis per iudicem constitutis.

2 De actione *familiæ erciscundæ*,id est,hereditatis inter coheredes diuidundæ.

3 De actione *communi diuidundo*: qua res singulæ inter eos, quibus sunt communes, diuiduntur; adeo vt ex partibus pro indiuiso constitutis fiant partes pro diuiso.

4 De actione *ad exhibendum*, qua rem sibi exhiberi petit is,cuius pecuniariter interest, l. penult. Exhibere est facere in publico potestatem, vt ei qui agat,experiundi sit copia,l.2.

LIBER XI.

1 De *interrogationibus in iure* (vel in iudicio l.4.§.1.) *faciendis, & interrogatoriis actionibus*, in quarum gratiam olim fiebant interrogationes:sed hę actiones in desuetudinem abierunt, & probationis tantùm causa interrogationes adhibentur, l.1.§.1.

2 *De quibus rebus ad eundem iudicem eatur.* vt de rebus communibus diuidendis iudicio familiæ erciscundæ, vel communi diuidundo,l.1.

3 De *seruo corrupto*, qui ex bono malus, vel ex malo deterior factus est, l. 1. §.sed verum. nam hîc agitur de mente corrupta, vt in lege Aquilia de corpore corrupto. Simul etiam tractatur de seruo recepto, d. l. 1, in princip. Recipere dicitur, qui suscipit seruum alienum ad se, & refugium abscondendi causa præstat., d. l. 1. §.quod autem.

4 De *fugitiuis*. Fugitiuus ab errone propriè loquendo distinguitur: quoniam erro non fugit, sed sine causa vagatur, & tempore in res nugatorias consumpto, serius domum redit: fugitiuus autem discedit animo nō redeundi ad dominum,inf.de ędil.edic.l.quid sit fugitiuus. 18.§.1.& §.erronem.Sed hîc appellatione fugitiui etiam erro continetur,l.1.§.fugitiuum.Ergo hîc potest accipi definitio Labeonis dicentis erronem esse pusillum fugitiuum, & contrà,fugitiuum esse magnum erronem,d.l.quid sit fugitiuus.§.erronem.


5 De *aleatoribus*. Alea est ludus, cuius euentus pendet ex casu fortuito. Alea prohibetur senatusconsulto,l.2.§.1. Edicto autem prætoris punitur, qui domum ludendi causa præbet,& qui ludere cogit, l.1.in princip.

6 *Si mensor falsum modum dixerit* dolo malo, l. 1. §. 1. in eum dat prætor actionem in factum in id quod interest,d.l.1.in princip.l.3.§.1.l.5.§.1.

7 *De religiosis,& sumptibus funerum,& vt funus ducere liceat.* Religiosus locus fit illatione mortui ab eo facta, qui ius inferendi habet, vel per se,vt, quia est loci dominus, vel alterius concessione, vt cùm quis domino permittente infert,sup.de diuis.rer.l. 6.§.penult.Qui in funus ad alium pertinens, l. & si quis. 14.§.vlt.impensas animo repetendi fecit, d.l.& si quis.§.sed interdum. nisi aliam actionem habeat, actione funeraria sumptus repetit,d. l.& si quis,§. Labeo.semper autem omnibus creditoribus prefertur,l.penult. Vt funus ducere liceat, ad curam magistratus pertinet,l.ne corpora.38.

8 *De mortuo inferendo,& sepulchro ædificando.* Hoc titulo proponuntur duo interdicta prohibitoria. I. Ne ius fiat inferenti mortuum, quò inferendi ius habet,l.1. in princip quo omisso potest vim facienti cedere,deinde in factum in eum agere in id quod sua interest, supr. tit. prox. l. liberum. 9. II. Ne vis fiat ædificanti sepulchrum,d.l.1.§.prætor ait. Sepulchrum est, vbi corpus ossáve hominis condita sunt, supr. tit. proxim. l. 2. §. sepulchrum.

DIGESTORVM SEV PANDECTARVM PARS III.



Tituli tertiæ partis Digestorum, adiunctis notis.

LIBER XII.

1 **D**E *rebus creditis, si certum petetur, & de condictione.* Prima huius rubricæ verba, *De rebus creditis*, sunt generalia, & toti huic tertiæ parti cõmunia, l. 1. quibus indicatur agi in præsentia de contractibus, quatenus ex eis dantur actiones creditoribus: nam de exceptionibus, quibus debitores se tuentur, posteriùs tractabitur in calce sextæ partis. Verba, *si certum petetur*, sunt huius tituli propria, ex edicto prætoris sumpta, & sunt actionis nomen, qua certum petitur, supr. de interrog. l. 1. & infr. de condict. tritic. l. 1. Eadem vocatur condictio, quia est actio in personam: ideoque in hac rubrica additur, *& de condictione*. Appellatur etiam certi condictio, quia rem certam persequitur, l. certi. 9. in princip. Certum est, quod apparet, quid, quantum, & quale sit, l. 6. & infra de verb. oblig. l. stipulationum. 74. §. 1. & l. seq. veluti quod mutuò datur. Mutui materia sunt res constantes numero, pondere, vel mensura: forma est, vt numerando, adpendendo, vel metiendo dentur, id est, accipientis fiant. Finis & effectus est, vt accipiens tantumdem ex eodem genere & eiusdem bonitatis, statuto tempore reddat, Instit. quib. mod. re contrah. oblig. in princ.

2 De *iureiurando siue voluntario, siue necessario, siue iudiciali.* Iusiurandum est diuini numinis adsumptio ad id confirmandum, quod asseritur. Voluntarium est, quod extra iudicium ex conuentione partium præstatur. Necessarium est, quod à lege imponitur. Iudiciale, quod in iudicio defertur, vel refertur.

3 De *in litem iurando.* Iusiurandum in litem est, quo actor iudice deferente, l. 4. §. 1. propter rei conuenti non restituentis vel non exhibentis dolum seu contumaciam æstimat quod sua interest, l. 2. §. 1. Est igitur species iurisiurandi iudicialis.

4 *De con*

4 *De conditione causa data, causa non secuta.* Hæc actio est ex promutuo, hoc est, de eo quod prærogatum est, ac datum in antecessum, *payé par auance.* In Codice vocatur condictio ob causam datorum: hic autem, condictio causa data, causa non secuta, à primis (vt probabile est) edicti prætorij verbis, quæ videntur ita fuisse concepta, *Causâ* (id est, ob causam futuram honestam) *data, causa non secuta* (id est, si ea causa secuta non sit) *repetere volenti condictionem dabo.* Agitur hoc titulo etiam de promisso ob causam, l. si donaturus 9. §. 1. & C. eod. l. 4.

5 *De conditione ob turpem, vel iniustam causam.* Turpis causa est futura, veluti ne homicidium fiat, l. 2 in princ. Iniusta causa est præterita, vt stipulatio per vim extorta, l. 7.

6 *De conditione indebiti,* ab eo qui falsò putabat se debere, soluti, l. 1. l. quod quis. 50. & C. eo. l. indebitum. 9. in princip. & infr. de diu. regul. iur. l. cuius per errorem 53. vel promissi, l. is cui. 31. per errorem, non iuris, sed facti, C. de iur. & fact. ign. l. cùm quis. 10. & ad leg. Falcid. l. error. 9.

7 *De conditione sine causa.* Sine causa dicitur, siue causa nulla fuit, siue secuta non sit, siue finita sit: hæc igitur condictio cum superioribus concurrit.

LIBER XIII.

1 *De conditione furtiua.* Hæc actio persequitur rem surreptam, vt actio furti persequitur pœnam.

2 *De conditione ex lege* noua, (id est, legibus duodecim tabularum posteriore, supr. de eap. min. l. 7. in princip.) actionem dante, neque cauente, quo genere actionis experiri oporteat, l. vnic.

3 *De conditione triticaria.* Hæc actio est arbitraria, quia iudicis arbitrio res petita æstimatur, habita ratione loci, & temporis: vnde, quia pecunia non æstimatur, sed æstimat alias res, in hanc actionem aliæ res veniunt præter pecuniam numeratam, l. 1. Cur autem dicatur triticaria, parum constat.

4 *De eo quod certo loco dari oportet.* Hoc si ex causa bonæ fidei debeatur, quouis loco (modo sit forum competens) peti potest: si ex causa stricti iuris, alio loco quàm quo solui debuit, peti non potest, nisi adiecta loci mentione fiat ex actione stricti iuris actio arbitraria, vt arbitrio iudicis æstimetur quanti intersit actoris, vel rei suo potiùs quàm alio loco solui.

5 *De pecunia constituta.* Pecuniæ appellatione omnes res significantur, C. h. t. l. 2. §. & neminem. Constitutum est nuda cõuentio de pecunia debita, vel eius vice alia re intra certum tempus soluenda, vnde datur actio prætoria, Instit. de act. §. in personam. quæ vocatur constitutoria, l. nec enim. 20. vel de constituta pecunia, l. si post. 21. cum sim.

6 De actione *commodati* directa, *vel contrà,* id est, contraria. Illa datur commodatori contra commodatarium; hæc commodatario contra commodatorem. Commodatum est contractus, supr. de pact. l. 7. §. 1. quo res ad certum vsum traditur gratis, Instit. quib. mod. re contrah. oblig. §. item is cui. vt eo finito, l. in commodato. 17. §. sicut. eadem species restituatur, supr. de reb. cred. l. 2. in princ.

7 *De pigneratitia actione* directa, *vel còtrà,* id est, contraria. Illa debitor postquam creditori satisfecit, pignus repetit, l. si rem alienam. 9. § omnis. & Inst. quib. mod. re contr. obl §. vltim. hæc creditori aduersus debitorem competit, l. si necessarias. 8. in princip. & d. l. si rem alienam, in princip. purà si ab eo deceptus sit in pignore dando, l. 1. §. vltim. vtraque est ciuilis, supr. de pact. l. 7. §. sed etsi in alium. personalis, C. de distract. pign. l. vlt. hypothecaria verò, qua creditor possessionem pignoris persequitur, est prætoria in rem, infr. de pignor. l. pignoris 17. & C. eod. l. pignoris. 18. & Instit. de actionib. §. item Seruiana.

LIBER XIV.

1 *De exercitoria actione.* Qua exercitor tenetur ex contractu magistri, l. 1. in prin. & §. penultim. eius rei nomine, in quam magister datus est, d. l. 1. §. non autem. Exercitor est, ad quem quotidianus nauis quæstus peruenit, l. 1. §. exercitorem. Magister nauis est, cui totius nauis cura incumbit, d. l. 1. §. magistrum nauis.

2 *De lege Rhodia de iactu.* Hac lege, quã Romani à Rhodijs acceperunt, cauetur, vt si iactu mercium nauis seruata sit, omnium, quorum interfuit iactum fieri, contributione sarciatur, quod pro omnibus factum est, l. 1.

3 *De institoria actione.* Quæ ea contractu institoris in eum datur, à quo tabernæ seu negotiationi præpositus est, l. 1. & Inst. quod cum eo. §. eadem. dummodò eius rei nomine, cui fuit præpositus, contraxerit, l. 5. §. non tamen, l. pen. §. vlt.

4 *De tributoria actione.* Qua filijfamiliâs, aut serui in peculiari merce, sciente patre vel domino, negotiantis creditor petit, vt quod in mercibus peculiaribus est, inter se & alios creditores (inter quos est etiam ipse pater, vel dominus) pro rata portione distribuatur: & si dolo malo patris, vel domini factum est, quò minùs tribueretur, id præstetur, l. 1. in princip. & §. scientiam. l. 5. §. vltim. & Instit. quod cum eo, §. introduxit.

5 *Quod cum eo, qui in aliena potestate est,* (id est, seruo, aut filiofamilias) *negotium gestum esse dicetur.* Hunc titulum generaliter pertinere ad contractus filiorumfamilias, & seruorum, constat ex Instit. lib. 4. tit. 7. Ex his causis datur in patrem vel dominum actio de peculio, de in rem verso, quod iussu, de quibus dicetur libro seq. & ex causa negotiationis, exercitoria, institoria, tributoria, de quibus suprà. Seruus conueniri nequit. In filiumfamilias datur actio directa, quæ emancipatione perimitur, sed à prætore vtilis restituitur causa cognita in quantum facere potest: quam actionem similiter dat in eum, qui patri non successit, siue à patre exheredatus fuerit, siue bonis paternis abstinuerit, l. 2.

6 *De senatusconsulto Macedoniano.* quod odio Macedonis fœneratoris factum, denegat actionem ei, qui filiofamilias pecuniam credidit, l. 1. in princ. & heredi eius, l. 7. §. non solùm. siue contra ipsum mutuatum, siue contra eius patrem, vel contra fideiussorem, vel contra heredem agere velit, d. l. 7. §. quamquàm. l. sed si paterfamilias. 9. §. non solum. exceptis certis casibus, veluti si pater ab initio consensit, vel postea ratum habuit, aut si in rem patris versum est, d. l. 7. §. proinde. & C. eo. l. 2. cum sim.

LIBER XV.

1 *De peculio.* Peculium est quasi pusillum patrimonium filiifamilias, aut serui. Actio de peculio est, qua pater vel dominus ex contractu aut quasi contractu eius, quem in potestate habet, conuenitur, & peculio tenus condemnatur, Inst. de act. §. actiones. & §. sunt propterea. In peculium imputatur, quod dominus seruo, pater filio naturaliter debet, l. 7. §. pen. & de eo deducitur, quod patri vel domino debetur, l. sed si damnum. 9. §. peculium. Inst. quod cum eo §. præterea. vers. cum autem.

2 *Quando de peculio actio annalis est.* Quãdiu is qui contraxit, est in patria vel domini potestate, tãdiu actio de peculio perpetua est: soluta autem potestate fit actio annalis

annalis, l. 1. in princ. id est, anno vtili terminatur, d. l. 1. §. annus.

3 *De in rem verso*, id est, in patris vel domini vtilitatem. Actio de in rem verso, si concurrat cum actione de peculio, est eius pars, Instit. quod cum eo. §. prætetea, quia quod in rem patris vel domini versum est, patrem vel dominum naturaliter obligat filio vel seruo, consequenter peculium auget, vt supr. dictum fuit ad tit. de peculio. sed & ea finita, quia interdum est annalis, vt superiori titulo fuit expositum, nihilominùs hæc competit, quippe quæ semper est perpetua, l. 1. §. 1.

4 *Quod iussu*. Qui iussit filium aut seruum suum contrahere, tenetur ea eius persona actione prætoria quod iussu, & ex sua persona tenetur actione directa, quasi ipse contraxerit, Inst. quod cum eo §. vlt. Iussus hic latissimè accipitur, vt quemcumque consensum complectatur, atque adeo etiam mandatum, auctoritatem, & ratihabitionem, l. 1. §. 1. §. sed & si mandauerit, §. sed & si ratum. sed propriè loquendo, mandamus faciendum ei qui non est in nostra potestate: iubemus faciendum ei qui est in nostra potestate: auctores sumus, dum quid fit: ratum habemus, quod anteà factum fuit.

LIBER XVI.

1 *Ad S.C. Velleianum*: ex quo datur exceptio mulieri, quæ pro alio intercessit.

2 *De compensationibus*. Compensatio est debiti & crediti inter se contributio, l. 1. quæ obligationem in quantitate concurrente perimit ipso iure, Instit. de actionib. §. in bonæ fidei.

3 De actione *depositi directa, vel contra*, id est, actione depositi contraria. Depositum est contractus, D. de pact. l. 7. §. 1. quo res gratis, Institut. de locat. §. vltim. custodienda traditur, l. 1. in princip. sub fide restituendi eandem speciem, supr. de reb. cred. l. 2. in princip. quotiescumque reposcetur, l. 1. §. est autem. Hinc actio directa datur deponenti, l. bona fides. 31. §. incurrit. contra depositarium, l. 1. §. si apud duos. contraria datur depositario, l. 5. io princip. aduersus eum qui deposuit, infr. de furt. l. si seruus communis. 61. §. quod verò.

LIBER XVII.

1 De actione *mandati directa, vel contrà*. Mandatum definiui, Institut. lib. 3. tit. 26. Hinc directa actio datur domino contra procuratorem, in id quod interest, C. hoc tit. l. ad comparandas. 16. & contraria, procuratori contra dominum, ad repetendas impensas bona fide factas, l. si quis alicui. 27. §. penult. & si quid præterea procuratori interfit, vt à domino indemnis seruetur, l. si mandassem. 15.

2 De actione *pro socio*, quæ ex societate vltrò, citróque competit, & est vtrimque directa, infr. de pœna tem. litig. §. ex quibusdam. Societatem definiui Institut. lib. 3. tit. 25.

LIBER XVIII.

1 *De contrahenda emptione* & venditione, *& de pactis inter emptorem & venditorem compositis, & quæ res venire non possunt*. Definitionem attuli Instit. lib. 3. tit. 23. Addi solent huic contractui varia pacta, quæ contractum informant, & reformant pro contrahentium libitu, sup. de pact. l. 7. §. quin immo, & §. seq. sed contractus non valet, nisi vendantur, quæ vendi possunt, id est, quæ sunt in commercio, l. si in emptione. 34. §. 1.

2 *De in diem addictione*. Res in diem addicitur emptori, veluti, *Fundus Tusculanus tibi emptus esto centum aureis, nisi alius intra mensem meliorem conditionem attulerit*, & modò est contractus conditionalis, qui perficitur nemine meliorem conditionem intra tempus de quo conuenit, offerente: modò est purus, qui sub conditione resoluitur alio meliorem conditionem offerente, l. 2. §. & 2.

3 *De lege commissoria*. Lex est pactum, quod in contractu inest. Lex cōmissoria, de qua hîc agitur, est pactum venditioni adiectum, vt nisi pretium intra statutum tempus soluatur, res fit inempta, l. 4. Alia est lex commissoria in pignore, vt nisi debitum intra certum tempus soluatur, pignus creditori emptum sit: quæ à Constantino sublata est, C. de pact. pign. l. vltim.

4 *De hereditate, vel actione vendita*.

5 *De rescindenda venditione, & quando liceat ab emptione discedere*. Dici potest venditor rescindere venditionem, emptor discedere ab emptione. Sed placet recepta huius rubricæ expositio, rescindi per iudicem, altera parte petente, & altera inuita: discedi sine iudice, vt mutuo partium consensu re integra.

6 *De periculo, & commodo rei venditæ*. Ante perfectam venditionem, rei commodum & periculum ad venditorem spectat post eam perfectam, ad emptorem pertinet, dummodò venditor dolo & culpa careat, l. necessario. 8. in princip. & Institut. de contra. empt. §. cum autem.

7 *De seruis exportandis, vel si ita mancipium venierit, vt manumittatur, vel contra* ne manumittatur. Hoc titulo cōsiderantur tria pacta venditioni seruorum adiecta. I. Vendo tibi seruum hac lege, vt exportes io aliam prouinciam. II. Vendo tibi seruum hac lege, vt manumittas. III. Vendo tibi seruum hac lege, ne manumittas.

LIBER XIX.

1 *De actionibus empti & venditi*. Empti actio datur emptori aduersus venditorem, l. ex empto. 11. in princip. Vendiri actio datur venditori contra emptorem, l. Iulianus. 13. §. ex vendito.

2 *Locati conducti*. Definitionem proposui Inst. lib. 3. tit. 24.

3 *De æstimatoria actione*. Sic scriptum est in indice Pandectis Florentinis præfixo: sed hîc deest verbum *actione*, quod facile subauditur. Rem æstimatam vendendam tibi do hac lege, vt vel rem, vel æstimationem mihi restituas, hinc dubitatum est, quæ actio competeret: ac dubitationis tollendæ causa placuit dari actionem æstimatoriam, quæ est species actionis præscriptis verbis, l. 1. Alia est actio æstimatoria, quæ etiam vocatur quanto minoris, infr. de ædil. edic. l. si quid venditor. 18. in princip.

4 *De rerum permutatione*. Permutatio est contractus innominatus, l. 1. §. item emptio. id est, contractus do vt des, ex quo is qui contractum impleuit ab eo qui non impleuit, aut petiit quod sua interest actione præscriptis verbis, aut datum repetit condictione ob causam, l. 5. §. 5.

5 *De præscriptis verbis, & in factū actionibus*. Actio præscriptis verbis est incerti actio ciuilis, l. permisisti. 16. & sup. de pact. l. 7. §. sed etsi in aliū, id est, incerti cōdictio, infr. de precar. l. duo. 19. §. vltim. in id quod interest, l. 5. §. 1. cum sim. quæ competit ex contractibus nominaris pacto informatis, sup. de contrah. emp. l. Labeo. 50. & de rescin. vend. l. 6. & C. de pact. inter emp. l. 2. vel innominatis, l. 2. 3. vel dubiis & incertis, supr. de æstim. act. l. 1. in princip. In factum actio vel est ciuilis, vt præscriptis verbis. l. 1. in princip. & vtilis Aquilia, supr. ad leg. Aquil. Litem si obstetrix. 9. §. si quis hominem, l. quemadmodum. 29. §. penultim. vel prætoria, quæ subdiuiditur in decretalem, cuiusmodi in Digestis proponuntur quamplurimæ; & edictalem, quæ à prætore viuo ex bono & æquo decernitur, cessantibus omnibus scripti iuris remediis.

DIGESTO

DIGESTORVM, SEV PANDECTARVM PARS IV.

In quarta parte explicantur

- Accessiones cõtractuum personaliũ supr. expositorum: quæ sunt quinque:

LIBER XX.

  - I. Pignora & hypothecę. Hic agitur
    - 1. De pignoribus contrahendis
      - Expressè, tit. 1.
      - Tacitè, tit. 2.
    - 2. De rebus, quæ pignori datæ non obligantur, tit. 3.
    - 3. De effectibus pignorũ cõtractorum. Duo effectus hic considerantur:
      - 1. Ius prælationis, tit. 4.
      - 2. Facultas vendendi pignoris, tit. 5.
    - 4. De pignoribus dissoluendis, tit. 6.

LIBER XXI.

  - II. Actiones ædilitiæ,
    - Redhibitoria.
    - Quanto minoris, siue æstimatoria.
    - Io eum, qui quà vulgò iter fit, animal ita habet, vt nocere possit. — tit. 1.
    - De euictione, tit. 2. Hæc actio interdum concurrit cum exceptione rei venditæ & traditæ, tit. 3.

LIBER XXII.

  - III. Vsuræ, fructus, & aliæ accessiones; & mora, tit. 1. & 2.
  - IV. Probationes, & præsumptiones, tit. 3.
    - Probatur autem per
      - Instrumenta, tit. 4.
      - Testes, tit. 5.
  - V. Iuris, vel facti ignorantia, tit. 6.

LIBER XXIII.

- Contractus personales: quales sunt
  - Sponsalia, tit. 1.
  - Nuptiæ, quæ cõsiderantur quatenus sũt
    - Contrahendæ, tit. 2.
    - Cõtractæ. Harum effectus spectantur circa
      - Dotem: de qua agitur
        - Generaliter, tit. 3.
        - Specialiter quod ad
          - Pacta dotalia, tit. 4.
          - Fundum dotalem, tit. 5.

LIBER XXIV.

      - Donationem inter coniuges factam, tit. 1.
    - Dissoluendæ, tit. 2.
    - Dissolutæ. Hic cõsiderantur septem effectus, qui spectantur in
      - Restitutione dotis, tit. 3.

LIBER XXV.

      - Impensis à marito in res dotales factis, tit. 1
      - Rebus amotis, tit. 2.
      - Adgnoscendis & alendis liberis, tit. 3.
      - Inspiciendo ventre.
      - Costodiendo partu. — tit. 4.
      - Missione in possessionem ventris nomine, tit. 5. 6.
  - Concubinatus, tit. 7.

LIBER XXVI.

  - Tutela, cui affinis est curatio. Hic agitur de tutela vel curatione
    - Minorum. Hic tractatur
      - 1. De constituenda tutela, tit. 1.
        - Testamentaria, tit. 2. 3.
        - Legitima, tit. 4.
        - Datiua, tit. 5. 6.
      - 2. De officio tutorum & curatorum, quod spectatur in
        - Administratione, tit. 7.
        - Auctoritate præstanda, tit. 8.
      - 3. De effectu eius, quod à tutore vel curatore gestum est, tit. 9.
      - 4. De dissolutione tutelæ propter
        - Suspicionem, tit. 10.

LIBER XXVII.

        - Excusationem, tit. 1.
      - 5. De officio iudicis, quod spectat vel
        - Ad personam pupilli, tit. 2.
        - Ad actiones personales, quæ dantur
          - Pupillo vel minori contra tutorem vel curatorem, tit. 3.
          - Tutori vel curatori cõtra pupillum seu minorem, tit. 4.
          - Ex eo, quod falsus tutor seu curator egit, tit. 5. 6.
          - Contra fideiussores, & nominatores, & heredes tutorum vel curatorum, tit. 7.
          - Contra magistratus, tit. 8.
        - Ad res minorum, & actionem realem, tit. 9.
    - Furiosorum, & aliarum personarum, tit. 10.

Tituli quartæ partis explicati.

LIBER XX.

1 *De pignoribus & hypothecis, & qualiter ea contrahantur, & de pactis eorum.* Pignus & hypotheca hoc vigesimo libro pro codē accipiuntur, & ἐκ παραλλήλου, vt tantum in voce, non in significatione sit discrimen, l. 5. §. 1. quia respicitur ad actionem Seruianam, siue hypothecariam, in qua hæc promiscuè sumuntur, Institut. de actionibus §. item Seruiana. Alia ratio est actionis pigneratitiæ expositæ supr. lib. 13. tit. 17. quæ datur tantum de pignore propriè dicto, id est, re contracto, Institut. quib. mod. re contrah. oblig. §. vltim. non de hypotheca, quæ nudo pacto obligatur, l. 4.

2 *In quibus causis pignus vel hypotheca tacitè* (id est, tacito pacto) *contrahitur.* His omnibus casibus est hypotheca, nec dici potest pignus, nisi latè sumpto vocabulo. Tacitum pactum est, quod præsumptione legis inducitur, vt supr. de pact. l. 2. 3. 4.

3 *Quæ res pignori vel hypothecæ datæ obligari non possunt.* Vel quia non sunt in commercio, vt res sacræ: vel quia non sunt in commercio eius qui pignori accipit, veluti si Iudæus mancipium Christianum pignori accipiat: vel quia persona, quæ pignori dat, non potest pignetare, vt pupillus sine tutore, l. 1. & sup. de pignor. l. sed & quod. 9. §. 1. & C. ne Christia. mancip. l. 1.

4 *Qui potiores in pignore vel hypotheca habeantur.* Si pluribus creditoribus eadem res obligata sit, omnes æquè concurrunt, nisi quis probetur potior vel ob causæ priuilegium & fauorem, vt mulier dotem repetens, C. hoc tit. l. vlt. vel ratione temporis, id est, quia prior contraxit, l. 2. & C. eod. l. 2. & 4. vel primo creditori soluit & in eius locum successit, vt tertius creditor primo soluens præfertur secundo, l. creditor. 12. §. à Titio. & C. de his qui in prior. credit. locum succed. l. 3. Tempus cedit causæ. Priuilegiarius creditor alteri priuilegiario non præfertur, nisi ob prioritatem temporis, C. de priuil. fisc. l. 2. vel maiorem fauorem, C. de prim. l. 2.

5 *De distractione pignorum vel hypothecarum*, à creditore facienda, vt ex pretio debitum retineat, l. creditoris 8. & si quid debitum maneat, à debitore petat actione personali, l. quæsitum. 9. & C. eod. l. 3. si quid autem in pretio superfit, debitori restituat, C. eo. l. vltim.

6 *Quibus modis pignus vel hypotheca soluitur.*

LIBER XXI.

1 *De ædilitio edicto, & redhibitione, & quanti minoris.* Edictū ædilitium est, quod ab Ædilibus curulibus de quibusdam causis propositum est, Institut. de iur. natur. §. prætorum. id est, de redhibitione, l. 1. §. 1. & l. ædiles 38. vers. si iumenta. de actione quanti minoris seu quanto minoris, d. l. ædiles, in princip. de eo, qui quà vulgò iter fit, animal ita habet, vt nocere possit, l. hi enim 40. & ll. seqq. & de duplæ stipulatione ob euictionem præstanda, infr. tit. prox. l. emptori duplam, 37. §. 1. Redhibitio dicitur, quasi redditio, quia reddendo fit, vt rursus habeat venditor, quod ante venditionem habebat, l. redhibere 21. in princ. cum sequenter emptor pretium recipit, adeo vt tam emptor, quàm venditor in integrum restituatur, l. cùm autem. 23. §. Iulianus. & perinde habeatur, ac si emptio & venditio facta non fuisset, l. facta. 60. Quare actio redhibitoria potissimū datur emptori aduersus venditorem ob vitium mācipij venditi celatum, vel quia tale non est, quale venditor dixit, d. l. 1. §. 1. vel quia venditor de his quæ edicto continentur, emptori cauere non vult, l. si venditor. 28. datur tamen etiam emptori contra venditorem, l. item si ferui. 30. in princip. Actio quanto minoris, quæ etiam æstimatoria vocatur, l. si quid venditor, 18. in princip. datur emptori aduersus venditorem, vt tantum recipiat, quanto minoris emisset, si rei vitium sciuisset, aut nisi venditori rem commendanti fidem habuisset, l. quoties. 61. In eum verò qui quà vulgò iter fit, animal periculosè habuit, si homo liber ex ea re perierit, in ducentos aureos: si aliter homini libero nocitum sit, quanti bonum æquum iudici videbitur: ob alia damna in duplum actio datur, l. hi enim. 40. & ll. seqq.

2 *De euictionibus, & duplæ stipulatione.* Euincere est per iudicem rem auferre, l. non tamen. 24. quocumque iudicij genere, l. si mancipij. 34. §. 1. præsertim rei vindicatione, infr. de diu. reg. iur. l. quod euincitur. 190. Emptor re euicta regressum aduersus venditorem habet vel actione ex empto, vel ex simplæ aut duplæ stipulatione, si stipulatio intercessit, supr. tit. proxim. l. quòd si nolit. 31. §. quia assidua, cum sim. Duplam promittere emptor tenetur edicto ædilium, si mancipium vendat: ex consuetudine verò si aliam rem pretiosam vendat, l. emptori. 37.

3 *De exceptione rei venditæ & traditæ.* Vēditorem vindicantem rem, quam vendidit & tradidit, vt quia cùm nondum dominus esset, rem vendidit, postea dominus factus vult eam euincere, in emptoris arbitrio est, vtrū malit eum doli mali, seu rei venditæ & traditæ exceptione summouere; an euictionem pati, deinde contra venditorem actione ex empto, vel ex stipulatione agere, supr. tit prox. l. vindicantem, 17. & ll. seqq.

LIBER XXII.

1 *De vsuris, & fructibus, & causis, & omnibus accessionibus, & mora.* Accessio est, quicquid rei principali accedit, vt vsura, fructus, causa, & quod per alluuionem, sup. de per. & com. rei vend. l. 7. in princ. vel iure accrescendi accedit, sup. de vsufr. accresc. l. 3. §. 1. Vsura est quod sorti, id est, pecuniæ debitæ accedit ex eodē genere. Quam si creditor accipiat, ne damnū patiatur ex eo quòd tantisper pecunia sua caret, vsura compensatoria dicitur: si vt lucrum faciat, vsura lucratoria, seu fœnus: si propter moram debitoris, vsura punitoria seu pœna, sup. de reb. credit. l. lecta. 40. Fructus est, qui natura è re fructuosa percipitur, ita vt renasci soleat, inf. solu. matrim. l. 7. §. si vir. Causa est omnis vtilitas, quæ circa rem consistit, quare & fructus continet, & partum ancillæ, & alia commoda, l. 2. & supr. de rei vindic. l. Iulianus. 17. §. 1. cum sim. Mora est culpa debitoris non soluentis quod debet, aut creditoris non accipientis debitum quod sibi offertur, infr. de peric. & com. rei vend. l. illud. 27. & de verb. oblig. l. interdum. 73. §. vltim. l. si seruum. 91. §. sequitur.

2 *De nautico fœnore.* Fœnus nauticum est vsura pecuniæ traiectitiæ, id est, quæ trans mare vehenda creditur periculo creditoris, l. 1. Huius fœnoris duæ sunt proprietates. I. Debetur etiam ex nudo pacto, l. 5. §. 1. II. Debetur vsque ad centesimam vsuram, quam vulgò vocamus duodecim pro centum, cùm aliàs vsuræ minores definiantur; vt semisses, id est, octo pro centum; vel besses, id est, octo pro centum, C. de vsur. l. eos. 26. §. 1.

3 *De probationibus, & præsumptionibus.* Probatio est actus iudicialis, C. h. tit. l. cùm precibus. 18. & de condict. ob turp. cau. l. 3. cum sim. per quem de re controuersa sit iudici fides, l. quingenta. 12. cum sim. vt per testes, vel instrumenta, C. de fid. instrum. l. in exercendis. 15.

4 *De fide instrumentorum.* Fides instrumenti est probatio, quæ per scripturam fit. Additur hoc loco *& amissione eorum*, quæ verba rectè absunt ab indice Pandectis Florentinis præposito, quia de ea nihil hoc titulo habetur.

5 *De testibus.* Testis est, qui testimonij de facto aliquo perhibendi causa adhibetur. Nam de facto, non de iure testes interrogari & respondere debent, vt scribit Aristoteles.

Aristoteles. 1. Rhetor. capite 15. Testimonium est testis assertio.

6 *De iuris, & facti ignorantia.*

LIBER XXIII.

1 *De sponsalibus.* Sponsalia sunt mentio & repromissio futurarum nuptiarum. l. 1.

2 *De ritu nuptiarum.* Ritus (ait Festus) *est mos comprobatus in administrandis sacrificiis.* Sed transfertur ad multa alia, vt Pacunius dixit *Halcionis ritus*, in versu relato à Varrone 6. de lingua Latin. vbi *ritu* interpretatur, *id est instituto, vt cum haruspex præcipit, vt suo quisque ritu sacrificium faciat, & nos* (inquit) *diximus duodecim* (alias quindecim) *viros Græco ritu sacra, non Romano facere: quod enim fit ritè, id ratum ac rectum.* Cic. in Lælio, *Ab his, qui pecudum ritu ad voluptatem omnia referunt, longè dissentimus.* Virginius apud Liuium libr. 3. *Placet pecudum ferarumque ritu promiscuè in concubitus ruere?* Ergo hîc transfertur ad nuptias, & alibi vocatur nuptiarum solemnitas, C. de nuptiis, l. à caligato. 21. vel celebritas, C. eod. l. si donationum. 22. vel festiuitas, C. eod. l. sancimus si quis. 24. Nuptiæ siue matrimonium est viri & mulieris coniunctio, indiuiduam vitæ consuetudinem continens, Institut. de patr. potest. §. 1. vel coniunctio maris & feminæ, & consortium omnis vitæ, diuini & humani iuris communicatio, l. 1.

3 De *iure dotium.* Dos est res marito vel parenti in cuius potestate est maritus, data, C. ne fideiuss. dent. l. 2. ad sustinenda onera matrimonij, l. 7. in princip. l. si is qui 56. §. 1. & C. eo. l. pro oneribus. 20.

4 De *pactis dotalibus.* quæ ad dotem pertinent, vel incontinenti, vel ex interuallo facta.

5 De *fundo dotali.* quem à marito, licet eius dominus sit, (id est, licet ciuile dominium habeat, naturale enim dominium est mulieris, C. de iu. dot. l. penult.) alienari vel pignerari non posse, ne quidem consentiente muliere, iam dicimus ex §. 1. Institut. quib. alie. lic. vel non. Fundus sæpe accipitur pro prædio rustico: sed hîc latiùs sumitur, vt etiam vrbanum complectatur, l. dotale 13. in princip. quare fundum & prædium hîc vsurpamus promiscuè. Prædium dotale est, quod datum est in dotem inæstimatum: vel æstimatum adiecto pacto, vt nihilominus ipsum prædium soluto matrimonio reddatur; vel pacto vt mulieri prædium vel æstimatio reddatur, vtrum ipsa elegerit: alioquin non prædium, sed æstimatio in dote est: ideoque prædium alienari potest, l. quod si fundus. 11. & C. eod. l. 1. & 2. & supr. de iur. dot. l. plerumque. 10. §. vltim. & C. eod. l. 5. l. cùm dotem. 10. l. si inter. 21. & C. de don. ant. nupt. l. si consentiente. 14.

LIBER XXIV.

1 De *donationibus inter virum & vxorem.* Simplex donatio inter virum & vxorem prohibetur, ne se inuicem spolient, ne magis in lucrum faciendum quàm in liberos educandos incumbant, ne inter eos concordia sit venalis, & ne melior in paupertatem incidat, deterior locupletetur, l. 1. 2. 3. in princip. Donatio igitur à donatore vel donatrice reuocari potest, non tamen ab eius herede, si in eadem voluntate vsque ad mortem permanserit, l. cum hic status. 32.

2 De *diuortiis & repudiis.* Diuortium est matrimonij infr. de verb. sign. l. inter 191. disiunctio in perpetuum, l. 3. quæ diuertentis voluntate fit, l. 2. in princip. Repudium est eiusmodi separatio matrimonij, vel sponsaliorum, d. l. inter.

3 *Soluto matrimonio quemadmodum dos petatur*, id est, repetatur actione ex stipulatu: quia si stipulatio nō intercessit, tacitè facta intelligitur ex constitutione Iustiniani, C. de rei vxo. act. l. vnic.

LIBER XXV.

1 De *impensis in res dotales* à marito *factis.* Has maritus à muliere repetit actione mandati, vel negotiorum gestorum, C. de rei vxo. act. l. vnic. §. taceat. vbi Iustinianus vetat maritum his de causis dotem retinere loco pignoris: non tamen abrogat ius, quo cauetur, vt dos in quantitate consistens minuatur ipso iure per impensas necessarias à marito factas, l. 1. §. in necessariis. l. 5. l. penultim. & supr. de iur. dot. l. si is qui 56. §. vltim.

2 *De actione rerum amotarum.* In eum eamve, qui, quęve diuortij consilio res coniugis celauit, post diuortium hæc actio datur, & redintegrato matrimonio tollitur, l. vlt. Furti actio quæ famosa est, in honorem matrimonij licet soluti denegatur, l. 1. & 2.

3 De *agnoscendis, & alendis liberis, vel parentibus, vel patronis, vel libertis.*

4 *De inspiciendo ventre custodiendoque partu.* Inspicitur venter, & custoditur partus tribus de causis, I. Si mulier post diuortium viro denunciet se esse ex eo prægnantem, vt vir ex titulo præcedenti cogatur partum adgnoscere, supr. tit. prox. l. 1. §. Iulianus. II. Si mulier post diuortium neget se esse ex viro prægnantem, l. 1. in princip. III. Si mortuo marito mulier dicat se esse ex eo prægnantem, d. l. 1. §. de inspiciendo.

5 *Si ventris nomine muliere in possessionem missa eadem possessio dolo malo in alium translata esse dicatur.* Hinc mulier, vel qui eam in potestate habet, etiam vltra annum tenetur actione in factum in id quod agentis interest, l. 1. §. 1. & §. penultim. & is qui dolo in possessionem venit, de ea cogitur decedere, d. l. 1. §. necessario.

6 *Si mulier ventris nomine in possessione, calumniæ causa fuisse dicatur*: quia sciens se non esse prægnantem, voluit quasi prægnans in possessionem venire, l. 1. §. per calumniam. Hînc datur intra annum, d. l. 1. §. hanc autem. actio in mulierem, vel parentem in cuius potestate est, d. l. 1. §. in parentem, & §. vltim. in id quod agentis interest, d. l. 1. §. simili. famosa, supr. de his qui not. infam. l. notatur. 15. cum 4. legib. sequentib.

7 *De concubinis.* Concubina dicitur, quæ vxoris loco sine nuptiis in domo est, infr. de verbor. signif. l. libro. 144. Vnde Vlpianus ait concubinam ab vxore tantùm dignitate differre, supr. de legat. iij. l. item legato. 49. §. parui.

LIBER XXVI.

1 De *tutelis.* Tutela est ius ac potestas in capite libero (id est, in tutore) ad tuendum eum (pupillum,) qui propter ætatem suam (pupillarem) sponte (id est, sine auxilio & auctoritate tutoris) se defendere nequit, iure ciuili data (vt tutela legitima,) vel permissa, (vt testamentaria, & honoraria) l. 1. in princip. Tutores verò sunt, qui eam vim & potestatem habent, d. l. 1. §. 1.

2 De *testamentaria tutela.* Tutor testamentarius est, quem in testamento, lege permittente, parens dat impuberi, quem in potestate habet, non recasuro post mortem suam in alterius potestatem, l. 1. & Inst. de tutel. §. permissum.

3 De *confirmando tutore vel curatore.* Qui inutiliter testamento datur tutor, vel curator, decreto magistratus

confir

confirmari poteſt, ita vt tutori vel curatori legitimo præferatur.

4 *De legitimis tutoribus.* Legitimi tutores ſunt, qui ipſo iure ad tutelam vocantur. Tales ſunt, I. Aguati, l. 1. in princip. & Inſtitut. de legit. adgn. tut. hodie etiam cognati, Nou. 118. cap. vltim. I I. Patronus, l. 3. & Inſtitut. de leg. patron. tut. I I I. Parens qui impuberem emancipauit, d. l. 3. §. vltim. & Inſtit. de legit. paren. tut. I V. Tutor fiduciarius, qui parenti legitimo tutore ſucceſſit, l. 4. Hæc non dicitur propriè legitima, quia non eſt ex lege duodecim tabularum, vt ſuperiores, Inſtitut. de fiduc. tute.

5 *De tutoribus & curatoribus datis ab his qui ius dandi habent: & qui & in quibus cauſis ſpecialiter dari poſſunt.* Ius dandi habent in vrbe hi, qui iuriſdictioni præſunt, Inſt. de Atil. tuto. §. ſed hoc iure. in prouinciis hi, quibus nominatim hoc lege vel ſenatuſconſulto vel conſtitutione principis conceſſum eſt, ſupr. de tutel. l. 6. §. tutoris. Dari poſſunt tam patres, quàm filijfamiliarum, ſupr. de his qui ſui vel ali. iur. ſunt, l. filiusfamilias. 9. Curatores ſpecialiter dari poſſunt ad certas cauſas, Inſtitut. de curat. §. item. tutor non regulariter, Inſtitut. qui teſtam. tut. da. poſſ. §. certæ. ſed interdum, vt ad hereditatem adeu ndam, l. impubert. 9.

6 *Quis petant tutores vel curatores, & vbi petantur.* Hic quoque titulus, vt ſuperior, ad tutores vel curatores datiuos pertinet.

7 *De adminiſtratione, & periculo tutorum vel curatorum, qui geſſerint, vel non, & de agentibus vel conueniendis vno vel pluribus.* Adminiſtratio tutelæ vel curationis modò vni, modò pluribus committitur: proinde interdum vnus agit vel conuenitur, interdum plures, omnes tamen periculum ſubeunt, quia tutelæ iudicio conueniri poſſunt, etſi priùs conueniuntur, qui geſſerunt: deinde, ſi ab his ſolidum exigi non poſſit, alij conueniuntur qui non geſſerunt, C. arb. tut. l. 6. & de hered. tut. l. 2. & ſi tut. vel cut. reipub. cauſ. ab. l. 1.

8 *De auctoritate & conſenſu tutorum vel curatorum.* Tutores & curatores aut ipſi negotium eius gerunt cuius tutelam vel curam ſuſceperunt, qua de re dictum eſt ſuperiori titulo: aut ei gerenti conſentiunt & auctores ſunt, vt hic titulus explanat: debent autem præſentes in ipſo negotio auctores fieri, non alia quauis ratione conſentire, vt actus valeat, Inſtitut. hoc titulo. §. penultim.

9 *Quando ex facto tutoris vel curatoris minores agere vel conueniri poſſunt.* Minorum appellatione continentur pupilli, qui ſunt ſub tutore, & adoleſcentes, qui ſunt in curatione. De aliis qui in curatione ſunt, vt furioſis, prodigis, & ceteris, dicendum tit. vltim. libri ſequentis.

10 *De ſuſpectis tutoribus vel curatoribus.* Suſpecti dicuntur, non ob facultatum tenuitatem, ſed ob malos mores, Inſtitut. h. t. §. vltim. id eſt, qui non ex fide tutelam gerere, vel geſturi videntur, Inſt. eod. §. ſuſpectus autem eſt.

LIBER XXVII.

1 *De excuſationibus tutorum, & curatorum.*

2 *Vbi pupillus educari, vel morari, debeat: & de alimentis ei præſtandis.* Hæc a prætore, vel præſide conſtituuntur, l. 1. in princip. l. 3. in princip. l. 5.

3 *De tutelæ, & rationibus diſtrahendis, & vtili curationis cauſa actione.* Tres actiones hoc titulo declarantur: quarum duæ priores (nempe tutelæ & rationibus diſtrahendis) tutela finita dantur pupillo contra tutorem, l. 1. §. vltim. illa eſt de adminiſtrationis ratione reddenda, Inſtit. de Atil. tuto. §. vltim. hæc in duplum redditur ob ea quæ tutor de bonis pupilli durante tutela abſtulit, d. l. 1. §. conſiderandum, & l. 2. §. vltim. tertia eſt vtilis tutelæ, vel vtilis negotiorum geſtorum actio, quæ datur minori aduerſus curatorem, quem vult quoque actione de rationibus diſtrahendis poſſe conueniri non malè dixeris.

4 *De contraria tutelæ & vtili actione.* Actio contraria tutelæ datur tutori contra pupillum ex cauſa tutelę geſtæ ſibi obligatum: & ſimiliter vtilis actio contraria tutelæ vel negotiorum geſtorum datur curatori contra minorem.

5 *De eo qui pro tutore prove curatore negotia geſſit.* Cùm falſo tutore vel falſo curatore aliquid geſtum eſt: hoc titulo declarantur actiones competentes inter eum qui geſſit: & minorem cuius negotium geſtum eſt.

6 *Quod falſo tutore auctore negotium geſtum eſſe dicatur.* Hoc autem titulo ſuccurritur ei qui putans ſe vero tutore aut curatore auctore contrahere, cum falſo contraxit, ac datur ei vel reſtitutio in integrum, l. 1. in princ. §. 1. & §. vltim. vel actio in factum in falſum tutorem ſeu curatorem, l. 7. in princip. vel actio in factum in eum qui dolo malo fecit, vt aliquis falsò putans ſe eſſe tutorem vel curatorem, auctor fieret, l. huius. 9.

7 *De fideiuſſoribus & nominatoribus, & heredibus tutorum vel curatorum.* Hi omnes actori tenentur. Genitiuus, *tutorum vel curatorum*, regitur ab omnibus nominibus præcedentibus: agitur enim de his qui pro tutoribus vel curatoribus fideiuſſerũt, de his qui tutores, vel curatores nominarunt, vt ab iis darentur qui dandi ius habent, & de iis qui tutoribus vel curatoribus ſucceſſerunt.

8 *De magiſtratibus conueniendis.* Magiſtratus municipales in ſubſidium tenentur actione tutelæ, non præſides prouinciarum, nec vrbani magiſtratus, Inſt. de ſatiſdat. tutor. §. ſciendum. & §. vltim.

9 *De rebus eorum, qui ſub tutela vel cura ſunt, ſine decreto non alienandis, vel ſupponendis:* niſi ſint corruptioni obnoxiæ, vt fructus, veſtimenta, animalia ſupervacua. C. de admin. tut. l. lex quæ. 22. Alienare eſt dominium transferre, C. de fundo dotali, l. 1. Supponere eſt pignori ſiue hypothecæ obligare.

10 *De curatoribus furioſo & aliis extra minores dandis.*

DIGESTO

DIGESTORVM, SEV PANDECTARVM PARS V.

LIBER XXVIII.

De testamentis tria quæruntur:

- I. An valeat. Hæc quæstio tractatur
  - Primò de testamētis paganorū. Hic agitur
    - 1. De testatore. — tit. 1.
    - 2. De testamento: cuius
      - Essentialia requisita
        - Partim generaliter in omnibus testamentis adhiberi debent. — tit. 1.
        - Partim specialiter obseruanda sunt in testamentis eorū, qui liberos in potestate, vel suos postumos habent, tit. 2.
      - Vitia sunt
        - Non iure factum. — tit. 3.
        - Irritum propter
          - Capitis deminutionem testatoris. — tit. 3.
          - Non aditam hereditatem, quo casu dicitur destitutum. — tit. 3.
          - Deletionem, vel inductionem, vel inscriptionem, tit. 4.
    - 3. De heredibus
      - Qui diuiduntur in
        - Institutos, tit. 5.
        - Substitutos, tit. 6.
      - Quorum institutioni accidit conditio, tit. 7. veluti, *Si Titius intra centum dies adierit, heres esto.* quibus verbis testator Titio tempus ad deliberandum præstituit: quod si non fecerit, prætor tempus statuit, tit. 8.

LIBER XXIX.

  - Secundò de testamentis militum, tit. 1.
- II. Quomodo effectum accipiant, vel non accipiant. Hîc agitur de
  - Acquirenda vel omittenda hereditate, tit. 2.
  - Tabulis aperiendis, tit. 3.
  - Omissa causa testamenti, tit. 4.
  - Indignis hereditate
    - Ex S. C. Silaniano, tit. 5.
    - Ob testamentum
      - Extortum — tit. 6.
      - Prohibitum — tit. 6.
- III. Quænā eis accidāt. Testamentis accidūt
  - Codicilli, tit. 7.

LIB. XXX. XXXI. XXXII.

  - Legata & fideicommissa: de quibus queritur,
    - I. An valeant. Hoc loco sciēdum, legatorū alia esse
      - Vtilia, quæ explicātur
        - Generaliter, tit. 1.

LIBER XXXIII.

        - Specialiter, separatim enim agitur de
          - Annuis & menstruis legatis, tit. 1.
          - Seruitutibus
            - Personalibus, & operis, tit. 2.
            - Prædialibus, tit. 3.
          - Dote, tit. 4.
          - Optione vel electione, tit. 5.
          - Tritico, vino, oleo, tit. 6.
          - Fundo instructo, vel cum instrumento, tit. 7.
          - Peculio, tit. 8.
          - Penu, tit. 9.
          - Supellectile, tit. 10.

LIBER XXXIV.

          - Alimentis, tit. 1.
          - Auro, argento, mundo, ornamentis, vnguentis, veste vel vestimento, & statuis, tit. 2.
          - Liberatione, tit. 3.
      - Inutilia propter
        - Ademptionem, vel translationem, tit. 4.
        - Scripturam seu tem dubiam, tit. 5.
        - Varias causas, ob quas habentur pro non scriptis, vt propter
          - Pœnæ adiectionem, tit. 6.
          - Regulam Catonianam, tit. 7.
          - Alias diuersas causas, tit. 8.
        - Ablationem seu confiscationem, tit. 9.

LIBER XXXV.

        - Defectum conditionis, vel alius adiectionis, tit. 1.
      - Partim vtilia, partim inutilia, quia minuuntur per
        - Legem Falcidiam, tit. 2. 3.

LIBER XXXVI.

        - Senatusconsultum Trebellianum, tit. 1.
    - II. — Quando debentur, tit. 2.
    - III. Quemadmodum ei prospiciatur, cui in diem vel sub conditione relictum est, tit. 3. 4.

Tituli quintæ partis Digestorum breuiter expositi.

LIBER XXVIII.

1 *Qui testamenta facere possunt, & quemadmodum testamenta fiant.* Testamentum est voluntatis nostræ sententia de eo quod quis post mortem suam fieri velit, l. 1.

2 *De liberis*, iam natis & liberis *postumis heredibus instituendis, vel exheredandis.* In indice titulorum Pandectis Florentinis præfixo additur, *vel præteritis*, quod facile subauditur: quia necesse est liberos & postumos vel institui, vel exheredari, vel præteriri: sed non dicitur *prætereundis*, vt *instituendis, vel exheredandis*, quia non debent à testatore præteriri, sed vel institui, vel nominatim exheredari, vt testamentum valeat.

3 *De iniusto rupto irrito facto testamento.* Iniustum dicitur, quod ab initio non iure factum est, solemnitatibus omissis; vel nullius momenti est suo herede præterito. Rumpitur posteriore testamento, aut adgnatione sui heredis. Irritum fit capitis deminutione testatoris, vel herede instituto non adeunte, l. 1.

4 *De his quæ in testamento delentur, inducuntur, vel inscribuntur.* Hæc omnia irrita sunt, si testatoris voluntate factum sit, l. 1. Delemus lituris, inducimus ductis per versus lineis: quæ si per transuersum in vtramque partem ducatur, dicimur cancellare, quia quibusdam quasi cancellis concludimus: dici etiam potest cancellari, cum verba his notis [] includūtur, quę in libris scriptis in hunc finem sæpe occurrunt: in excusis verò significant verba inclusa ab aliquibus exemplaribus abesse. Inscribimus cum suprà literas aliis literis adiectis efficimus vt scriptura turbetur, nec legi possit.

5 *De heredibus instituendis*, in primo gradu, veluti, *Titius heres esto.* Gradus est successionis ordo.

6 *De vulgari, & pupillari substitutione.* Substitutio est institutio, l. si paret. 9. cum sim. secundo vel vlteriori gradu facta, l. 1. in princip. Vulgaris fit in casum, *Si primus heres non erit.* Pupillaris vero in casum, *Si filius in ætate pupillari decesserit.* Inst. de vulg. subst. in princ. & de pupil. substit. in princip.

7 *De conditionibus institutionum.* Conditio hoc loco est adiectio futuri incerti euentus, vim, & effectum actus cui apponitur, suspendens, donec impleatur, vel deficiat.

8 *De iure deliberandi.* Deliberatio est heredis de adeunda vel omittenda hereditate consultatio. Hoc ius datur voluntarijs heredibus, proinde extraneis, Instit. de hered. qual. & diff. §. extraneis. nam ceteri sunt necessarij heredes, Instit. eod. in princip. quia tamen sui heredes, licet iure ciuili necessarij sunt, beneficio prætoris abstinere possunt ab hereditate, Institut. eod. §. sui autem. his quoque iure prætorio ius deliberandi competit.

LIBER XXIX.

1 *De testamento militis.* Miles est, qui militiæ nomen dedit, & sacramento militari obstrictus est. Sunt autem multa militum priuilegia cum in aliis causis, tum in testamentis condendis. Nam quis est maiori fauore dignus, quàm miles, qui pro salute principis & reipub. vitam suam manifestis periculis obiicit?

2 *De acquirenda, vel amittenda hereditate.* Sic legitur in indice: hic vero scriptum est omittenda, quam lectionem minùs probo, quia est magis particularis. Amittimus enim hereditatem nobis delatam vel omittentes, vel repudiantes, vel abstinentes: acquitimus autem vel adeuntes, vel immiscentes, vel ipso iure. Omissio & repudiatio differunt, vt tacitum & expressum, nam omittit, qui tempore statuto non acquirit: repudiat qui expressè respuit: vnde repudiatio statim effectū habet; omissio non ante tempus finitum, Inst. de bon. poss. §. & si intra. vt autem extranei heredes repudiant, ita sui heredes beneficio prætoris se abstinent, cum iure ciuili sint heredes necessarij, Inst. de hered. qual. §. sui autem. Aditio est voluntatis adeundi significatio, quę si re fiat, dicitur in extraneo pro herede gestio, in suo heredi immixtio, si nuda voluntate, id est, non attingendo res hereditarias, appellatur adgnitio; Instit. eod. §. item extraneus. Ipso iure proinde etiam inuiti & ignorantes heredes fiunt, qui sunt heredes necessarij, nempe serui à domino instituti, Inst. de her. qual. §. 1. & filijfamiliarum succedentes parentibus, quibus sunt iure ciuili sui & necessarij heredes, Instit. eod. §. sui autem. & supr. de lib. & post. l. in suis 11.

3 *Testamenta quemadmodum aperiantur, inspiciantur, & describantur.* Aperiuntur resignatione: inspiciuntur verborum lectione, l. 2. §. inspectio. Describuntur exemplo sumpto ex authentico.

4 *Si quis omissa causa testamenti* (in fraudem eorum, quibus legata vel fideicommissa in eo testamento relicta sunt, l. 1. in princ. *ab intestato* (pro herede vel pro possessore, non pro empto, vel pro dote, vel pro donato, vel quouis alio titulo, l. 1. §. non quærimus, & l. vlt.) *possideat hereditatem*; perinde ex edicto prætoris tenetur legatariis, & fideicommissariis, ac si ex testamento hereditatem adiuisset.

5 *De S. C. Silaniano, & Claudiano* (quod & Neronianum & Pisonianum dicitur, quia Claudio Nerone Cæsare, L. Calpurnio Pisone cōsulibus factum est.) His senatusconsultis agitur de testatoribus necatis, *quorum testamenta ne aperiantur*, priusquam de seruis quæstio habeatur & noxij puniantur, meritò vetant. Silanianum vult quæstionem haberi de necati seruis, qui in eodem tecto, vel cum eo fuerunt, vel noxij sunt, l. 1. §. cum autem, & §. dominus. Claudianum hoc fieri iubet, non solùm de seruis necati vel necatæ, sed etiam coniugis, d. l. 1. §. si vir. Paul. 3. Sentent. tit. 6. §. Neroniano. & addit, vt si seruus pœnæ obnoxius venierit, ac postea quandocumque supplicio affectus sit, venditor emptori pretium restituat, l. senatusconsulto. 8. Ad hæc edicto prætoris cauetur, vt si heres priusquā senatusconsultis satisfactum sit, hereditatem adierit, hereditas ei tamquam indigno auferatur, & confiscetur, l. 3. §. non tantum, & l. 5.

6 *Si quis aliquem testari prohibuerit* (vt ipse succederet ex testamento anteà facto aut ab intestato) *vel* (testari) *coegerit*, vt ipse heres fieret. His quoque tamquam indignis aufertur hereditas, & confiscatur, l. 1. & C. eo. l. 1.

7 *De iure codicillorum.* Codicilli sunt testamentum quoddam imperfectum, nec solemnitatem vllam requirens, Institut. hoc titulo §. vlt. nec directam de hereditate dispositionem admittens, Institut. eod. §. penultim.

LIBER XXX.

1 *De legatis & fideicommissis.* Primù legatum est vltima voluntas directa, particularis, vt, *Heres meus Titio decem dato.* Fideicommissum est vltima voluntas, precaria vniuersalis, vt *Rogo te heres, vt, cùm morieris hereditatem Titio restituas*: vel particularis, vt, *Rogo te heres, vt Titio decem des.* Hic titulus est de fideicommissis particularibus, quæ Iustinianus legatis exequauit, tribuens legatis vim fideicommissorum, & fideicommissis vim legatorum, C. commu. de lega. l. 2. & Institut. de legat. §. sed non vsque. Ad fideicommissa vniuersalia pertinet titulus primus libri 36.

LIBER XXXI.

1 *De legatis, & fideicommissis*, secundò. Ob amplitudinem materiæ tres tituli facti sunt de legatis & fideicommissis in genere, quorum singuli singulos libros occupant.

LIBER XXXII.

De legatis & fideicommissis tertio.

LIBER XXXIII.

1 *De annuis legatis, & fideicommissis.* In indice scriptũ est, *De annuis & mẽstruis legatis.* Annuum legatum est, quod anno terminatur: quare cùm legatur in annos singulos, plura sunt legata, id est, tot quot legatarius annis viuet, legato sequentis anni ad heredem legatarij non transeunte, l. 4. quia eius dies legati viuo legatario non cessit: quod requiritur, vt legatum ad heredem legatarij transeat, infr. quan. dies leg. ced. l. 5. in princ. similis ratio est legati menstrui.

2 *De vsu & vsufructu, & reditu, & habitatione, & operis per legatum, vel fideicõmissum datis.* Vsusfructus definitus est sup. lib. 7. t. 1. Vsus, & habitatio, lib. eodem, tit. 8. Operæ lib. eo. tit. 7. Reditus est, quod ex prædiis percipitur, siue naturaliter, vt fructus fundi, l. quidam. 17. l. qui fructus, 25. siue ciuiliter, vt merces fundi locati, l. fundi. 38.

3 De *seruitute* prædiali *legata.* Vide supr. lib. 8. tit. 1.

4 *De dote prælegata.* Dos definita est supr. lib. 23. tit. 3. Dicitur dos prælegari mulieri; quia hoc legatum vtilitatem repræsentationis continet, quòd enim seriùs ex causa dotis restituendum erat, vi legati repræsentatur, l. 1. §. & est verùm. Dicitur etiam relegari, d. l. 1. & passim. quia redit ad mulierem, à qua profecta est.

5 *De optione vel electione legata.* Optio erat actus legitimus, & solemniter fiebat: vnde ab electione distinguebatur, quæ non est actus legitimus: sed sublatis solemnitatibus, hodie optio & electio sono tantùm differunt, cum eadem res vtroque vocabulo significetur.

6 *De tritico, vino, vel oleo legato.*

7 De fundo *instructo, vel instrumento legato.* Instrumentum fundi est, quod agriculturæ seruit, vt aratra, ligones, &c. Instrumentum patrisfamilias est, quo paterfamilias est instructior, vt mensæ, scamna, &c. Legato fundi cum instrumento non continetur aliud instrumentum, quàm fundi: legato autem fundo instructo, omne instrumentum continetur, l. quæsitum 12. §. sed si fundus.

8 De *peculio legato.* Peculium definitum fuit sup. lib. 15. tit. 1.

9 De *penu legata.* Penus est, quicquid esculentum, vel poculentum, non in singulos dies prandij aut cœnæ causa paratum, sed quod longæ vsionis gratia reconditum est, vide Gell. lib. 4. cap. 1.

10 De *supellectile legata.* Supellex est domesticum patrisfamilias instrumentum, quod nec auro nec argento, nec vesti, nec animalibus adnumeratur, l. 1. & 2.

LIBER XXXIV.

1 De *alimentis, vel cibariis legatis.* Alimenta sunt, quæcumque sunt ad viuendum necessaria, infr. de verb. signif. l. quos nos. 234. §. vlt. Eorum partes sunt cibaria, vestiarium, calciarium, habitatio, l. 6. & l. vltim. Cibaria sunt alimenta esculenta, aut poculenta, l. alio. 9. §. 1. l. diariis. 21.

2 De *auro, argento, mundo, ornamentis, vnguentis, veste vel vestimentis, & statuis legatis.* Auro vel argento legato continetur tam infectum, vt quod est in massa, vel in lamina; quàm factum, vt vasa aurea, vel argentea: non etiam signatum, id est, pecunia numerata, l. cùm aurum. 19. in princip. Mundus muliebris est, quo mulier fit mundior, vt specula, vnguenta, &c. l. argumento. 25. §. ornamenta Ornamenta muliebria sunt, quibus mulier fit ornatior, vt inaures, armillæ, d. §. ornamenta. Sũt etiam quædam ornamenta virilia, nun tamen est mundus virilis. Cuiac. hic. Vnguentorum alia sunt mundi pars, ex quibus mulier fit mundior: alia separantur à mundo, vt quę sanitatis causa parantur, d. l. argumento, §. ornamenta. & §. vltim. Vestes an vestimenta legentur, nihil interest, l. vestis. 23. in princip.

3 De *liberatione legata.* Liberatio est obligationis dissolutio.

4 De *adimendis vel transferendis legatis, vel fideicommissis.* Ademptio est reuocatio legati. Translatio est personæ legato honoratæ, vel personæ oneratæ, vel rei, vel formæ legandi mutatio, veluti si legato puro adiiciatur conditio, l. 6. in princip.

5 De *rebus dubiis,* vel propter orationis ambiguitatem, l. quoties in actionibus. 12. l. vbi. 21. vel propter orationis imperfectionem, l. 4. vel propter rei incertitudinem, l. quædam 15.

6 *De his, quæ pœna causa relinquuntur,* quò magis, vel quò minùs heres aliquid faciat metu pœnæ, id est, ne legatum soluat: veluti, *Si heres meus medicinæ operam dederit,* aut, *Nisi medicinæ operam dederit, Titio centum dato.*

7 De *regula Catoniana,* à Catone Iurisconsulto introducta, & ita concepta, Quod purè relictum non valeret, si testator statim decessisset, non confirmatur ex eo, quod testator diutius vixerit, l. 1. in princ.

8 *De his, quæ pro non scriptis habentur,* adeo vt ipso iure non valeant, & penes heredem maneant: veluti quæ ita scripta sunt, vt intelligi nequeant, l. 2. & quæ iam mortuo relicta sunt, l. 4. in princ.

9 *De his, quæ vt indignis auferuntur,* & confiscantur.

LIBER XXXV.

1 *De conditionibus, & demonstrationibus, & causa & modis eorum, quæ in testamento scribuntur.* Conditio est adiectio, quæ relictum suspendit in incertum futurum euentum: veluti, *Titio decem do lego, si nauis ex Asia venerit.* Demonstratio est adiectio, qua res vel persona aliter quàm propria appellatione significatur: veluti, *seruum, quem à Titio emi, Seio do lego,* item *Stichum fratri meo pictori do lego.* Causa est adiectio, quæ rationem legandi continet: veluti, *Seio, quia negotia mea gessit, decem do lego.* Modus est adiectio finem legati ostendens: veluti, *Titio decem do lego, vt mihi monumentum extruat.* In testamento scribuntur (inquit Cuiacius) institutiones, substitutiones, legata, fideicommissa, tutelæ, libertates, adsignationes libertorum, iniunctiones, præcepta, consilia, commendationes, confirmationes, mortis causa donationes, mortis causa capiones, æstimationes, ademptiones, cõfirmationes codicillorum, exheredationes. His addo, translationes, & bonorum seu rerum diuisiones.

2 *Ad legem Falcidiam,* qua cauetur, ne vltra dodrantem legare liceat, l. 1. in princip. & Institut. cod. l. 1. in princip.

3 *Si cui plus, quàm per legem Falcidiam licuerit,* (id est, vltra dodrantem) *legatum esse dicetur.*

LIBER XXXVI.

1 *Ad S.C. Trebellianum.* In indice additur, & Pegasianum, sed hoc est à Iustiniano sublatum, parte eius, quæ vtilis videbatur, in Trebellianum transfusa. Ergo Trebelliano tria continentur. I. Vt heres de fideicommissis non minùs quàm de legatis quartam detrahere possit, si vltra dodrantem sit oneratus. II. Vt actiones hereditariæ tam actiuæ, quàm passiuæ pro hereditatis portione restituta, vel in solidum, si tota hereditas restituatur, transeant in fideicommissarium. III. Vt heres nolens adire, cogatur commodo & periculo fideicommissarij adire & restituere hereditatem, Institut. de fideicommiss. hered. §. sed quia stipulationes.

2 *Quando dies legatorum, aut fideicommissorum cedat.* Dies cedit, cùm incipit deberi: venit cùm incipit posse peti, infr. de verb. sign. l. cedere diem. 213.

3 *Vt legatorum seu fideicommissorum* (in diem vel sub conditione relictorum) *causa caueatur*, id est, vt heres legatariis & fideicommissariis satisdet se legata & fideicommissa sine dolo præstaturum, cùm dies venerit, aut conditio extiterit, l. 1. in princip.

4 *Vt in possessionem* (omnium rerum hereditariarum, quæve dolo malo heredis desierunt esse hereditariæ, l. 5. §. qui in possessionem) *legatorum vel fideicommissorum* (in diem vel sub conditione relictorum, quotum nomine heres non vult cauere, l. 1. §. 1. & supr. tit. prox. l. 1. §. nec sine ratione) seruandorum causa *esse liceat* legatario. & legatario in possessionem misso.

DIGESTORVM, SEV PANDECTRAVM PARS VI.

LIBER XXXVII.

- In sexta parte tractatur
  - I. De successionibus
    - Prætoriis, id est, de bonorum possessionibus, ti. 1. Quæ diuiduntur in
      - Ordinarias,
        - Ex testamento (tit. 2. & 3.)
          - Ingenuis.
            - Pagani. Hæ bonorum possessiones dantur
              - Liberis
                - Contra tabulas. Hinc succurritur
                  - Puberibus, data bonorum possessione, ti. 4. Cuius effectus sunt
                    - 1. Vt legata non præstentur, nisi coniunctis personis, tit. 5.
                    - 2. Vt fiat collatio
                      - Bonorum, tit. 6.
                      - Dotis, tit. 7.
                    - 3. Vt coniungantur cum emancipato liberi eius, tit. 8.
                  - Ventri, tit. 9.
                  - Impuberibus, tit. 10.
                - Secundum tabulas, tit. 11.
              - Parentibus, tit. 12.
            - Militis, tit. 13.
          - Liberti. Hîc agitur de iure patronatus
            - Generaliter, tit. 14.
            - Specialiter, id est, de
              - Obsequiis, tit. 15.

LIBER XXXVIII.

              - Operis, tit. 1.
              - Successione in bonis liberti, tit. 2.
              - Eo quod à liberto factum est in fraudem patroni, tit. 5.
        - Ab intestato. Hîc explicatur, quibus bonorum possessio
          - Competat in bonis
            - Pagani. Hîc constituuntur quatuor ordines successorum:
              - Primus liberorum, tit. 6.
              - Secundus legitimorum, tit. 7.
              - Tertius cognatorum, tit. 8.
              - Ad hos tres ordines communiter pertinet.
                - Successorium edictum, tit. 9.
                - Expositio graduum, & affinium, tit. 10.
              - Quartus coniugum, tit. 11.
            - Militis, aut veterani, tit. 12.
          - Non competat, tit. 13.
      - Extraordinariam, tit. 14.
      - In quibus deferendis certus ordo obseruatur, tit. 15.
    - Ciuilibus ab intestato, quæ deferuntur
      - 1. Suis heredibus. — tit. 16.
      - 2. Legitimis heredibus
        - Ex lege duodecim tabularum, — tit. 16.
        - Ex Senatusconsultis, tit. 17.

LIBER XXXIX.

  - II. De damno infecto, quod imminet propter
    - Opus nouum, tit. 1.
    - Vicinas ædes ruinosas, tit. 2.
    - Aquam pluuiam, tit. 3.
  - III. De publicanis, & vectigalibus, tit. 4.
  - IV. De donationibus
    - Inter viuos, tit. 5.
    - Mortis causa, tit. 6.

LIBER XL.

  - V. De statu personarũ. Hîc agitur
    - 1. De manumissione, tit. 1. de qua quæritur
      - 1. Quibus modis fiat. fit autem
        - Vel inter viuos, vt vindicta. Hoc modo manumittuntur serui
          - Singularum, tit. 2.
          - Vniuersitatis, tit. 3.
        - Vel in testamento
          - Directò, tit. 4.
          - Per fideicommissum, tit. 5.
      - 2. Quos effectus pariat. Hîc quæritur, an
        - Libertas possit
          - Adimi, tit. 6.
          - Esse in suspenso, tit. 7.
          - Sine manumissione competere, tit. 8.
        - Manumissi
          - Liberi fiant, tit. 9.
          - Iura ingenuitatis consequantur, tit. 10.
          - Ingenui fiant, tit. 11.
    - 2. De præiudicio, quo quæritur, vtrùm aliquis sit
      - Liber, an seruus, tit. 12. 13.
      - Ingenuus, an libertinus, tit. 14
      - Vtrique præiudicio accidit
        - Quæstio de statu defuncti, tit. 15.
        - Collusio, tit. 16.

LIBER XLI.

  - VI. De dominio, tit. 1.
  - VII. De possessione. Vide tabulam sequentem.

De possessione duo quaeruntur

- I. Quotuplex sit.

LIBER XLI.

- Alia est possessio propriè dicta, secundum quam dicimur possidere. Huius expositio tribus capitibus continetur:
  - 1. De possessione acquirenda.
  - 2. De possessione amittenda. } tit. 2.
  - 3. De vsucapione, quæ est effectus possessionis, tit. 3. & est multiplex, vt pro
    - Emptore, tit. 4.
    - Herede, tit. 5.
    - Donato, tit. 6.
    - Derelicto, ti. 7.
    - Legato, tit. 8.
    - Dote, tit. 9.
    - Suo, tit. 10.

LIBER XLII.

- Alia est possessio impropriè dicta, secundum quam dicimur esse in possessione. Huius explicantur
  - Causæ efficientes, vt
    - Sententia, tit. 1.
    - Confessio in iure, tit. 2.
    - Cessio bonorum, tit. 3.
  - Causæ finales, vt } tit. 4.
    - Rei seruandæ causa.
    - Legatorũ vel fideicõmiss. gratia.
    - Ventris nomine.
  - Effectus,
    - 1. Post primũ decretũ creditores sunt in possessione, post secundum possident. } tit. 5.
    - 2. Creditorib. ex bonis distractis satisfit ordine à iure præscripto, ita vt priuilegiarij ceteris præferantur. } tit. 5.
    - 3. Separantur bona propria heredis à bonis hereditariis, tit. 6.
    - 4. Curator bonis datur, tit. 7.
    - 5. Rescinditur alienatio facta in fraudem creditorum, tit. 8.

- II. Quibus remediis defendatur. Remedia tria sunt:

LIBER XLIII.

  - I. Actio, vt
    - Hypothecaria, D. de euict. l. si cùm venditor. 66. in princ. } De his alibi agitur
    - Cõdictio possess. indebitæ, per errorem solutæ, D. de condict. ind. l. indebiti. 15. §. 1. } De his alibi agitur
  - II. Interdictũ. De interdictis tractatur
    - Generaliter, tit. 1.
    - Specialiter: nam alia pertinent ad
      - Hereditates & legata. Hîc sunt quatuor interdicta:
        - 1. Restitutorium hereditatis, tit. 2.
        - 2. Restitutorium legati, tit. 3.
        - 3. Prohibitorium, tit. 4.
        - 4. Exhibitorium, tit. 5.
      - Res sacras, tit. 6.
      - Res publicas, vt ad
        - Loca, vias, & itinera publica, tit. 7. Hîc dantur quinque interdicta:
          - 1. Ne quid in loco publico fiat. } tit. 8.
          - 2. Ne in via publica, itineréve publico fiat, vel immittatur. Et vt factum vel immissum restituatur. } tit. 8.
          - 3. Vt via publica, itineréve publico ire agere liceat. } tit. 8.
          - 4. De loco publico fruendo, tit. 9.
          - 5. De refectione viæ vel itineris publici, non vrbani, (quia vrbanarum viarum cura committitur ædilibus, nec de eis sunt interdicta, tit. 10.) sed rustici, tit. 11.
        - Flumina, & ripas. Hîc dantur quatuor interdicta:
          - 1. Ne quid fiat, quò peiùs nauigetur, tit. 12.
          - 2. Ne quid fiat, quò minùs aqua fluat, vt priori æstate fluxit, tit. 13.
          - 3. Vt nauigare liceat, tit. 14.
          - 4. De ripa munienda, tit. 15.
      - Res priuatas particulares,
        - Immobiles, & quæ his cohærent, vt
          - Solum. Hîc habentur duo interdicta:
            - 1. Restitutorium, recuperãdæ possessionis, tit. 16.
            - 2. Prohibitorium, retinendæ possessionis, tit. 17.
          - Superficiem, tit. 18.
          - Seruitutes
            - Rusticas, vt
              - Iter, & actum, tit. 19.
              - Aquæductum, tit. 20. 21.
              - Aquæ haustum, tit. 22.
            - Vrbanas, tit. 23.
          - Opus factum vi, aut clam, tit. 24. 25. Cui affinis est tractatus de precario, tit. 26.
          - Arbores, tit. 27. & earum fructus, tit. 28.
        - Mobiles, vt
          - Homines liberos, quorum alij sunt
            - Extranei, tit. 29.
            - In agentis potestate, tit. 30.
          - Seruos & alias res mobiles
            - Cuiuscumque, tit. 31.
            - Inquilini, tit. 32.
            - Coloni, tit. 33.

LIBER XLIV.

  - III. Exceptio, tit. 1.
    - Quæ est multiplex, vt
      - Rei iudicatæ, tit. 2.
      - Temporis, tit. 3.
      - Doli } tit. 4.
      - Metus } tit. 4.
      - Iurisiurandi. } tit. 5.
      - Libertatis onerandæ causâ } tit. 5.
      - Aleæ. } tit. 5.
      - Litigiosi, tit. 6.
    - Qua eliditur obligatio, & actio, de quibus tractatur tit. 7.

Tituli sextæ partis Digestorum enarrati.

LIBER XXXVII.

1 *De bonorum possessionibus.* Bonorum possessio ab Vlpiano definitur ius persequendi retinendique patrimonij, siue rei, quæ cuiusque, cum moreretur, fuit, l. 3. §. bonorum. Potest etiam definiri successio prætoria in vniuersum ius quod defunctus habuit mortis tempore. Bonorum possessor non est heres, quia prætor non potest facere heredem, Institut. h. t. vers. quos autem. sed locó heredis habetur, l. 2.

2 *Si tabulæ testamenti extabunt.* Hic & sequens titulus communes sunt bonorum possessionibus ex testamentu delatis.

3 *De bonorum possessione furioso infanti, surdo, cæco competente.* De his personis non immeritò dubitatur, an, & quomodò bonorum possessionem acquirere possint.

4 *De bonorum possessione contra tabulas.* Quæ testamenti iure prætorio subuertendi causa datur liberis præteritis, id est, nec heredibus institutis, nec exheredatis, l. 1. in prin. & inf. de lega. præst. l. 1. in prin. siue sint sui, siue emancipati, siue emancipatorum liberi, l. 3. in princip. & infr. de legat. præst. l. is qui 15. & C. de collat. l. vt liberis. 17. siue postumi, l. 1. §. hæc autem. Quin etiam institutis datur, non tamen per se, sed commisso per fratres præteritos edicto, exheredatis autem nullo modo competit, l. si post. 10. §. pen. & vlt. ergo etiam præteritis à matre vel ab auo materno denegatur, quoniam horum præteritio pro exheredatione habetur, l. 4. §. pen. & Inst. de exhered. liber. §. vlt.

5 *De legatis præstandis, contra tabulas bonorum possessione petita.* Hoc casu legata certis tantum personis præstantur humanitatis causa: nempe liberis, parentibus, & vxori nuruive dotis nomine relictum. Ad hunc casum non pertinet Nou. 115. quæ testamento rescisso omnia legata & fideicommissa conseruat, respiciens ad querelam inofficiosi, non ad bonorum possessionem contra tabulas.

6 *De collatione bonorum.* Collatio bonorum est contributio, qua liberi emancipati partem suorum bonorum liberis integri iuris tribuunt, vt in diuisione bonorum paternorum concurrant, eorumque partem accipiant, l. 3. §. Iulianus, & §. seq.

7 *De dotis* profectitiæ, & donationis propter nuptias *collatione* promiscuè inter liberos suos & emancipatos ex feminis descendentes facienda.

8 *De coniungendis cum emancipato liberis eius* integri iuris in successione bonorum auitorum. Cum enim emãcipatus liberis suis sit gradu potior, hi sint illo potiores ratione suitatis: placet omnes in vnam portionem cõiungi, ita vt pater solis filiis suis conferat, non fratribus suis. Finge Titium decessisse superstitibus quatuor liberis, nempe filio emancipato & ex eo duobus nepotibus in potestate retentis, & altero filio in potestate retento: hic semissem bonorum paternorum obtinebit, singuli nepotes sescũciam consequentur: emancipatus tres vncias accipiet, ac bona sua non fratribus, sed solis filiis suis conferet, l. 1. in princip.

9 *De ventre in possessionem mittendo, & curatore eius.* Cùm bonorum possessio defertur ei qui est in vtero; interim dum partus expectatur, mulier quę eum in vtero gestat, in possessionem mittitur ventris (id est, eius quem in ventre habet) nomine: ac curator ventri & bonis datur.

10 *De Carboniano edicto.* Carbo prætor edixit, vt si cui impuberi controuersia status & bonorum paternorum moueatur: causa summatim cognita, perinde bonorum possessio (præsertim contra tabulas) detur, ac si nulla quæstio status moueretur, status quæstione in tempus pubertatis dilata.

11 *De bonorum possessione secundum tabulas.* Quæ datur directa heredibus scriptis, quia testamentum iure prætorio scripturam requirit, Instit. de testam. §. sed prædicta. Vtilis accommodatur heredibus nuncupatis, C. hoc titulo, l. 2.

12 *Si à parente quis manumissus sit,* & parentem in testamento præterierit, parenti bonorum possessio contra tabulas datur exemplo patroni; secus si manumissio non à parente naturali, sed à filij emptore fiduciario facta esset. Verum hodie quia nulla fit venditio filij, semper qui emancipat, iura manumittentis habet, Instit. de legit. adgn. success. §. vlt.

13 *De bonorum possessione ex testamento militis.* Ex hoc testamento datur tantum bonorum possessio secundum tabulas, non etiam contra tabulas, supr. de testam. mil. l. si à milite. 29. §. vltim. & l. seq.

14 *De iure patronatus,* quod patronus habet in personam & bona liberti quem manumisit.

15 *De obsequiis parentibus* à liberis, *& patronis* à libertis *præstandis.* Obsequium est honor, & gratificatio, quæ bene meritis præstatur.

LIBER XXXVIII.

1 *De operis libertorum* patrono exhibendis. Operæ sunt diurnum officium, l. 1. Diem naturalem intellige, id est, tempus lucis, exclusa nocte.

2 *De bonis libertorum:* in quibus patronus succedit per bonorum possessionem secundum tabulas, vel contra tabulas, vel vnde legitimi. Olim habebant etiam bonorum possessionem vnde patroni, quam Iustinianus sustulit tamquam superuacuam, Institut. de bonor. poss. §. sed eas. Quæ personæ patrono præferantur, tradit Imperator, C. de iur. patron. l. 4. & Inst. de success. libert. §. sed nostra.

3 *De liberis vniuersitatum.*

4 *De adsignandis libertis.* Adsignatio liberti est declaratio à patrono facta, cuius ex liberis suis post mortem suam eum libertum esse velit.

5 *Si quid in fraudem patroni* (quò minùs debitam portionem accipiat, id est, trientem bonorum liberti maioris centenario, Inst. de success. libert. §. penult.) *factum sit:* id est, alienatum à liberto inter viuos, vel in vltima voluntate: patronus ad id reuocandum, liberto intestato mortuo habet actionem Caluisianam, l. 3. §. si intestatus. defuncto cum testamento, habet actionem Fauianam, d. l. 3. §. patronum.

6 *Si tabulæ testamenti nullæ extabunt.* Variæ bonorum possessiones dantur ab intestato, quarum prima est *Vnde liberi,* quæ datur liberis defuncti tam suis, quàm emancipatis, infr. quis ordo in poss. seru. l. 1. §. vltim. & Inst. de hered. quæ ab intest. def. §. emancipati.

7 *Vnde legitimi.* Hęc bonorum possessio defertur omnibus, qui iure ciuili ad hereditatem vel bonorum possessionem vocantur, l. 3.

8 *Vnde cognati.* Hinc proximi cognati succedunt, Inst. de success. cognat. in princip. nec refert vtrum sint tantum cognati, l. 2. an etiam adgnati, l. 1. §. cognationem.

9 *De successorio edicto:* quo fit vt prioribus bonorum possessionem non accipientibus, sequentes in eorum locum succedant, & ad bonorum possessionem admittantur, l. 1. in princip.

10 *De gradibus, & affinibus, & nominibus eorum.* Gradus est cognatorum distantia. Affinitas est coniunctio inter coniugem & alterius coniugis cognatos. Cognatorum vocabulum hic latè accipio, vt complectatur etiam adgnatos.

11 *Vnde vir, & vxor.* Hinc cessantibus liberorum, legitimorum, & cognatorum successionibus, vir superstes vocatur ad bonorum possessionem in bonis vxoris defunctæ: aut vxor superstes in bonis viri defuncti.

12 *De veteranorum & militum successione.* Veterani sunt qui legitimis confectis viginti annorum stipendiis missio

diis missionem honestam impetrarunt. Militem definitus, supr. libr. 29. tit. 1. veteranorum & militum successionem accipe passiuè, id est, qua veteranis vel militibus succeditur.

13 *Quibus non competit bonorum possessio.*

14 *Vt ex legibus senatusve consultis* (aut principum constitutionibus, Inst. de boo. poss. §. septima) *bonorum possessio detur*, siue ex testameoto, siue ab intestato, provt acciderit. Ei qui nouo iure ad bonorum possessionem à supt. expositis diuersam vocatur, prætor hanc tribuit, p. §. septima. ei verò qui ad beteditatem vocatur, vel hanc, vel vnde legitioni concedit, vtram ille elegerit, supr. vnde legit. l. 3.

15 *Quis ordo in bonorum possessionibus seruetur.* Ordo est, secundum quem bonorum possessiones gradatim deferuntur. Hinc bonorum possessiones ordinariæ vocãtur, quia certo ordine deferuntor, vt primo ex testamento, deinde vnde liberi, posteà vnde legitimi, &c. Bonorum autem possessio ex legibus hoe ordioe non continetur, quia modò ex testamento defertur, modò ab intestato, d. §. septima.

16 De *suis & legitimis heredibus.* Suus heres est, qui in morientis potestate fuit ἀμέσως, id est, nulla persona interiecta, vt patri filius, & auo nepos ex filio siue defuncto, siue emancipato. Legitimus est, qui lege duodecim tabularum, vel iure nouo ad bereditatem vocatur, sed & suos heredes lex duodecim tabularum ad hereditatẽ & quidem ante alios vocat. Qui igitur suus est, etiam legitimus est: noo contra quicumque est legitimus, est etiam suus: vnde factum est, vt verbum *legitimus* pressiùs accipiatur, & à suo herede distinguatur, vt in hac rubr. Sed in bonorum possessione vnde legitimi, verbum *legitimi* etiam suos complectitur, sup. de successor. ed. l. 1. §. sed videndum.

17 *Ad S.C. Tertullianum, & Orphitianum.* Ex Tertulliano mater filiis & filiabus, Institut. de S. C. Tertul. §. postea. ex Orphitiano filij & filiæ matri succedunt, Iostit. de S.C. Orphit. in princ. ex constitutiooibus nepotes & neptes succeduot auiæ, Instit. eod. §. 1. Auia non succedit nepotibus & neptibus, nisi ex Nou. 118. cap. 2.

LIBER XXXIX.

1 *De operis noui nunciatione.* Nunciare nouũ opus, est vicino denunciare, ne opus nouum faciat. Opus nouum facit, qui ædificans, aut de ædificio detrahens, pristinam operis faciem mutat, l. 1. §. opus. l. stipulatio. 21. §. opus. Hac ratione etiam is, qui opus nouum faciendi ius habet, id donec nunciatio à prætore remittatur facere prohibetur, nisi de opete, si contra se indicatum fuerit, restituendo satisdet, l. non solum. 8. §. sciendum.

2 *De damno infecto, & de suggrundis, & protectionibus.* In iodice titulorum scriptum est, *De damno infecto, & protectionibus & suggrundis.* Damnũ infectum est, quod oondum factum, futurum timetur, l. 2. Proiectum est, quod ita extra ędes prouehitur, vt nusquam requiescat, vt suggrunda, & protectum, infr. de verb. sign. l. malum, a 42. §. 1. suggrunda sunt tabulæ circum ædificia à summo extensæ, quæ tuentur ædes ab ioiuria imbrium, atque etiam, si lariguæ fuerint, a periculo incendij, vt Cuiacius notat ex Palladio & Vitruuio. Protectio, vel protectum est prominens recti pars, quæ stillicidium arcet à pariete.

3 De *aqua* (id est, aquæ seruitutibus) & actione *aquæ pluuiæ arcendæ.* Hęc quoque actio est de damno infecto, quod futurũ metuitur, l. 1. §. 1. l. 6. §. officium. l. Anteus. 14. §. in hoc iudicium, l. vicinus 24. per aquam pluuiam, (id est, quæ de cœlo cadit, vel imbre excrescit, p. l. 1. in princ.) ex opere manufacto, d. l. 1. §. 1.

4 *De Publicanis, & vectigalibus & commissis.* Publicanus est publicorum vectigalium conductor, l. 1. §. 1. l. quantę 12. §. vltim. Vectigal (quod & publicum vectigal, & simpliciter publicum dicitur) est fisci & reipublicæ reditus: veluti quod propter merces importandas & exportandas debetur. Cõmissa dicuntur res quæ fisco acquiruntur ob id, quod aliquid factum est, vel omissum: veluti propter illicitas merces aduectas, aut propter vectigal quod debetur, non solutum, l. commissa. 14. Commissa etiam dicuntur delicta, ex quibus hęres fisco acquiruntur, l. 7. §. 1. & l. seq. in princip.

5 De *donationibus.* Donatio simplex & propriè dicta est, rei alienatio in perpetuum, merè liberalis & gratuita.

6 De *mortis causa donationibus, & capionibus.* Mortis causa donatio est, cùm quis mauult se habere quàm donatarium: & mauult donatarium habere, quàm heredem suum, l. 1. & Institut. de donation. §. 1. Mortis causa capio est acquisitio propter mortem alterius, proprio nomioe vacans, l. mortis causa capitur, 31. in princip. Pone testatorem legasse Titio fundum, si Mæuio decem dederit. Titius ex causa legati fundum ab herede, Mæuius mortis causa decem à Titio capit.

LIBER XL.

1 De *manumissionibus.* Manumissio est de manu missio, id est, datio libertatis, supr. de iust. & iur. l. 4, & Instit. de libertin. in princ.

2 De *manumissis vindicta.* Vindicta est virga seu festuca manumissionis symbolum, quę serui in libertatem vindicandi capiti imponebatur apud eum, apud quem est legis actio.

3 De *manumissionibus, quæ seruis ad vniuersitatem pertinentibus imponuntur.*

4 De *manumissis testamento:* veluti, *Stichus liber esto.*

5 De *fideicommissariis libertatibus*, veluti, *Rogo te heres, vt Stichum manumittas.* Qui ita manumittitùr, fit libertus heredis: is verò qui directò libertatem ex domini sui testamento accipit, fit libertus orcinus, id est defuncti, Iostitut. de sing. reb. per fideicomm. relic. §. penultim.

6 De *ademptione libertatis.* Olim testamenro, vel codicillis libertas data non poterat adimi, hodie potest, supr. tit. prox. l. si seruus. 50. & de manum. testam. l. si peculium. 10. §. 1.

7 De *statuliberis.* Statulibet est, qui statutam & destinatam in tempus vel conditionem libertatẽ habet, l. 1. est ergo non re, sed spe liber: nam libertas in testamento non tantum purè dari, sed etiam suspendi potest.

8 *Qui sine manumissione ad libertatem perueniunt*, id est, libertini fiunt ipso iure: vt is, quem dominus habuit pro derelictu, l. 2.

9 *Qui, & à quibus manumissi, liberi non fiunt: & ad Æliam Sentiam.* Variis de causis manumissio non valet, & libertas impeditur. Huc spectat lex Ælia Sentia, de qua dictum fuit, Instit. lib. 1. tit. 6.

10 De *iure aureorum anulorum.* Aureum anulum apud Romanos fuisse notam equestris dignitatis, nemo nescit. Qui ius aureorum anulorum impetrat à principe, iura ingenuitatis consequitur, sed ita vt manumissori ius patronatus conseruetur, l. pen. & vlt.

11 De *natalibus restituendis*, id est, de his qui à principe restituuntur natalibus, in quibus omnes homines fuerunt antequam seruitus introducta esset. Hi plenè consequuntur ingenuitatem extincto iure patronatus, l. 2.

12 De *liberali causa*, id est, de præiudicio, quo quæritur, vtrum aliquis sit liber, an seruus.

13 *Quibus ad libertatem proclamare non licet.*

14 *Si ingenuus esse dicetur.* Hic titulus est de quo iudico, quo quæritur, vtrum sit ingenuus an libertinus.

15 *Ne de statu defunctorum post quinquennium quæratur* in deteriorem conditionem, nam iu meliorem quæri, nihil prohibet, veluti si dicatur liber, vel ingenuus, l. 1. §. vltim. & l. 3.

16 *De collusione detegenda.* Collusio est duorum litigare simulantium tacitus consensus. Qui colludente domino liber prouunciatus est, seruus fit eius qui collusionem detexit, l. 1. Qui verò colludente patrono pronunciatus est ingenuus, fit libertus eius qui collusionem detexit, supr. de in ius vocan. l. adoptiuum. 8. §. 1.

LIBER XLI.

1 *De acquirendo rerum dominio.* Dominium est ius, quo res nostra est, ita vt de ea pro libitu disponere possimus, C. manda. l. in re mandata. 21. nisi vi, aut iure, aut testamento, aut conuentione prohibeamur, C. de reb. alie. non alien. l. vltim.

2 *De acquirenda vel amittenda possessione.* Possessio est detentio rei corporalis, l. 3. in princip. in commercio existentis, l. cum heredes. 23. §. vltim. l. qui vniuersas. 30. §. 1. Qui sibi per se, vel per alium, animo domini possidet, ciuiliter possidere dicitur. Qui verò non animo domini, putà precariò, rem corporaliter tenet, naturaliter dicitur possidere. Qui alteri possidet, vt commodatarius, depositarius, non dicitur possidere, sed esse in possessioue, l. 1. in princip. l. 3. §. vltim. l. si quis ante. 10. §. 1. & C. eod. l. nemo. 10. Acquiritur possessio animo, & corpore, non solo animo, nec solo corpore, l. quemadmodum. 8. & ferè eodē modo amittitur, quo acquisita est, d. l. quemadmodum, & infr. de div. reg. iur. l. ferè quibuscumque. 153. iuterdum tamen solo animo amittitur, l. 3. §. in amittenda, l. si quis vi. 17. §. 1. l. si me. 34. in princip. l. peregrè. 44. §. vltim. quemadmodum solo animo retinetur, l. 3. §. quod si seruus. & Instit. de interdict. §. possidere.

3 *De vsurpationibus, & vsucapionibus.* Vsurpatio est vsucapionis interruptio, l. 2. Vsucapio est adiectio dominij per continuatiouem possessionis temporis lege definiti, l. 3. id est, triennij in rebus mobilibus; decennij inter præsentes, viginti annorum inter absentes in rebus immobilibus, & C. de vsucap. transform. l. vnic.

4 *Pro emptore.* Pro emptore possider, & vsucapit, qui à non domiuo emit.

5 *Pro herede vel pro possessore.* Pro herede possidet, qui tamquam heres vel possessor bona fide possidet: pro possessore possider prædo, supr. de vsurp. & vsuc. l. uon solùm. 33. §. 1. ergo pro herede vsucapitur, pro possessore non vsucapitur. Scio Doctores aliter interpretari, sed malo sequi legum, quàm Doctorum vestigia.

6 *Pro donato.* Pro donato vsucapit is, cui non dominus rem donauit, l. 1. in princ. & Institut. de vsucapit. in priucip.

7 *Pro derelicto.* Qui rei à non domino pro derelicto habitæ possessionem nactus est, rem vsucapit titulo pro derelicto.

8 *Pro legato.* Pro legato vsucapit is, cui res legata est, l. 1. à non domino, l. 4.

9 *Pro dote.* Pro dote vsucapit, qui res dotis causa, l. 1. in princip. à non domino accepit, l. vltim.

10 *Pro suo.* Pro suo possider, & vsucapit. I. Qui ex iusta causa à uon domino rem accepit: vnde hic titulus cùm superioribus concurrit, l. 1. in princip. I I. qui iusto errore ductus putat se habere titulum; putà, quia heres rem quasi legatam ei tradidit, l. 4. §. vltim. I I I. Qui titulo in re vsucapta caret: veluti qui partum ancillæ à non domino emptæ vsucapit, l. 2.

LIBER XLII.

1 *De re iudicata, & de effectu sententiarum, & de interlocutionibus.* Res iudicata dicitur: quæ finem controuersiarum pronunciatione iudicis accipit. Ea pronunciatio vocatur sententia, vel sententia definitiua: quæ diuiditur in absolutoriam, & condemnatoriam, l. 1. Effectus sententiæ est, vt executioni mandetur, l. à Diuo Pio. 15. nisi appellatum sit, Instit. de satisdat. §. si verò aliquis, in fin. Interlocutio est præceptum iudicis sine absolutione & condemnatione, idcirco litem plerumque nou perimens, C. de sentent. & interlocut. omn. iudic. l. post senteutiam. 9.

2 *De confessis* in iure, vt pro condemnatis habeantur, l. 1. 3. 6.

3 *De cessione bonorum.* Cedere bonis est, omnia bona sua creditoribus dimittere.

4 *Quibus ex causis* (finalibus) *in possessionem* (vniuersorum bonorum) *eatur.* Hæ causæ sunt tres. I. Rei, id est, debiti seruandi causa. I I. Legatorum seruandorum causa. I I I. Ventris nomine, l. 1. De prima causa agitur hoc titulo: de secunda, supr. lib. 36. tit. vltim. de tertia sup. lib. 25. t. 5. & 6. & lib. 37. t. 9. Aliæ sunt causæ, ex quibus quis mittitur in possessionem alicuius rei: vt damni infecti nomine mittitur in possessionem ędium, quæ ruinam minantur, si earum nomine de damno infecto non caueatur, d. l. 1.

5 *De rebus auctoritate iudicis possidendis, seu vendundis.* Hactenus dictum est de primo decreto, quo creditores in possessionem mittuntur: sequitur secundum, quo possidere iubentur: vt deinde ea distrahant, & sibi satisfaciant: qua in re quia priuilegiorum habetur ratio, vt priùs satisfiat creditoribus priuilegariis, quàm ceteris, idcirco in calce huius tituli à l. cùm bona. 16. agitur de priuilegiis creditorum, & ante eam legem in vulgatis exemplaribus habetur hæc rubrica, *De priuilegiis creditorum.*

6 *De separationibus*, bonorum. Separatio est quadruplex, I. Desiderantibus creditoribus hereditariis bona hereditaria separātur à bonis heredis, vt ex illis satisfiat creditoribus hereditariis, & ex his satisfiat creditoribus heredis, l. 1. §. 1. I I. Seruus heres domini sui necessarius, priusquam se immisceat, impetrare potest separationem bonorum suorum à bonis defuncti, ne creditores hereditarij in propria ipsius bona aliquid iuris habeant, d. l. 1. §. vlt. I I I. Si liberta Titio, patronus libertæ successerit, datur patrono separatio bonorum libertæ à bonis Titianis, ne onere alieno Titiano oneretur, l. penultim. §. 1. I V. Si filiusfamilias habeat bona castrensia & paganica, creditoribus castrensibus conceditur separatio bonorum castrensium à paganicis, d. l. 1. §. si filijfamilias.

7 *De curatore bonis* (debitoris, in quorum possessionem creditores missi sunt, custodiendis, administrandis, distrahendis) *dando*, vel ex communi creditorum consensu, l. vltim. vel auctoritate magistratus, l. 2. in princ.

8 *Quæ in fraudem creditorum* à debitore *facta* siue alienata *sunt, vt restituantur.* Hoc nomine creditoribus datur, I. Actio Pauliana, l. 1. in princip. & fer. de vsur. l. videamus generali. 38. §. in Fauiana. I I. Actio rescissoria ad rem vindicandam, Instit. de actionib. §. si quis in fraudem. I I I. Interdictum fraudatorium, in eum qui ab homine obærato sciens emit, l. ait prætor. 10. in princ. & §. 1. I V. Actio in factum aduersus fraudatorem in id quod facere potest, aut dolo malo fecit, quo minus facere posset, l. vltim. §. vltim.

LIBER XLIII.

1 *De interdictis, siue extraordinariis actionibus, quæ pro his competunt.* Interdicta erant formulæ quibus prætor aliquid fieri iubebar, vel prohibebar, quod tunc maximè fiebat, cùm de possessione, aut quasi possessione erat controuersia, Inst. hoc tit. in princip. Sequebatur interdictum actio, qua quærebatur, an contra interdictum factum esset: sed hodie perinde iudicatur sine interdictis, ac si vtilis actio ex causa interdicti reddita fuisset, Inst. cod. §. vltim.

2 Quorum

2 *Quorum bonorum.* Hæc & sequens rubrica sumuntur à primis interdictorum verbis. Hoc interdictum datur bonorum possessori aduersus eum qui pro herede, vel pro possessore possidet, & est restitutorium adipiscendæ possessionis, l. 1.

3 *Quod legatorum.* Hoc interdicto is qui legatorum nomine aliquid temere occupauit, cogitur id heredi seu bonorum possessori restituere, l. 1. §. & continet.

4 *Ne vis fiat ei, qui in possessionem missus erit*; quò minùs in possessionem veniat, & in possessione sit. Hoc est interdictum prohibitorium: cui adiunctum est restitutorium, his aut similibus verbis conceptum, *Quod dolo malo factum est quò minùs is in possessionem veniret, id restituas.*

5 *De tabulis* (ad causam testamenti pertinentibus, l. 1. §. hoc interdictum) *exhibendis*, ei qui aliquid in testamento adscriptum habet, l. 3. §. solent. ab eo penes quem tabulæ sunt, cuiusve dolo malo factum est quò minùs essent, d. l. 1. in princ. d. l. 3. §. si quis dolo. Apparet hoc interdictum esse exhibitorium, d. l. 3. §. hoc interdictum. Exhibere autem est, materiæ ipsius adprehendendę copiam facere apud prætorem, vt ex eius auctoritate testes admoniti veniant ad signa recognoscenda, d. l. 3. §. quid sit. & §. seq.

6 *Ne quid in loco sacro* (vel sancto, l. 2. vel religioso, supr. de ope. no. nunc. l. 1. §. 1.) *fiat*, quod deformitatem, vel incommodum afferat, l. 1. §. quod ait. & vt factum restituatur, supr. de interdict. l. 2. §. 1. & infr. ne quid in lo. pub. l. 2. §. locorum.

7 *De locis & itineribus publicis*, de quibus interdicta titulis sequentibus proponentur. Loci publici appellatio, & publicum iter seu, viam publicam, & areas, insulas & agros publicos complectitur, infr. tit. prox. l. 2. §. publici. Publica autem sunt, quorum solum publicum est, d. l. 2. §. viam. ita vt eorum vsus publicus sit, d. l. 2. §. ad ea. nam de locis fiscalibus nulla sunt interdicta, d. l. 2. §. hoc interdictum.

8 *Ne quid in loco publico, vel itinere* publico *fiat*, quod vel in loco publico factum alicui noceat, nisi lege, aut senatusconsulto, aut constitutione principis concessum sit, l. 2. in princip. vel viam siue iter publicum rusticum, d. l. 2. §. hoc interdictum tantùm. deterius reddat, d. l. 2. §. ait prætor. alioquin quod deteriorem viam seu deterius iter facit, restituendum est, d. l. 2. §. prætor ait. Et ne cui vis fiat, quò minùs ei via publica itinereve publico ire agere liceat, d. l. 2. §. vltim.

9 *De loco publico fruendo*, secundum legem locationis ab eo factæ, qui locandi ius habuit, l. 1. in princip.

10 *De via publica* vrbana nulla sunt interdicta, *& si quid in ea factum esse dicatur*, ad curam & officium ædilium curulium pertinet, l. vn.

11 *De via publica* rustica, *& itinere publico* rustico *reficiendo*, ne reficienti vis fiat, quò minus reficere possit. l. 1. in princip.

12 *De fluminibus* publicis, de quibus & eorum ripis subiiciuntur aliquot interdicta, quorum primum est, *ne quid in flumine publico ripáve eius fiat, quo peius nauigetur*, l. 1. in princip. & vt ita factum restituatur, d. l. 1. §. deinde. Publicum flumen est, quod perenne est, d. l. 1. §. item fluminum. Ripa est id, quod flumen continet, naturalem sui cursus rigorem tenens, d. l. 1. §. ripa. vel quæ plenissimum flumen continet, l. penultim. §. 1.

13 *Ne quid in flumine publico fiat quò aliter aqua fluat, atque vti priore æstate fluxit*, l. 1. in princip. & vt ita factum restituatur, d. l. 1. §. deinde.

14 *Vt in flumine publico nauigare liceat*, nec vis nauiganti fiat quominus nauigare possit, l. 1. in princip.

15 *De ripa muniendo*: ne reficienti ac munienti vis fiat, quo minùs id faciat, dummodò nec nauigationi officiat, & damni infecti in annos decem caueat, l. vnic. in princip.

16 *De vi* quotidiana siue priuata, quæ fit sine armis, *& de vi* publica siue *armata*; vt per vim de possessione rei immobilis deiectus restituatur, l. 1. §. 1. hoc interdictum non ad omnem; cum quinque paragraphis sequentib.

17 *Vti possidetis* rem immobilem, quò minùs ita possideatis, vim fieri prætor vetat, l. 1. in princip. §. 1. & §. penultim.

18 *De superficiebus.* In indice scriptum est, *de superficiis.* Superficies, seu superficium dicitur, quod solo inædificatum est: superficiarius est, qui vtile dominium habet superficiei positæ in alieno solo, quod in perpetuum, vel ad longum tempus conduxit, supr. de rei vindic. l. id est. 74. Huic datur interdictum prohibitorium, ne vis ei fiat, quò minùs vtatur fruatur ex lege locationis, l. 1. in princip.

19 *De itinere, actuque priuato*, & via priuata, quę iter & factum in se continet. Nam iter est ius eundi: actus est ius agendi: via est ius eundi & agendi, supr. de seruit. præd. rustic. l. 1. in princip. & Institut. de seruit. in princip. Hic dantur duo interdicta prohibitoria, I. Ne vis fiat, quò minùs quis itinere, actu, via vtatur, vt hoc anno sine vitio vsus est, l. 1. in princip. II. Ne vis ei fiat reficienti, si damni infecti caueat, l. 3. §. ait prætor.

20 *De aqua quotidiana, & æstiua.* Aqua quotidiana est, quæ quotidie duci potest, & solet: æstiua, qua vti expedit, sola æstate, l. 1. §. quotidiana. & §§. seqq. Æstas est anni tempus semestre ab æquinoctio verno vsque ad æquinoctium autumnale: hyems est reliquum semestre tempus, d. l. 1. §. æstatem. Æquinoctium est dies, qua lux est nocti æqualis: quod bis in anno contingit: nempe cum sol est in principio arietis, & cum est in principio Libræ. Illud est æquinoctium vernum. 21. Martij: hoc est æquinoctium autumnale 24. Septembris. Solstitium verò est dies, qua lucis & noctis longitudo maximè differunt. Cùm lux est longissima, nox breuissima, æstiuum Solstitium est, 22. Iunij: contrà cum lux est longissima, nox breuissima, hybernum est solstitium, 22. Decembris. Hoc titulo tria interdicta proponuntur prohibitoria, ne vis fiat aquam ducenti: primum de aqua quotidiana, d. l. 1. in princip. & §. 1 alterum de aqua æstiua, d. l. 1. §. deinde. & §. seq. quorum vtrumque est de aqua à capite ducenda, §. hæc interdicta. & §. hoc interdictum necessariò. tertium de aqua ex castello ducenda, d. l. 1. §. ait prætor quo. Caput aquæ est, vnde aqua nascitur, d. l. 1, §. caput. Castellum est receptaculum, quod aquam publicam suscipit, d. l. 1. §. hoc interdictum necessariò.

21 *De riuis* interdicitur, ne vis fiat reficienti, purganti riuos, specus, septa, aquę ducendæ causa, l. 1. in princ. Riuus est locus per longitudinem depressus, per quem aqua decurrit, d. l. 1. §. ait ergo. qui flumine minor est, vel esse existimatur, supr. de fluminib. l. 1. §. 1. Specus est locus, ex quo despicitur, d. l. 1. §. specus. Septa sunt, quæ ad incile opponuntur aquæ deriuendæ causa, d. l. 1. §. septa. Incile est locus depressus ad latus fluminis (vel riui) ex eo dictum, quod lapis vel terra inciditur, vt aqua duci possit, d. l. 1. §. incile. Reficere est, quod corruptum est in pristinum statum restaurare, d. l. 1. §. deinde. Purgare est sordes auferre.

22 *De fonte*, vt ex eo aquam ducere, l. vnic. in princip. & vt reficere liceat, d. l. vnic. §. deinde. Fons est, ex quo aqua nascitur, supr. de aqua quotid. & æsti. l. 1. §. caput.

23 *De cloacis*, priuatis, vel publicis. Cloaca est locus cauus per quem colluuies quædam fluit. l. 1. §. Cloaca.

De priuata cloaca interdicitur, vt eam reficere liceat cautione præstita de damno infecto, l. 1. in princip. De publica interdicitur, ne quid in eã immittatur, aut fiat, quò vsus eius deterioretur, & vt factum restituatur, d. l. 1. §. penultim. & vltim. & ne vis fiat eam purganti & reficienti, l. 2.

24 *Quod vi, aut clam*, vel partim vi, partim clam factum est, l. is qui 11. §. interdictum. restitui prætor iubet, l. 1. in princip. Vi facit, cui denunciatum est, ne faceret, d. l. 1. §. quid sit. Clam facit, qui aduersario, à quo controuersiam metuebat, aut metuere debebat, celandi causa non denunciauit se facturum, l. 3. §. penultim. & vltim.

25 *De remissionibus*. Remissio (vt Cuiacius definit) est abolitio nunciationis operis noui à prætore facta. Ergo post remissionem non dicetur opus vi fieri, quia sublata est denunciatio propter quam vi factum videri poterat.

26 *De precario*. Precarium est, quod precibus petenti vtendum conceditur tamdiu, quamdiu is, qui concessit, patitur, l. 1. in princip.

27 *De arboribus cadendis*, si in ædes nostras impendeant; vel quindecim pedes à solo coercendis, si in agrum nostrum impendeant, l. 1. in princip. §. deinde, & §. vltim.

28 *De glande*, quæ in fundum alienum cecidit, tertio quoque die *legenda*. Glans est arboris vel herbæ fructus.

29 *De homine libero exhibendo* ab eo, à quo retinetur dolo malo, l. 1. in princip.

30 De liberis parenti in cuius potestate sunt, l. 1. §. 1. *exhibendis*, d. l. 1. in princip. *item* ab eo *ducendis*, ne vis fiat quo minùs ducere liceat, l. 3. in princ.

31 *Vtrubi*. Hoc interdictum in rebus mobilibus idem valet, quod in rebus immobilibus interdictum vti possideris, l. vnic. §. 1. & Institut. de interdic. §. retinendæ, vers. hodie.

32 *De migrando*: ne vis fiat inquilino ex ædibus conductis migranti, quò minùs res à nexu pignoris liberas asportare liceat, l. 1. in princip.

33 *De Saluiano interdicto*: à Saluo Iuliano Iurisconsulto, edicti perpetui compositore, prætoriis interdictis adiecto, quo creditor, præsertim fundi locator, possessionem pignorum adipiscitur.

LIBER XLIV.

1 *De exceptionibus, præscriptionibus, & præiudiciis*. Exceptio est actionis exclusio, l. 2. in princip. præscriptio est exceptio, præsertim temporis, vel fori. Præiudicium est iudicium priùs quam alterum iudicium cum quo concurrit, examinandum, Institut. de actionibus, §. præiudiciales. Hinc aduersus eum, qui posterius iudicium mouet, exceptio sumitur, nisi potiori iudicio præiudicium fiat, l. si post litem. 13. l. fundum. 16. l. fundi. 18. l. rei. 21. & supr. de heredit. petit. l. 5. §. vltim.

2 *De exceptione rei iudicatæ*, ne de eadem re sæpius agatur.

3 *De diuersis temporalibus præscriptionibus, & de accessionibus possessionum*. Temporalis præscriptio est exceptio sumpta à tempore, quo actio terminatur. Possessionis accessio est temporis, quo decessor possedit, cum tempore quo possedit successor, coniunctio ad præscriptionem perficiendam. Sic tempus defuncti coniungitur cum tempore heredis, & tempus venditoris cum tempore emptoris, Institut. de vsucap. §. diutina, & §. seq.

4 *De doli mali, & metus exceptione*. Definitus est dolus malus titulo 3. libri quarti: metus titulo 2. eiusdem libri.

5 *Quarum rerum actio non datur* à prætore, licet ipso iure competat propter euidentiam & certitudinem exceptionis actionem elidentis, supr. de iureiur. l. nam posteaquam. 9. in princip.

6 *De litigiosis*. Litigiosa res est, de cuius dominio lis per vocationem in ius mota est, Nouella 112. capite 1. Hinc datur exceptio contra eum, qui rem litigiosam quoquo titulo acquisitam vindicat, l. 1. §. 1.

7 *De obligationibus & actionibus*. Obligatio definita est, Institut. de oblgat. lib. 3. titulo 13. Actio definita est, Institut. de actionib. lib. 4. titulo. 6.

DIGES

DIGESTORVM, SEV PANDECTARVM PARS VII.

LIBER XLV.

- In septima parte explicantur
  - Iudicia
    - Priuata, ex
      - Contractu
        - Ciuili. Hic agitur de obligatione, quæ
          - Contrahitur per stipulationem
            - Principalem expositam
              - Generaliter, tit. 1.
              - Specialiter, cùm cōtrahitur per
                - Duos reos, tit. 2.
                - Seruos, tit. 3.

LIBER XLVI.

            - Accessoriam, tit. 1.
          - Tollitur
            - Nouatione, tit. 2.
            - Solutione, tit. 3.
            - Acceptilatione, tit. 4.
        - Prætorio, id est, stipulatione prætoria, tit. 5. vt
          - Rem pupilli vel adolescentis saluam fore, tit. 5.
          - Iudicatum solui, tit. 6.
          - Ratam rem haberi, tit. 7.

LIBER XLVII.


      - Delicto
        - Ordinario, ti. 1. vt
          - Furto, de quo
            - Agitur generaliter, tit. 2.
            - Specialiter consideratur
              - Res surrepta, tit. 3.
              - Persona, quæ furti teneatur ex furto admisso
                - A se, vt is, qui in testamento manumissus est, tit. 4.
                - Ab aliis, vt
                  - Nauta, caupo, stabularius, tit. 5.
                  - Dominus, cuius familia furtum fecit, tit. 6.
          - Arboribus furtim cæsis, tit. 7.
          - Rapina. Damno. tit. 8. 9.
          - Iniuria, tit. 10.
        - Extraordinario, tit. 11. vt
          - Sepulchro violato, tit. 12.
          - Concussione, tit. 13.
          - Abigeatu, tit. 14.
          - Præuaricatione, tit. 15.
          - Receptis latronibus, tit. 16.
          - Furto balneario, tit. 17.
          - Effractione. Expilatione. tit. 18.
          - Expilata hereditate, tit. 19.
          - Stellionatu, tit. 20.
          - Termino moto, tit. 21.
          - Illicitis collegiis & corporibus, tit. 22.
    - Publica,
      - Popularia, tit. 23.

LIBER XLVIII.

      - Criminalia, quæ propriè vocantur publica, tit. 1. Horum explicatur
        - Institutio, per accusationem, tit. 2. & custodiam atque exhibitionem reorum, tit. 3.
        - Species, vt de
          - Læsa maiestate, tit. 4.
          - Adulterio, tit. 5.
          - Vi
            - Publica, tit. 6.
            - Priuata, tit. 7.
          - Cæde, veneficio, incendio, tit. 8.
          - Parricidio, tit. 9.
          - Falso, tit. 10.
          - Repetundis, tit. 11.
          - Fraudata annona, tit. 12.
          - Peculatu, Sacrilegio, Reliquatione. tit. 13.
          - Ambitu, tit. 14.
          - Plagio, tit. 15.
        - Impedimenta tollenda, & progressus faciendus. Hic quæritur, quid faciendum, si
          - Accusator
            - Calumnietur. Tergiuersetur. Desistat. tit. 16.
          - Reus
            - Absit, tit. 17.
            - Inficietur, tit. 18.
        - Effectus & executio. Hic tractatur de
          - Pœnis infligendis, tit. 19. vt
            - Bonorum publicatione eius qui
              - Damnatus est, tit. 20.
              - Mortem sibi consciuit, tit. 21.
              - Aduersarium corrupit, tit. 22.
            - Interdictione, relegatione, deportatione, tit. 23.
          - Restitutione punitorum, tit. 24.
          - Cadaueribus punitorum tit. 25.
      - Extraordinaria. B.
  - Communia omnium partium iuris. C.


Omnibus his iudiciis cōmunes sūt appellationes, & relationes. A.

LIBER XLIX.



- A De appellatione, tit. 1.
  - Interponenda tria confiderantur
    - 1. Is, à quo appellatur, tit. 2.
    - 2. Is, ad quem appellatur, tit. 3.
    - 3. Tempus appellandi, tit. 4.
  - Interpofita declarantur effectus
    - Veri:
      - 1. Appellatio recipitur, tit. 5.
      - 2. Libelli dimifforij dantur, tit. 6.
      - 3. Nihil innouandum appellatione pendente, tit. 7.
      - 4. Sententia primi iudicis refcinditur, tit. 8.
      - 5. Caufæ appellationis reddi debent, tit. 9. 10.
    - Falfi, qui videntur, nec funt. Hîc quæritur,
      - An is, qui appellauit, in prouincia defendi debeat, tit. 11.
      - An apud eum, à quo appellatum eft, alia caufa agi debeat, tit. 12.
  - Extinguenda, tit. 13.
- B Iudicia publica extraordinaria diuiduntur in
  - Fifcalia, tit. 14.
  - Militaria. Hîc agitur de
    - Captiuitate, reditu, redemptione, tit. 15.
    - Difciplina militari, tit. 16.
    - Caftrenfi peculio, tit. 17.
    - Veteranis, tit. 18.

LIBER L.



  - Municipalia. In hac parte agitur de
    - Perfonis, quarum duplex diuifio eft:
      - Primò aut funt
        - Originarij
          - Natiuitate.
          - Manumiffione.
          - Adoptione.
        - Voluntarij
          - Domicilio. hi vocantur incolæ.
          - Adlectione.
        - tit. 1.
      - Secundò aut funt
        - Decuriones, tit. 2. quorum nomina in albo fcribuntor, tit. 3.
        - Plebeij, de quibus nullus eft titulus.
    - Muneribus, tit. 4. 5. 6. quorũ fpecies funt,
      - Legatio, tit. 7.
      - Adminiftratio rerum ad ciuitatem pertinentium, tit. 8. de quibus decreta ab ordine decurionum interponi folent, tit. 9. vt de operibus publicis, tit. 10.
      - Cura nundinarum, tit. 11.
      - Exactio eorum, quæ quis Reipublicæ pollicitus eft, tit. 12.
      - Iudicandi officium. Nam prætor aut præfes vel iudicem dat, vel ipfe extra ordinem cognofcit, tit. 13. vt de proxeneticis, tit. 14.
      - Cenfura, tit. 15.
- C Ad omnes iuris partes pertinent, & ex omnibus iuris partibus colliguntur
  - Verborum fignificationes, tit. 16.
  - Regulæ iuris, tit. 17.

Tituli feptimæ partis Digeftorum breuiter expofiti.

LIBER XLV.

1 *De verborum obligationibus*, quæ ftipulationibus contrahuntur. Nam de verborum obligatione ex iureiurando liberti, id eft, fi libertus patrono munus, donum, operas fe daturum iurauerit, Gaius libr. 2. Inftit. tit. 9. §. item & alio. hîc non agitur : & multò minùs de dictione dotis, de qua Gaius eo. tit. §. funt & aliæ, & Vlpianus tit. 7. in princ. vel pollicitatione dotis, de qua in l. 6. C. de dotis promiffione. quoniam hæc ftipulatione ceffante obtinebat : hodie verò dotis ftipulatio, fi expreffè facta non fit, poteftate iuris fuppletur, & tacitè facta intelligitur, C. de rei vxor. act. l. vn. in princip.

2 *De duobus reis conftituendis* ftipulandi & promittendi. Duo rei ftipulandi funt, qui eandem rem ftipulantur vna ftipulatione, ita vt folidum fingulis, fed femel tantùm foluendum debeatur. Duo rei promittendi funt, qui eandem rem vna ftipulatione promittunt, ita vt finguli folidum debeant, & vnus foluens omnes liberet, l. 1. & 2.

3 *De ftipulatione feruorum*. Serui ex dominorum perfona ius ftipulandi habent, Inftitut. hoc titulo in princip.

LIBER XLVI.

1 *De fideiufforibus & mandatoribus*. Fideiuffor fiue adpromiffor dicitur, qui pro alio promittit, non eum liberans, fed eius obligationi accedens. Mandator eft, qui contrahi mandat.

2 *De nouationibus & delegationibus*. Nouatio eft veteris obligationis in nouam transfufio atque tranflatio, l. 1. in princip. Delegatio eft, cùm quis vice fua alium reum dat creditori, vel cui creditor iuffit, l. delegare eft, 11. in princip.

3 *De folutionibus, & liberationibus*. Solutio interdum accipitur pro liberatione, l. folutionis. 54. & infr. de verb. fignif. l. liberationis. 47. fed hoc loco accipitur pro fpeciali quadam caufa obligationis, ac definiri poteft, rei quæ debetur, vel confentienti creditori alius rei præftatio, Inftitut. quib. mod. toll. oblig. §. 1. nam aliud pro alio creditori inuito folui nequit, fupr. de reb. cred. l. 2. §. 1. Liberatio eft obligationis diffolutio.

4 *De acceptilatione*. Acceptilatio eft verborum conceptio, quibus creditor animo diffoluendæ obligationis fatetur fe accepiffe, quod non accepit.

5 *De ftipulationibus prætoriis*: quę iuffu prætoris, fecundum

dum formulam à prętore præscriptam interponuntur: quales sunt quæ tribus sequentibus titulis considerantur.

6 *Rem pupilli, vel adolescentis saluam fore.* Hanc satisdationem tutores & curatores legitimi, vel sine inquisitione dati præstare tenentur, non testamentarij, nec dati ex inquisitione, nisi soli administrare velint, Instit. de satisd. tutor. in princ. & §. t.

7 *Iudicatum solui.* Hæc satisdatio præstatur à rei alienæ defensore, Inst. de satisdat. §. sed hodie, §. si verò aliquis. & §. seq. ac tres habet clausulas. I. de re iudicata, vnde sumitur appellatio iudicatum solui. 2. de re defendenda. 3. de dolo malo, id est, dolum malum abesse, absuturumque esse, l. 6.

8 De satisdatione *ratam rem haberi*, & generaliter *de ratihabitione.* Qui nomine alieno agit, si de mandato dubitetur, cauet rem ratam dominū habiturum, l. nec satisdatio. 21. & Inst. de satisdat. §. sin autem. Ratihabitio est approbatio eius quod nobis ignorantibus factum est: vel, Rem haberi ratam, est comprobare adgnoscereque, quod actum est à falso procuratore, l. quo enim. 12. §. 1.

LIBER XLVII.

1 *De priuatis delictis.* Priuata delicta sunt, ex quibus actio datur ei cuius interest, & pœna ordinaria irrogatur: vt furtum, rapina, damnum, iniuria, Inst. de oblig. quæ ex delic. in princip.

2 *De furtis.* Furtum est contrectatio rei fraudulosa lucri faciendi gratia, l. 1. §. vltim. & Institut. de oblig. quæ ex delict. §. 1.

3 *De tigno iniuncto* ædibus, aut vineæ. Tignū est omnis materia, ex qua ædificium constat, vel quæ necessaria est vineæ, l. 1, §. 1. De tigno alienis ædibus, aut alienæ vineæ iuncto est actio in duplum ex lege duodecim tabularum, l. 1. in princip. & Inst. de rer. diuis. §. cùm in suo solo.

4 *Si is, qui testamento liber esse iussus erit, post mortem domini, ante aditam hereditatem, surripuisse, aut corrupisse quid dicetur*, ex rebus hereditatis iacentis: in hunc datur actio prætoria in duplum annalis, l. 1. in princip.

5 De actione *furti aduersus nautas, caupones, stabularios* ob furtum ab his commissum, quorum opera nauem, cauponam, stabulum exercent. Coniunge titulum vltimum libri quarti.

6 *Si familia furtum fecisse dicetur.* Dominus ob furtum à seruis suis factum (nam familia hic seruorum intelligitur, vt & aliis quibusdam locis, infr. de verb. sign. l. pronunciatio. 95. §. seruitutum.) stricto iure tenetur vel omnes noxæ dedere, vel pro singulis æstimationem litis offerre: sed beneficio huius edicti (quod Iurisconsulti per interpretationem produxerunt ad damnum à familia datum, l. 1. §. si plures, & supr. de lc. Aquil. l. illud. 32.) liberatur, si tantum præstet, quantum ob vnius serui delictum præstare deberet l. 1. in princ.

7 *Arborum furtim cæsarum.* Qui arbores furtim, id est, clam cecidit, vel vnxit, vel subsecuit, non solùm tenetur lege Aquilia, sed etiam ex lege duodecim tabularum actione arborum furtim cæsarum, l. 1. in princip. l. 5. §. 1. l. 7. §. si quis, & l. siue in duplum, l. 7. §. vltim. Arbores sunt, quæ radices habent, l. 3. nec sunt adeo tenetæ, vt nerbarum loco sint, l. 4. Furtim est clam, l. 1. facienda 8. §. 1. id est, ignorante domino eiusque celandi animo, l. 7. Cædere est succidere, vel cædendi causa ferire. Cingere seu deglabrare est librum seu corticem detrahere. Subsecare est serra secare, d. l. 5. in princip.

8 *De actione vi bonorum raptorum*, in eum cuius dolo malo hominibus coactis damnum datum, aut bona rapta esse dicuntur, l. 2. in princip. *& de turba*, siue actione in eum competente, cuius dolo malo in turba damnum factum esse dicetur, l. 4. in princip. Turba est multitudinis hominum turbatio & cœtus, l. 4. §. turbam autem ex quo.

9 *De incendio, ruina, naufragio, rate, naue expugnata*, id est, de actione prætoria in eum, qui ex incendio, ruina, &c. qui rapuerit, aut receperit dolo malo, damnumve in his rebus dederit, l. 1. in princip.

10 *De iniuriis, & famosis libellis.* Iniuriam definiui. Inst. lib. 4. tit. 4. Famosus libellus est, scriptura ad alterius infamiam pertinens, l. 5. §. si quis.

11 *De extraordinariis criminibus*, ex quibus non irrogatur certa pœna iure definita, sed extra ordinem arbitrio iudicis delinquens coercetur.

12 *De sepulchro violato.* Sepulchrum est locus in quo corpus ossave hominis sepulturæ causa condita sunt, l. 3. §. sepulchri. & sup. de religiosis, l. 2. §. sepulchri.

13 *De concussione.* Concussio est iniectio terroris, rei extorquendæ causa.

14 *De abigeis.* Abigei dicuntur, qui pecora ex pascuis, vel armentis subtrahunt, & quodammodò depredantur, & abigendi studium quasi artem exercent, l. 1. §. 1.

15 *De præuaricatione.* Præuaricator est quasi varicator, qui diuersam partem adiuuat prodita causa sua, l. 1. in princip. & supr. de his qui not. inf. l. 4. §. calumniator. Varicator est, qui varicibus laborat. Varices sunt vnearum tumor, præsertim in cruribus accidens: quo fit, vt hoc morbo laborantes, rectà incedere nequeant.

16 *De receptatoribus*, qui latrones aliorúmve criminum reos dolo malo recipiunt.

17 *De furibus balneariis*: qui vestimenta eorum, qui in balneis lauantur, surripiunt.

18 *De effractoribus & expilatoribus.* Effractores sunt, qui fores aut parietes dolo malo effringunt. Expilatores sunt qui hominem per vim spoliant vestibus, aut pecuniis. Hoc titulo agitur etiam de saccularijs, qui vetitas artes in sacculo exercentes, partim subducunt, partim subtrahunt, & directarijs, qui in aliena venacula se dirigunt furandi animo, supr. de extraordin. crimin. l. 7.

19 *Expilata hereditatis.* Expilata hereditas dicitur, cùm ex ea nondum adita, vel saltem nondum possessa aliquid surripitur: quo casu non dicitur furtum, quia nemo est, cui furtum factum dici possit, l. 2. §. 1. & l. vltim.

20 *Stellionatus.* Stellionatus est omne crimen proprio nomine carens, sic dictum à stellione lacerti genere callido & versuto.

21 *De termino moto*, id est, si terminus finium distinguendorum causa positus, loco motus sit, l. 2.

22 *De collegiis & corporibus.* Collegia & alia corpora, quocumque nomine appellentur, illicita sunt, nisi sint nominatim permissa, l 3. §. 1.

23 *De popularibus actionibus.* Popularis actio est, quæ ius populi tuetur, l. 1. & cuius integræ personæ committitur, cui per edictum postulare licet, l. 4. Differt à publica accusatione potissimum, vt remedium prætorium à ciuili. vide disputat. 30. the. 8.

LIBER XLVIII.

1 *De publicis iudiciis.* Publica iudicia sunt quæ ex legibus publicorum iudiciorum veniunt, l. 1.

2 *De accusationibus & inscriptionibus.* Accusatio est criminis, & eius qui crimen admisit, ad iudicem delatio & persecutio vindictæ & pœnæ causa. Inscriptio est libelli accusatorij subscriptio, quę fit à futuro accusatore se pœnæ talionis, nisi crimen peregerit & probauerit, subiiciente. Libellus accusatorius est, quo quis profitetur se velle aliquem certo nomine & certa lege accusare, ideoque eum inter reos recipi petit.

3 *De custodia & exhibitione reorum.* Rei iudicio pendente,

dente,custodiuntur, & cum iudex iusserit, exhibentur, C.de exhib.reis,l.vltim.

4 *Ad legem Iuliam læsæ maiestatis.*

5 *Ad legem Iuliam de adulteriis coercendis.* In hac lege adulterium & stuprum promiscuè accipiuntur: quamquam propriè loquendo,adulterium in nuptà committitur,stuprum in virginem, aut viduam honestè viuentem: (nam si vulgò se præstituat,scortatio dicitur,non stuprum) aut puerum, l.6.§.1.& Inst.de public.iudic.§. item lex Iulia de adulteriis.

6 *Ad legem Iuliam de vi publica*,quæ fit armis, l. 1. & Inst.de interdict.§. recuperandæ. aut hominibus conuocatis,l.qui dolo.10.§. 1. aut à publica persona potestate sua abutente,l.7.aut contra ius reipublicæ, vt noua vectigalia instituendo,l.vlt.

7 *Ad legem Iuliam de vi priuata*, quæ à priuato in priuatum priuata quadam ratione, proinde sine armis committitur.

8 *Ad legem Corneliam de sicariis & veneficiis.*Sicarius dicitur à sica,gladio breuiori incuruo:sed per abusionem sicarij dicuntur, qui cædem quocumque telo committunt,Quintil.lib. 10.cap.1.vel hominis occidendi causa cum telo ambulant.Telum autem dicitur, quicquid manu iacitur, infr.de verb.signif.l.si caluitur.233.§.telum,& Inst.de publ.iud.§.item lex Cornelia de sicariis. Venefici sunt, qui venenum malum parant, habent, vendunt, præbent:aut susurris magicis vtuntur ad hominum perniciem,l.3.& Inst.de publ.iudic.d.§.item lex Cornelia de sicariis,vers.vltim.

9 *De lege Pompeia de parricidiis.* Patricidium est species homicidij: nam parricidæ sunt, qui coniunctas personas hic enumeratas occidunt, vt patrem, auum, filium,nepotem,&c.

10 *De lege Cornelia de falsis,& de S.C.Libonianum.*Falsum (vt hîc accipitur) est veritatis imitatio, l. quid sit falsum. 23. vel occultatio,l. instrumentorum. 16.§.vltim. Senatusconsultum Libonianum pœnæ legis Corneliæ de falsis subiicit eum, qui sibi, aut ei quem in potestate habet, testatore consentiente hereditatem aut legatum adscribit: & vocatur etiam Claudianum, quia factum est ex edicto Claudij Neronis, l. Diuus 15. in princ. Sueto.in Nerone, cap.17.

11 *De lege Iulia repetundarum.* De repetundis tenentur in quadruplum officio publico fungentes,& eorum comites qui pecunias à priuatis acceperunt, quò magis, vel quò minùs officium fieret, l. 1. in princip. l.3. 4.5.

12 *De lege Iulia de annona*, fraudata seu flagellata ab eo,qui aliquid fecit, vel societatem coiit, quo annona carior esset.

13 *Ad legem Iuliam peculatus,& de sacrilegiis,& de residuis.*Peculatus est furtum pecuniæ publicæ,vel religiosæ,vel sacræ,ab eo commissum,cuius periculo ea pecunia non erat,l.1.l.sacrilegi.9.§.Labeo, & §.seq.Sacrilegium est iuris sacri violatio, veluti si quis ex ecclesia extrahatur,C.eod.l.2.aut pecuniam sacram, vel ex loco sacro surripiat, quo casu est species peculatus,d.l.1.l.4. in princ.& d.l. sacrilegi. Residuorum crimen committit, qui pecuniam publicam in vsum aliquem delegatam retinuit, nec in vsum illum consumpsit, l.2.d.l.4. §.sed & qui,d.l.sacrilegi.§.penultim.

14 *De lege Iulia* de pœna *ambitus* illicitè facti, vt suffragiis clam pecunia emptis. Nam in toga candida honores palam ambire licuisse, nemo nescit.

15 *De lege Fabia de plagiariis.* Plagiarij sunt, qui dolo malo homines liberos, aut seruos alienos intercipiunt, ac supprimunt,l.3.& 6. dicti ἀπὸ τῦ πλαγίου, quod est, dolose,vt Suidæ placet.

16 *Ad S.C.Turpillianum,& de abolitionibus criminum.* Senatusconsulto Turpilliano puniuntur qui tergiuersantur, id est, institutam accusationem deserunt, nisi abolitio criminis, hoc est accusationis interuenerit. Abolitio est accusati è reorum numero exemptio.

17 *De requirendis vel absentibus damnandis.* Reus absens modò damnatur, modò requirendus adnotatur, bonis obsignatis, quæ,nisi intra annum veniat,confiscantur.

18 *De quæstionibus.* Quæstio est interrogatio per tormenta,quæ aut de reis habetur,l.vnius.18 in prin.& §. 1.aut de seruis, l.1. §. 1. aut de testibus vilibus & infamibus,supr.de testib.l.ob carmen. 21. §.penult. veritatis eruendæ causa, supr.de iniur.l.item apud 15.§.quæstionem.

19 *De pœnis.* Pœna est delicti seu criminis æstimatio & coercitio,l.sanctio.41.in fin.& inf.de diuer.reg.iur.l. omnis hereditas,138.§. 1.

20 *De bonis damnatorum*, modò in totum, modò ex parte confiscandis,modò non confiscandis.

21 *De bonis eorum, qui ante sententiam vel mortem sibi consciuerunt,vel accusatorem corruperunt*,confiscandis vel non.

22 *De interdictis,& relegatis,& deportatis.* Interdictus est,qui à loco,vel officio,vel negotiatione,vel alia re in perpetuum vel ad tempus summouetur. Relegatus est, qui salua ciuitate, certo loco se continere, aut à certis locis abstinere iubetur.

23 *De sententiam passis*,& à principe *restitutis.*

24 *De cadaueribus punitorum*, transferendis, vel non transferendis & sepeliendis, vel sine sepultura relinquendis.

LIBER XLIX.

1 *De appellationibus & relationibus.* Appellatio seu prouocatio est querela de grauamine per inferioris iudicis sententiam, vel per nominationem ad honorem munúsve publicum illato,quod à superiori tolli petitur. Relatio est actorum & opinionis suæ à iudice ad superiorem dimissio.

2 *A quibus appellari non licet.*

3 *Quis à quo appelletur.*

4 *Quando appellandum sit,& intra quæ tempora.*

5 *De appellationibus recipiendis* à iudice, à quo appellatur,*vel non* recipiendis.

6 *De libellis dimissoriis qui apostoli dicuntur*,id est, de literis,quibus is à quo appellatum fuit,causam dimittit ad superiorem, ad quem fuit appellatum. Apostoli dicuntur ἀπὸ τῦ ἀποςέλλειν, quod est dimittere.

7 *Nihil innouari appellatione interposita.* Appellatione pendente nihil est innouandum, etiamsi iudex à quo appellatum est, appellationem non receperit, l. 1. in princip.

8 *Quæ sententiæ sine appellatione rescindantur.*

9 *An per alium causæ appellationum reddi possunt.*

10 *Si tutor, vel curator, vel magistratus creatus appellauerit*,nisi causam appellationis probauerit, periculum subibit,ac si non appellasset, l.1.& 2. & Instit. de excus.tutor.§.vltim.

11 *Eum,qui in prouincia appellauerit*, & appellationis prosequendæ causa peregrè est, nihilominus *in* eadem *prouincia* conueniri, ex alia causa posse, & ibi *defendi* debere,l.1.

12 *Apud eum, à quo appellatur, aliam causam agere compellendum.* Non solum conueniri quis de alia causa potest in prouincia,ex qua appellauit,sed etiam apud eundem iudicem,à quo appellauit.

13 An appellatio extinguatur, *Si pendente appellatione,mors interuenerit* appellantis; vel eius contra quem appellatum est;vel eius quo de agitur.

14 *De iure fisci.* Fiscus est publica principis pecunia siue imperij patrimonium.

15 *De captiuis & de postliminio, & de redemptis ab hostibus.* Capt.

bus. Captiuus, qui in bello captus, iure gentium seruus hostium factus est. Postliminium est iuris fictio, qua captiuos ad suos reuersus semper in ciuitate fuisse creditur. Redemptus ab hostibus dicitur, quem ciuis data hostibus pecunia reduxit in ciuitatem.

16 De *re militari*.

17 De *castrensi peculio*: quod filiusfamilias acquisiuit occasione militiæ armatæ, cui est ascriptus. Vide tit. suprà de peculio.

18 De *veteranis*. Veteranus est, qui legitima viginti annorum stipendia confecit, C. de his qui non impl. stipen. sacra. solu. sunt. l. vlt. qui si in militia maneant, dicuntur milites veterani: si dimissi sint, vocantur simpliciter veterani, vt hîc, & suprà de veteran. & mil. success. & aliis locis.

LIBER L.

1 *Ad* legem *municipalem, & de incolis*. Lex municipalis est lex municipij, qua municipes vtuntur. Municipium propriè loquendo distinguitur à colonia, l. eius qui. 27. §. 1. (differentiam Gellius explicat lib. 16. cap. 13.) sed hîc latiùs accipitur pro quacunq; ciuitate Romano imperio subiecta, cuius ciues dicuntur municipes, l. 1. §. 1. Est autem municeps vel origine, vel domicilio. ille vocatur originarius, vel originalis: hic appellatur incola, C. de incol. l. 4. 6. 7. Domicilij definitionem vide C. de incolis, lib. 10. tit. 39.

2 De *decurionibus, & filiis eorum*. Decurio seu curialis est senator municipalis, Nou. Maior. de curialibus. Cassiod. lib. 9. cap. 2. in fi.

3 De *albo* (id est, matricula decurionum) *scribendo*.

4 De *muneribus, & honoribus*. Munus est, quod necessariò abimus, lege, more, imperióve eius qui iubendi habet potestatem, infr. de verb. signif. l. munus. 214. vel, officium priuati hominis, ex quo commodum ad singulos vniuersósque ciues, rémque eorum, imperio magistratus extraordinarium (aliàs, extraordinario) peruenit, infrà eo. l. pupillus. 239. §. munus. Honor est administratio reipublicæ cum dignitatis gradu, l. honor. 14. in princ.

5 De *vacatione, & excusatione munerum*. Vacatio est à munere obeundo abstentio, iure vel beneficio principis concessa. Excusatio est factum, quod vacationem meretur.

6 De *iure immunitatis*. Immunitas est priuilegium tribuens facultatem abstinendi a munere siue onere subeundo.

7 De *legationibus*. Legatio est munus legati. Legatus est, qui publicè mittitur ad publicum negotium expediendum, repræsentans principem, vel rempublicam, à quo mittitur. Hic titulus est de legatis reipublicæ ad principem.

8 De *administratione rerum ad ciuitatem pertinentium*. Eiusmodi munere fungitur curator operum publicorum, curator Kalendarij, & alij.

9 De *decretis ab ordine* decurionum *faciendis*. Duo sunt ordines in quolibet municipio, alter decurionum, alter plebeiorum: sed κατ' ἐξοχὴν appellatione ordinis significatur ordo decurionum, id est, curia.

10 De *operibus publicis*. quorum curam & munus subiens, vocatur curator operum, l. 1. in princ. & l. 2. §. 1.

11 De *nundinis*. Nundinæ sunt frequens multorum hominum, etiam exterorum concursus, mercatûs causa.

12 De *pollicitationibus*. Pollicitatio est solius offerentis promissio, id est, sine mutuo consensu eius, cui pollicitatio fit, l. 3. in princ.

13 De *extraordinariis cognitionibus. & si iudex litẽ suam fecisse dicetur*. Qui iurisdictioni præest, aut ipse de causa cognoscit, aut dat iudicem qui cognoscat. Illo casu dicitur cognitio extraordinaria. hoc casu iudex datus si adeò malè iudicet, vt ab eo, quem sua sententia læsit, conueniri eo nomine possit, litem suam facere dicitur.


14 De *proxeneticis*. Proxeneticum est præmium proxenetæ. Proxeneta est, qui negotium aliquod inter duos conciliat, vt contractum, vel nuptias, vel amicitiam, vel assessuram, l. vlt.

15 De *censibus*. Census est ciuium, & bonorum in publicas tabulas relata descriptio.

16 De *verborum* (id est, dictionum, & orationum ad ius pertinentium) *significatione*.

17 De *diuersis regulis iuris antiqui*. Regula est breuis rerum narratio ex iure sumpta, l. 1. Diuersæ regulæ sunt, quæ ex diuersis partibus iuris sunt depromptæ. Antiquum ius est, quod libris veterum iurisconsultorum continetur.

CODEX.



ADNOTATIONES.

a Ius diuinum seu sacrum, vel humanum appello à materia, qua de agitur: vt ius diuinum siue sacrum dicatur, quod tractat de rebus diuinis, & sacris, quæ ad fidem & religionem Christianam pertinent: humanum, quod differit de rebus humanis. Alibi diuinum, vel humanum dicitur à causa efficiente: quoniam illud Deum, hoc homines auctores habet.

b In Pandectis hoc membrum est omissum. rursus in Pandectis agitur de iudiciis senatoriis, quæ hîc prætermittuntur: nisi dicamus eadem esse iudicia senatoria, & principalia, quòd princeps in senatu iudicet. Atqui iudicat potiùs in consistorio, quàm in senatu, Nou. 23. cap. 2. consistorium autem & senatus differunt, vt proceres & senatores, infrà de legib. l. humanum. 8. nã proceres dicuntur, qui in consistorio principis iudicant, infrà de tempor. appell. l. vlt. §. in his autem. & quan. prouoc. non est necess. l. vlt.

c Magistratus vocabulum hîc latè accipio, vt complectar etiam eos qui in potestate sunt, vt proconsules, & cæteros, qui à magistratibus propriè dictis distinguntur, D. de iurisdict. l. eum qui. 25. §. 1. & quod quisq. iur. l. 1. § 1.

d Vt eorum, quibus iurisdictio mandata est.

e Id est, de restitutionibus in integrum.

f Hæc diuisio similiter habetur in secunda parte Digestorum.

g Hi explicantur in tertia parte Digestorum, vide suprà Digesta, adnot. l.

h Hi declarantur in quarta parte digestorum, vide suprà Digesta, adnot. n.

i Tam ciuili, quàm prætoria: & tam ex testamento, quàm ab intestato.

k Quam qui habet, possidere dicitur.


l Quam qui habet, non dicitur possidere, sed esse in possessione: quod minus est quàm possidere. Nota hæc in iure differre, prætorem esse, & prætura fungi, D. de offic. prætor. l. 3. esse seruum, & esse in seruitute, D. ex quib. caus. ma. l. ei quoque. 11. & Inst. de ingen. §. vltim. possidere, & esse in possessione, D. de acquir. poss. l. 3. §. vlt. l. si quis ante. 10. §. 1.

m Vel condictione indebiti, D. de condict. indeb. l. indebiti. 15. §. 1. sed quia hæc actio rarò possessionem plerumque rem repetit, non hoc, sed alio commodiori loco proponitur.

n Fortasse propter nouam actionem, id est, condictionem ex lege, quam Iustinianus donatario tribuit aduersus donatorem, infrà de donat. l. si quis argentum. 35. §. vltim. Nouell. 162. cap. 1. hîc tractatus de donationibus in vltimum ciuilium iudiciorum locum reiectus est.

CODI

CODICIS LIBER I.



- Ius
  - Sacrū tractat de
    - Fide, tit. 1.
    - Personis, & rebus ecclesiasticis, tit. 2. 3. 4.
    - Personis alienis à religione, vt
      - Hæreticis, tit. 5. 6.
      - Apostatis, tit. 7.
      - Conculcantibus signum crucis, tit. 8.
      - Iudæis, Cœlicolis, Paganis, — tit. 9. 10. 11.
    - His, qui beneficium aliquod in ecclesia expetunt. Huc referuntur
      - Confugientes ad ecclesias, Exclamantes in ecclesia, — tit. 12.
      - Manumissi in ecclesia, tit. 13.
  - Humanū tractat de
    - Ipso iure, cuius
      - Species sunt
        - Leges. — tit. 14.
        - Constitutiones, quæ considerantur
          - In genere. — tit. 14.
          - In specie, id est,
            - Edicta, Mandata, tit. 15.
        - Senatusconsulta, tit. 16.
        - Responsa prudentum, tit. 17.
      - Accidens est scientia, vel ignorantia, tit. 18.
    - Principe, cuius opē imploramus
      - Precibus, id est, libellis supplicibus. Hîc agitur de
        - Ipsis precibus: de quibus hæc declarantur:
          - 1. Per quos offerri possint, 2. De quibus rebus supplicare liceat, — tit. 19.
          - 3. Effectus supplicationis, tit. 20.
          - 4. Vitia supplicationū, veluti si supplicetur
            - Lite pendente, Lite finita, — tit. 21.
            - Contra ius, Contra publicā vtilitatē, Per mendacium, — ti. 22.
        - Rescriptis, quibus ad preces respondetur, tit. 23.
      - Confugiendo ad eius statuas, siue imagines, tit. 24. 25.
    - Magistratibus
      - Vrbanis. Prouincialibus. de quibus tria explicantur
        - I. Diuisio prima in
          - Ordinarios. Hi subdiuiduntur in
            - Illustres: quales sunt
              - Præfectus prætorio
                - Orientis, Illyrici, — tit. 25.
                - Africæ, tit. 27.
              - Præfectus vrbi, tit. 28.
              - Magister militum, tit. 29.
              - Quæstor, tit. 30.
              - Magister officiorum, tit. 31.
              - Comes sacrarum largitionū, tit. 32.
              - Comes rerum priuatarum, tit. 33.
              - Comes sacri patrimonij, tit. 34.
            - Spectabiles: quales sunt
              - Proconsul, tit. 35.
              - Comes Orientis, tit. 36.
              - Præfectus Augustalis, tit. 37.
              - Vicarius, tit. 38.
            - Clarissimos: quales sunt
              - Prætor, tit. 39.
              - Rector prouinciæ, tit. 40. 41.
          - Extraordinarios, quales sunt
            - Præfectus annonæ, tit. 42.
            - Præfectus vigilum, tit. 43.
        - II. Diuisio secūda in
          - Ciuiles, tit. 44.
          - Militares, tit. 45. quales sunt tribuni, & comites rei militaris, tit. 46. 47.
        - III. Communia dictis magistratib. id est,
          - Officium, tit. 48. 49. 50.
          - Personæ adiunctæ, vt adsessores, domestici, & cancellarij, tit. 51.
          - Emolumenta quæ ex publico percipiunt, tit. 52.
          - Contractus, & donationes, Ædificia, — tit. 53.
          - Multæ, tit. 54.
      - Singularum ciuitatum, vt
        - Defensoribus, tit. 55.
        - Duumuiris, tit. 56.
        - Iuridico Alexandriæ, tit. 57.

Tituli libri primi Codicis breuiter explanati.

1 *De summa Trinitate, & fide Catholica, & ut nemo de ea contendere audeat.* Summa Trinitas (id est, Deus essentia vnus, personis trinus) est fundamentum siue obiectum fidei Catholicæ. Fides est virtus, qua creduntur, quæ non videntur, ad religionem pertinentia. Sententiar. lib. 3. distinct. 23. b. Fides Catholica est, quam Catholica & orthodoxa ecclesia amplectitur.

2 *De sacrosanctis ecclesiis, & de rebus, & priuilegiis earũ.* Ecclesia est corpus seu cœtus personarum ecclesiasticarum. Alibi aliter accipitur.

3 *De episcopis, & clericis, & orphanotrophis, & xenodochiis, & brephotrophiis, & ptochotrophiis, asceteriis, & monachis, & priuilegiis eorũ, & quasi castrensi peculio, & de redimẽdis captiuis, & de nuptiis clericorum vetitis, seu permissis.* Episcopus est, cui totius alicuius cathedralis ecclesiæ cura incumbit, seu, qui ecclesiæ cathedrali præest. Clerici sunt, qui in ecclesia Christi deseruiunt, dist. 21. cap. 1. in princip. Orphanotrophus minorum parentibus orbatorum curam habet in orphanotrophio: xenodochus aduenarum in xenodochio: brephotrophus infantium in brephotrophio: ptochotrophus inopum in ptochotrophio. Ascetriæ dicuntur, qui vt liberè Deo seruiant, & diuinis meditationibus se assiduè exerceant, in asceteriis, id est, locis ad id destinatis degunt. His similes sunt monachi, qui in monasteriis à vulgi commercio separati degunt. Omnes hæ personæ fruuntur variis priuilegiis: inter quæ hoc est, vt tanquam religiosi milites, si filiifamiliarum sint, peculium habeant quasi castrense. Non tantùm autem orphanorum, aduenarum, infantum, inopum, sed etiam captiuorum ratio habenda est, & danda opera vt redimantur. Porrò clericorum alij sunt in minoribus ordinibus, vt lectores, & cantores, qui nuptias contrahere possunt: alij sunt in maioribus ordinibus, vt episcopi & presbyteri, qui nuptias contrahere prohibentur, l. sacris. 45. & distinctione 32.

4 *De episcopali audientia, & de diuersis capitulis, quæ ad ius curámque & reuerentiam pertinent episcopalem.* Vt magistratus iurisdictio, & iudicis pedanei notio, D. de re iudic. l. 5. in princip. sic episcopi audientia dicitur. Ad ius episcopi pertinet, quod episcopus facere potest, vel nõ potest: ad curam quod facere debet. Reuerentia verò episcopo à subditis exhibetur.

5 *De hæreticis, & Manichæis, & Samaritis.* Hæretici sunt, qui veram religionem non omnino abolent, sed falsis dogmatibus permixtis polluunt. Samaritæ Iudæis hæretici fuerunt, Manichæi Christianis: nam horum secta constat ex Christianismo, sed Christum negant esse verum Deum: illorum secta constat ex Iudaismo, & Paganismo.

6 *Ne sanctum baptisma iteretur.* Hoc titulo damnantur hæretici anabaptistæ, qui baptizatos iterum baptizant.

7 *De apostatis*, qui à religione Christiana desciscunt, vt Iulianus Imperator, apostatæ cognomine notatus est, quia defecit à religione Christiana ad paganismum.

8 *Nemini licere signum saluatoris Christi humi, vel in silice, vel in marmore aut insculpere, aut pingere*: signum Christi, id est, crucem non omnino vetat insculpi, aut pingi, sed tantùm humi, ne à prætereuntibus conculcetur.

9 *De Iudæis, & cœlicolis*, vt suprà tit. 5. Samaritarum, ita hoc titulo Iudæorum nomen à fide & religione, non à gente sumitur. Vulgus hæc confundens, Iudaismum Christianis Israëlitis impiè obiicit. Iudæi igitur in iure dicuntur, qui legem Mosaicam recipiunt, Christi Euangelium repudiant. Cœlicolæ sunt, qui cœlestia sydera adorant.

10 *Ne Christianum mancipium hæreticus, vel Iudæus, vel paganus habeat, vel possideat, vel circumcidat.* Habere est dominum esse, aut rem tenere, D. de verbo. obliga. l. stipulatio ista. 38. §. habere. Possidere est ciuiliter animo domini, vel naturaliter seu corporaliter rem detinere, infrà de acq. possess. l. nemo. 10. Hæreticus Iudæus, & paganus neutro modo mancipium Christianum habere, vel possidere possunt.

11 *De paganis, & eorum sacrificiis, & templis.* Pagani sunt idolorum, & dæmonum cultores, qui etiam ethnici seu gentiles vocantur. Sic accipiuntur pagani hoc loco: alibi verò opponuntur militibus. Quid ergo, si dicamus hîc quoque paganos dici, quia Deo & Christo non militant?

12 *De his, qui ad ecclesias confugiunt, vel ibi exclamant.* Ecclesia hîc, & titulo sequenti accipitur pro sacris ædibus, in alia significatione sumebatur suprà tit. 2.

13 *De his qui in ecclesiis manumittuntur.*

14 *De legibus & constitutionibus principum, & edictis.* Lex est, quod populus, Inst. de iu. natu. §. lex est. vel plebs constituit, D. ad leg. Aquil. l. 1. §. 1. & dist. 2. can. quædam. Constitutio est, quod principi placet vim legis habere, D. de cõstit. princ. l 1. & Inst. de iu. natur. §. sed & quod. Edictum est generalis constitutio publicè proposita, vt ab omnibus obseruetur.

15 *De mandatis principum*, id est, præceptis datis certæ personæ, vt præsidi prouinciæ.

16 *De senatusconsultis.* Senatusconsultum definitum est D. lib. 1. tit. 3.

17 *De veteri iure enucleando, & de auctoritate iurisprudentum, qui in Pandectis referuntur.* Vetus ius est, quod libris veterum iurecõsultorum continebatur. Enucleare est idonea seligere, & inutilia prætermittere, quod à Pandectarum compositoribus factum est. Omnium autem Iurisconsultorum, ex quorum scriptis capita sunt in Pandectas relata, auctoritas est æqualis: omnium enim responsa ex constitutione Iustiniani vim habent imperialium constitutionum, l. 2. §. ne autem.

18 *De iuris & facti ignorantia.* Vt quæstionum aliæ sunt iuris, aliæ facti: ita scientia vel ignorantia partim est iuris, partim facti. τὰ γὰρ ζητήματα ἐστιν ἴσα τὸν ἀριθμὸν, ὅσαπερ ἐπιστάμεθα. 2. Poster. Analyt. cap. 1. *Totidem numero sunt, quæ quærimus, & quæ scimus.* adde vel ignoramus. an minor (exempli causa) veniam ætatis impetrauerit, est quæstio facti. an impetrata ætatis venia possit res suas alienare, iuris quæstio est.

19 *De precibus Imperatori offerendis, & de quibus rebus liceat supplicare, vel non.* Preces sunt, desideria & postulata supplicantium principi.

20 *Quando libellus* supplex *principi datus, litis contestationem faciat.* Libellus supplex est, qui preces supplicantium continet. Alij sunt libelli, de quibus alibi, vt dimissorij, D. de libellis dimiss. inscriptionis, D. de accusat. l. 3. famosi. infr. de famos. libel. sed nimis longum esset omnes referre.

21 *Vt lite pendente* in prima instantia, *vel post prouocationem* lite pendente in secunda instantia, *aut definitiuam sententiam* (quæ liti finem imposuit, D. de re iudica. l. 1.) *nulli liceat Imperatori supplicare.*

22 *Si contra ius, vel vtilitatem publicam, vel per mendacium fuerit aliquid postulatum, vel impetratum.* His casibus regulariter rescriptum principis impetranti non prodest.

23 *De diuersis rescriptis, & pragmaticis sanctionib.* Rescriptum est principis respõsum ad libellum supplicem, seu consultationem. Pragmatica sanctio est constitutio principis de negotio publico, causa in consistorio cognita.

24 *De statuis, & imaginibus.* Statua est simulachrum sculptura aut fusione factum: imago est effigies picta. Hæc duo coniunxit etiam Suetonius in Tiberio, ca.26. inquiens, *Etiam statuas & imagines nisi permittente se poni prohibuit.*

25 *De his, qui ad statuas confugiunt.*

26 De *officio præfecti prætoriorum Orientis, & Illyrici.* Vnus est generalis titulus in D. de officio præfecti prætorio, lib.1.tit.11.

27 *De officio præfecti prætorio Africæ, & omni eiusdem diœceseos statu.* Diœcesis plures prouincias continet. singulis prouinciis præsunt præsides: toti diœcesi præest præfectus prætorio.

28 *De officio præfecti vrbi.* De hoc dictum est D. lib. 1. tit.12.

29 *De officio magistri militum.* Hic talem potestatẽ habet in milites, & duces militares, qualem præfectus prætorio in paganos, & præsides prouinciarum.

30 *De officio quæstoris.* D.lib.1.tit.13.

31 *De officio magistri officiorum.* Qui præest officiis aulicis.

32 *De officio comitis sacrarum largitionum.* cuius curæ committuntur sacræ largitiones, id est, thesauri fiscales, non auaritiæ, sed largitionis causa comparati.

33 *De officio comitis rerum priuatarum principis.*

34 De *officio comitis sacri patrimonij.* Vt principis substantia triplex est, ita tres diuersi comites sunt, qui eius curam habent: comes sacrarum largitionum, comes rerum priuatarum, & comes sacri patrimonij.

35 De *officio proconsulis, & legati.* D.lib.1.tit.16. De horum apparitoribus vide infrà lib.12.tit.55.

36 De *officio comitis Orientis.* Huic Orientales prouinciæ subiectæ erant.

37 De *officio præfecti Augustalis.* D.lib.1.tit.37.

38 De *officio vicarij.* Intellige vicarium præfecti prætorio missum in tractum seu diœcesim aliquam multas prouincias continentem.

39 De *officio prætorum.* D.lib.1.tit.14.

40 De *officio rectoris prouinciæ.* D.lib.1.tit.18.

41 *Vt nullus patriæ suæ administratio sine speciali permissu principis permittatur.*

42 De *officio præfecti annonæ.* Annona est quicquid ad genus humanum alendum annus suppeditat.

43 De *officio præfecti vigilum.* D.lib.1.tit.15.

44 De *officio ciuilium iudicum.* Ciuiles opponuntur militaribus.

45 De *officio militarium iudicum.*

46 De *officio tribuni, & comitis militaris.* Hic titulus, & qui hunc sequitur, sunt de minoribus tribunis cohortium seu numerorum, & de præfectis ac præpositis castrorum comitiua dignitate honoratorum.

47 *Ne res militaris comitibus minoribus, vel tribunis lauacra* (id est, priuata balnea, à prouincialibus, qui eos hospitio excipiunt, inuitis) *præstentur.*

48 De *officio diuersorum iudicum*, tam ciuilium, quàm militarium.

49 *Vt omnes iudices, tam ciuiles quàm militares, post administrationem depositam, quinquaginta dies in ciuitatibus, vel certis locis permaneant*, & sui copiam in publico faciant, vt ciuiliter, vel criminaliter conueniri possint de furtis, concussionibus, aliisq; criminibus administrationis tempore admissis.

50 De *officio eius, qui vicem alicuius iudicis obtinet*, id est, cui administratio ad tempus commissa est, putà in locum præsidis defuncti, vel remoti.

51 De *adsessoribus, & domesticis, & cancellariis iudicum.* Adsessores sunt iuris periti, qui iudicibus adsident consilij de iure præbendi causa: vnde etiam consiliarij vocantur, l.1.& 3.& D. de offic. adsess. l.1. & l. pen. Domestici sunt milites ad custodiam iudicum deputati. Cancellarij dicuntur, qui iudicibus sunt à secretis.

52 De *annonis & capitu administrantium, & eorum adsessorum, aliorúmve publicas solicitudines gerentium, vel eorum qui aliquam consecuti sunt dignitatem.* Annonæ & capita sunt salaria iudicum, & adsessorum, & omnino eorum, quibus curatio publica, vel officium publicum est commissum: sed annonæ dicuntur, quæ ad hominum alimenta pertinent, vt panis, vinum, oleum, &c. capita verò sunt pabula iumentorum, vt fœnum.

53 De *contractibus iudicum, vel eorum qui sunt circa eos, & inhibendis donationibus in eos faciẽdis, & ne administrationis tempore proprias ædes ædificent.* Quid sit contractus, vide Institutiones, adnotat. g.

54 De *modo* (id est, quantitate) *multarum, quæ à iudicibus infliguntur.* Multa est coërcitio extraordinaria, iudicis multantis arbitrio irrogata, D. de verb. sign. l. aliud. 131.§.1.

55 *De defensoribus ciuitatum.* Ordines & magistratus municipales similes sunt, & proportione quadã respondent vrbicis: vt curia senatui, decuriones senatoribus, duumuiri consulibus, defensores ciuitatum (qui & defensores plebis vocantur) tribunis plebis.

56 *De magistratibus municipalibus*, vt duumuiris. Defensores ciuitatum, de quibus superiori titulo dictum fuit, non erant magistratus, quemadmodum nec tribuni plebis in vrbe.

57 *De officio iuridici Alexandriæ.* D. libro primo, titul.20.

CODICIS LIBER II.

Libro secundo Codicis agitur de

- Iudiciis magistratuum. Hic tractatur
  - I. De his iudiciis instituendis. vbi tria explicantur
    - 1. Editio, tit. 1.
    - 2. Vocatio in ius, tit. 2.
    - 3. Necessitas se sistendi in iudicio: à qua excusant
      - Pacta, tit. 3.
      - Transactiones, tit. 4. 5.
  - II. De litigantibus: quales sunt,
    - Postulantes: de quibus agitur
      - Generalitet, tit. 6.
      - Specialiter, id est, de aduocatis qui pro aliis postulant, tit. 7.
      - Specialissimè, id est, de
        - Aduocatis fisci, tit. 8.
        - Erroribus aduocatorum, tit. 9.
        - His, quæ desunt aduocatis, tit. 10.
        - Infamia, quæ adimit facultatem postulandi pro alio, tit. 11.
    - Procuratores, tit. 12. Procuratio autē cōmitti nō debet
      - Potentioribus: quemadmodum nec actio ad eos transferenda est, tit. 13. nec eorum tituli, tit. 14. regiíve tituli prædiis affigendi, titul. 15. nec signa tebus ab alio detentis imponenda, titulo 16.
      - Fisco, vel reipublicæ, tit. 17.
    - Negotiorum gestorum, tit. 17.
  - III. De causis, de quib. magistratus cognoscunt, id est, de restitutionibus in integrū. Restituūtur autē
    - Metum passi, tit. 19.
    - Dolo circumuenti, tit. 20.
    - Minores viginti quinq; annis. De hac restitutione agitur
      - Generaliter, tit. 21.
      - Specialiter, nēpe de
        - Personis, quibus restitutio minoris prodest, vel non. Hic quæritur, an prosit
          - Patri, tit. 22.
          - Fideiussori, tit. 23.
          - Tutori, vel curatori, tit. 24.
          - Consorti, tit. 25.
        - Casibus, quibus restitutio
          - Necessaria est, vt aduersus
            - Rem iudicatam, tit. 26.
            - Venditionem, tit. 27.
            - Distractionem pignoris à creditore factam, tit. 28.
            - Donationem, tit. 29.
            - Libertatem, tit. 30.
            - Transactionem. / Diuisionem. tit. 31.
            - Solutionem, tit. 32.
            - Dotem, tit. 33.
            - Delictum, tit. 34.
            - Vsucapionem, tit. 35.
            - Fiscum, tit. 36.
            - Creditorem, à quo minor mutuum accepit, tit. 37.
            - Hereditatis, vel bonorū possessionis
              - Acquisitionem, tit. 38.
              - Amissionem, tit. 39.
          - Necessaria non est, tit. 40.
          - Denegatur, ti. 41. veluti
            - Si minor se maiorem dixerit, vel maior probatus fuerit, tit. 42.
            - Si sæpi' restitutio postuletur, ti. 43.
            - Ob veniā ætatis impetratā, tit. 44.
            - Ob ratihabitionem, tit. 45.
        - Petitione restitutionis, videlicet
          - Vbi, & apud quem peti possit, tit. 46.
          - De reputationibus, quæ petenti restitutionem opponuntur, tit. 47.
          - Per quos peti possit, tit. 48.
          - Effectus petitionis, tit. 49.
    - Milites, & absentes reipublicæ causa, tit. 50. eorúmque vxores, tit. 51.
    - Legati municipiorum, & alij ex diuersis causis, tit. 53.
    - Læsi ob alienationem iudicij mutandi causa factam, tit. 54.

  Hi omnes restituuntur intra tempora legibus definita, tit. 52.
- Arbitris compromissariis, tit. 55.
- Preparatoriis iudiciorum, propriè dictorū, id est, de
  - Satisdationibus, tit. 56.
  - Formulis / Impetrationibus actionum, tit. 57.
  - Vitanda calumnia, tit. 58.

Tituli libri secundi Codicis breuiter enarrati.

1 *De edendo.*D.lib.2.tit.13.

2 *De in ius vocando.*D.lib.2.tit.4.

3 *De pactis.*D.lib.2.tit.14.

4 *De transactionibus.*D.lib.2.tit. vlrim.

5 *De errore calculi*, propter quem transactio retractatur, nisi & de ipso errore transactum sit, l.vn. Error calculi est, qui in supputandis rationibus admittitur: siue calculis, vnde hęc rubrica sumpta est, siue sifris, siue alia quauis ratione supputatio fiat.

6 *De postulando.*D.lib.3.tit.1.

7 *De aduocatis diuersorum iudiciorum.* Aduocatus est iurisperitus, l. nemini. 11. §. iurisperitos. qui officium pro aliis postulandi suscepit, l. suggestionem. 20. & D. de re iudica.l.inter.54.

8 *De aduocatis fisci.*

9 *De errore aduocatorum, vel libellos seu preces concipientium.* Aduocatum definiui sup.tit.7. libellum supplicem definiui supr.lib.1. tit. 20. Potest quidem hoc loco libellus accipi latiùs: quia plura sunt libellorum genera, vt ibi notaui, non tamen est hic titulus de omnibus libellis, & præcipuè respicit ad libellos suplices. Libellio est, qui libellos concipit. Preces definiui supr.lib.1. tit. 19.

10 *Vt quæ desunt aduocatis, vel partibus, iudex suppleat,* si aut in iure consistant, aut ex alia parte eorundem actorum colligantur.

11 *Ex quibus causis infamia irrogatur*, D.lib. 3. tit. 2.

12 *De procuratoribus*, D.lib.3.tit.3.

13 *Ne liceat potentioribus* (qui gratia & opibus pollent) *patrocinium* (id est, procurationem) *litigantibus præstare*, eorum nomine & in eorum rem atque vtilitatem agendo: *vel actiones in se transferre*, ita vt fiant procuratores in rem suam, & actiones sibi cessas moueant in suam vtilitatem.

14 *De his, qui potentiorum nomine titulos* (vt nomina, effigiem, insignia,) *prædiis*, (litigiosis, quorum nomine iudicium sustinent) *affigunt*, vt videantur potentiorum prædia esse: *vel eorum nomina in litem prætendunt*, eos laudando auctores, quasi ab eis causam habeant, proinde ab eis defendi debeant: vt hac ratione actorem à lite deterreant.

15 *Vt nemo priuatus titulos* (regios) *prædiis suis* (nisi ea confiscari velit, l.1.) *vel alienis* (nisi grauissimè puniri velit, l.2.& infr.de bon.vacan. l. 3.) *imponat vel vela regia suspendat.* Tituli sunt tabulę prædiis affixæ, quę nomen, vel effigiem, vel insignia domini continent: vela sunt, quæ foribus prætenduntur.

16 *Vt nemini liceat sine iudicis auctoritate signa imprimere rebus* (licet suis, aut sibi debitis) *quas alius tenet.*

17 *Ne fiscus, vel respublica procurationem alicui patrocinij causa in lite præstet*, putà hoc prætextu, quod is qui litigat, fisci aut reipublicæ debitor est. Fiscus est ærarium principis: respublica est ciuitas Romano imperio subiecta.

18 *De negotiis gestis.*D.lib.3. tit.5.

19 *De his, quæ vi, metuve causa gesta sunt.* D. lib. 4. tit.2.

20 *De dolo malo.* D.lib.4.tit.3.

21 *De in integrum restitutione minorum.* D. libr.4. titul. 4.

22 *De filiofamilias minore.*

23 *De fideiussoribus minorum.*

24 *Si tutor, vel curator interuenerit*: nihilominus minor restituitur, l.2.

25 *Si in communi eademque causa in integrum restitutio postuletur*: minor pro sua parte restituitur: sed ea restitutio consorti non prodest, l.vn.

26 *Si aduersus rem iudicatam* restitutio postuletur, concedenda est, l.1.

27 *Si aduersus venditionem*, qua minor rem suam vendidit.

28 *Si aduersus venditionem pignorum* à creditore, vel rei iudicatæ executore factam.

29 *Si aduersus donationem* à minore, vel ab alio, cui minor consensit, factam.

30 *Si aduersus libertatem* datam vel dandam. Contra dandam libertatem minor restitui potest, contra datam non restituitur, l. 1. & D.de minor. l.si ex causa.9. §.vltim.

31 *Si aduersus transactionem, vel diuisionem.*

32 *Si aduersus solutionem* sibi minori *à debitore, vel à se* minore *factam.*

33 *Si aduersus dotem* à minore datam, vel promissam.

34 *Si aduersus delictum* à minore commissum.

35 *Si aduersus vsucapionem*, qua alius rem minoris sibi acquisiuit.

36 *Si aduersus fiscum.*

37 *Si aduersus creditorem*, à quo minor mutuam pecuniam accepit.

38 *Si vt se ab hereditate abstineat*, cui se temerè immiscuit: aut hereditatem repudiet, quam temerè adiuit: aut bonorum possessionem respuat, quam temerè petiit.

39 *Si vt omissam hereditatem, vel bonorum possessionem, vel quid aliud acquirat.*

40 *In quibus causis in integrum restitutio necessaria non est*: quia minor ipso iure tutus est.

41 *Qui, & aduersus quos in integrum restitui non possunt.*

42 *Si minor se maiorem dixerit, vel maior probatus fuerit.*

43 *Si sæpius in integrum restitutio postuletur.* Semel petita & denegata restitutio non potest amplius peti, nisi ex nouis causis in priori iudicio non adductis, l.vltim.

44 *De his, qui veniam ætatis impetrauerunt* à principe, ne in his, quæ post veniam impetratam gesserunt, restituantur, l.1.

45 *Si maior factus ratum habuerit*, quod in minori ætate gessit, non restituitur.

46 *Vbi, & apud quem cognitio in integrum restitutionis agitanda sit.* Hic titulus est de foro competenti.

47 *De reputationibus, quæ fiunt in iudicio in integrum restitutionis.* Minoti restitutionem petenti reputantur ea, quæ accepit, vtputà cùm venditionem rescindit, pretium restituit, vel cum fructibus ab emptore perceptis compensat.

48 *Etiam per procuratorem causam in integrum restitutionis agi posse.*

49 *In integrum restitutione postulata ne quid noui fiat.* Nam & appellatione pendente nihil debet innouari, D.nihil innou. appell.interpos.l.vn.quod autem appellatio maioribus, hoc restitutio minoribus præstat.

50 *De restitutionibus militum, & eorum qui reipublica causa absunt.* De his agitur D.lib 4.tit.6.

51 *De vxoribus militum, & eorum qui reipublica causa absunt*, restituendis, si virum secutæ damnum per absentiam passæ sint.

52 *De temporibus in integrum restitutionis tam minorum & aliarum personarum, quæ restitui possunt, quàm etiam heredum eorum.* Tempus restitutionis est quadriennium continuum, l.vltim. quod minori à die perfectæ ætatis currit, l.5. Sed actio de dolo datur intra biennium continuum, sup.de dolo, l.vltim.

53 *Quibus ex causis maiores in integrum restituuntur.* D.lib.4.tit.6.

54 *De alienatione iudicij mutandi causa facta.* D. lib.4. tit.7.

55 *De receptis arbitriis.*D.lib.4.tit.8.

56 *De satisdando.* Inst.lib.4.tit.11.D.lib.2.tit.8.
57 *De formulis, & impetrationibus actionum sublatis.* Olim necesse erat actiones impetrare à prætore, & vti formula ab eo præscripta, vnde formula sæpe accipitur pro actione.

58 *De iureiurando propter calumniam dando.* De calumnia iurant actor, reus, l.2.in princ.& Inst.de pœna tem. litig.§.1.& qui eorum nomine interueniunt, vt tutores, curatores, d.l.2.§. quod obseruari. & aduocati, infrà de iudic.l.rem non nouam.14.§.1.& Inst.d.§.1.

CODICIS LIBER III.

Iudiciorũ tractatus sũt tres:

- I. Generalis, tit.1.
- II. Specialis de
  - Sportulis, & sumptibus litium. / Executoribus litium. — tit.2.
  - Iudicibus pedaneis, tit. 3. de quibus quæritur,
    - A quibus dentur. / Qui dentur. — tit.4
    - In quibus causis dentur, tit.5.
  - Litigatoribus,
    - Qui legitimam personam habent standi in iudicio, tit.6.
    - Volentibus, vel inuitis, tit.7.
  - Ordine iudiciorum, tit.8.
  - Initio, & progressu iudicij. Hic agitur de
    - Litis contestatione, tit.9.
    - Pluris petitione, tit.10.
    - Dilationibus, tit.11.
    - Feriis, tit.12.
  - Foro competẽti, tit. 13. vbi quętitur, in quo foro agatur causæ
    - Pupillorum, viduarum, & miserabilium personarum, tit.14.
    - Criminales, tit.15.
    - Possessionis, tit.16.
    - Fideicommissorum, tit.17.
    - De eo, quod certo loco debetur, tit.18.
    - Vindicationis. tit.19.
    - Hereditatis, tit.20.
    - Ratiociniorum, tit.21.
    - Præiudiciales, tit.22. vel quasi præiudiciales, tit.23.
    - Senatorum, vel clarissimarum personarum, tit.24.
    - Militantium, tit.25.
    - Fiscales, vel diuinæ domus, tit.26.
  - Casibus, quibus licet sine iudice se vindicare, vel publicam deuotionem, tit.27.
- III. Specialissimus de iudicio
  - Reali
    - Vniuersali
      - Præparatorio, id est, querela inofficiosi testamẽti, ti.28. cui affines sunt querelæ
        - Inofficiosæ donationis, tit.29.
        - Inofficiosæ dotis, tit.30.
      - Principali, id est, petitione hereditatis, tit.31.
    - Particulari, hoc est, vindicatione
      - Corporis, tit.32.
      - Seruitutis
        - Personalis, tit.33.
        - Prædialis, tit.34.
  - Personali, tit.35.
  - Mixto
    - A re, ad iudicium, & factum, id est, ad
      - Diuisionem
        - Hereditatis, ti.36.
        - Rerũ singularum, tit.37.
        - His iudiciis quędã communia sunt, tit.38.
      - Distinctionem agrorum confinium, tit.39.
      - (Quædã sũt omnib. his iudiciis cõmunia, tit. 40.)
      - Solutionem aut noxæ deditionem, tit.41.
      - Exhibitionem, tit.42.
    - Ad iudicium à facto
      - Profano, tit.43.
      - Religioso, tit.44.

Tituli libri tertij Codicis, adiecta breui explanatione.

1 DE *iudiciis.* D.lib.5.tit.1.
2 *De sportulis, & sumptibus in diuersis iudiciis faciendis, & de executoribus litium.* Sportula propriè significat capsulam, & metonymicῶs accipitur pro cibo aut pecunia delata in sportula. hoc loco significat honorarium, quod iudicibus, & apparitoribus præstatur. Executores sunt iudicum ministri, qui & apparitores, & viatores appellantur.
3 *De pedaneis iudicibus.* Iudex pedaneus est, quem dedit is, qui iudices dandi ius habet. hic tãtùm notionem habet, ideóque suam sententiam exequi non potest: sed eam exequitur, qui ipsum iudicem dedit, D. de re iud. l.à Diuo Pio.15.in prin.
4 *Qui pro sua iurisdictione iudices* (pedaneos) *dare, darive possunt.*
5 *Ne quis in sua causa iudicet, vel ius sibi dicat.* Iudicat iudex pedaneus: ius dicit magistratus, vel is cui à magistratu mandata est iurisdictio: in iurisdictione est ali-

qua

qua coërcitio, D. de offic.eius.l.vlt.§.1. in iudicio nulla est coërcitio, sed tantùm notio, & pronunciatio, D. de re iudica.l.5.in princ.

6 *Qui legitimam personam standi in iudiciis habeant, vel non.*

7 *Vt nemo inuitus* ciuiliter *agere, vel* criminaliter *accusare cogatur.*

8 De *ordine iudiciorum.* Exempli gratia,priùs iudicandum est de possessione, quàm de proprietate,Inst.de interdic. §.retinendæ. & priùs de statu, quàm de hereditate, l.1.& priùs de hæreditate, quàm de re singulari, D.de hered.petit.l.5.§.vlt.

9 De *litis contestatione.* Litis cōtestatio est principium, quod oritur ex primo litigantium apud audientem iudicem conflictu. quare litis contestatio tribus partibus constat, intentione actoris, contradictione rei, & audientia iudicis,l.vn.

10 De *plus petitionibus.* vide §.si quis agens.& §§.seqq. Inst.de actionib.

11 De *dilationibus.* D.lib.2.tit.12.

12 De *feriis.* D.d.tit.

13 De *iurisdictione omnium iudicum, & de foro competenti.*De iurisdictione dictum est D.lib.2.tit.1.Forum competens est, vbi quis agere vel conueniri debet, D. lib. 5. tit.1.in rubr.

14 *Quando imperator inter pupillos, vel viduas, vel miserabiles personas cognoscat, & ne exhibeantur.* Pupillus est impubes sui iuris, D. de ver.sign.l.pupillus.239.in prin. Impubes est masculus minor quatuordecim,fœmina minor duodecim annis, Inst. quib. mod.tut.fin.in princip. vidua est,quæcumque virum non habet. D. de verb.sig. l.malum.242.§. viduam. Miserabilis persona est, quæ morbo aut infirmitate laborat,l.vn. Verba, *ne exhibeantur*,significant has personas non esse ab aduersariis trahendas inuitas, & iudicio exhibendas extra prouinciam.

15 *Vbi de criminibus agi oportet.*

16 *Vbi de possessione agi oportet.*

17 *Vbi fideicommissum peti oportet.*

18 *Vbi conueniatur,qui certo loco dare promisit.* D. lib.13. tit.4.de eo quod cer.lo.

19 *Vbi in rem actio exerceri debeat.*

20 *Vbi de hereditate agatur* petitione hereditatis,*vel vbi heredes scripti in possessionem* rerum hereditariarum *mitti postulare debeant.*

21 *Vbi de ratiociniis tam publicis, quàm priuatis agi oporteat.*

22 *Vbi causa status agi debeat.*

23 *Vbi quis de curiali,vel cohortali, aliáve conditione conueniatur.* Curialis seu decurio est, qui curiæ est obnoxius, ita vt eius honorum sit capax, & onera subeat. Cohortales dicuntur, qui sunt ex cohorte præsidum, id est,eorum apparitores.

24 *Vbi senatores, vel clarissimi ciuiliter, vel criminaliter conueniantur.* Senatores sunt, qui in senatu sententiam dicere possunt,D.de senatorib.l.vlt.§.1.Clarissimi sunt, qui clarissimatus dignitate sunt præditi, siue sint senatores,siue non.

25 *In quibus causis militantes* (siue armata, siue togata militia) conueniri apud iudicem ordinarium *fori præscriptione vti non possunt.*

26 *Vbi causæ fiscales, vel diuinæ domus, hominúmve eius agantur.* Fiscus est publicum principis ærarium.Diuinæ domui attribuuntur, quæ ad priuatam principis substantiam pertinent.

27 *Quando liceat vnicuique sine iudice se vindicare* aduersus latrones & nocturnos agrorum populatores, l. 1. & 2.*vel publicam deuotionem* à milite deseriam.

28 De *inofficioso testamento.*D.lib.5.tit.2.

29 De *inofficiosis donationibus.* Inofficiosa donatio est, quæ inter viuos fit in fraudem legitimæ portionis alicui debitæ,l.1.& 5. Huius querela introducta est exemplo querelæ inofficiosi testamenti.l.vlt.

30 De *inofficiosis dotibus.* Per quas liberi fraudantur à matre omnia bona, vel maximam eorum partem in dotem dante.

31 De *petitione hereditatis.*D.lib.5.tit.3.

32 De *rei vindicatione.*D.lib.6.tit.1.

33 De *vsufructu, & habitatione, & ministerio seruorum.* Inst.lib.2.tit.4.5.& D.lib.7.

34 De *seruitutibus* prædialibus, Inst.lib.2.tit.3.& D.li.8. *& aqua*,id est,aquæ seruitutibus.

35 De *lege Aquilia.*Inst.lib.4.tit.3.& D.lib.9.tit.2.

36 *Familiæ erciscundæ.* D.lib.10.tit.2.

37 *Communi diuidundo.*D.lib.10.tit.3.

38 *Communia vtriusque iudicij, tam familiæ erciscundæ, quàm communi diuidundo.*

39 *Finium regundorum.*D.lib.10.tit.1.

40 De *consortibus eiusdem litis*: quorum communis est res in iudicium deducta.

41 De *noxalibus actionibus.* D. lib. 9. tit. 4. Hæ actiones sunt quodammodo mixtæ, sed potissimum sunt in personam: idcirco hîc inter mixtas, in Digestis inter personales referuntur. Contra, hæreditatis petitio est quidem mixta, suprà de petit.hæred.l.7. sed potissimùm in rem.D.eo.l. sed & si.25.§.petitio.

42 *Ad exhibendum.*D.lib.9.tit.4.

43 De *alea lusu,& aleatoribus.* D.lib.11.tit.5.

44 De *religiosis, & sumptibus funerum.* D. libr.11. titul.7.

CODI

CODICIS LIBER IV.

Contractus perficiuntur partim

- Re, vt
  - Mutuũ, cui adiungitur promutuum. Horum effectus
    - Specialis est certi cõdictio, quę actio competit ex
      - Iureiurando, tit. 1.
      - Mutuo, tit. 2.
      - Suffragij promissione, tit. 3. } Ex his causis pecuniã debitam sequestrari prohibetur, tit. 4.
      - Solutione indebiti, tit. 5.
      - Dato ob causam { Honestam, tit. 6. / Turpem, tit. 7.
      - Furto, tit. 8.
      - Lege. } tit. 9.
      - Dato ob causam { Nullam, / Iniustam, } tit. 9.
    - Generalis est obligatio & actio: de quib. hæc proponũtur
      - I. Tractatus generalis, tit. 10.
      - II. Quæstio, quibus, & cõtra quos agere liceat. Hic quæritur
        - An actio incipiat { Ab herede, / Contra heredem, } tit. 11.
        - Quib. ex a sibus aliquis cõueniri
          - Pro alio nõ possit. Hic agitur de
            - Viro, & vxore. / Matre, & filio, } ti. 12.
            - Patre, & filio, / Patrono, & liberto, } tit. 13.
          - Pro se non possit, tit. 14.
          - Pro alio possit vt debitoris
            - Debitor, tit. 15.
            - Heres, tit. 16. 17.
            - Intercessor, tit. 18.
      - III. Euẽtus, qui sine probatione null' est: vnde agitur de probatione
        - In genere, tit. 19.
        - In specie, id est, de { Testib. tit. 20. / Instrumentis, tit. 22.
  - Commodatum, tit. 23.
  - Pignus, tit. 24.
  - Depositum, tit. 34.
  - His contractibus & causis accidunt quatuor:
    - Per aliũ obligari { In solidũ, t. 25. / Non in solidũ, tit. 26.
    - Per aliũ acquirere, tit. 27.
    - Exceptio
      - Macedoniani, tit. 28.
      - Velleiani, tit. 29.
      - Nõ numeratæ pecuniæ, tit. 30.
      - Cõpensationis, t. 31.
    - Accessio vsurarum, titul. 32. 33.
- Consensu, vt
  - Mandatum, tit. 35. 36.
  - Societas, tit. 37.
  - Emptio & venditio, de qua tria quærũtur
    - I. An rectè contracta sit. Hîc considerantur
      - Forma & ratio contrahendi, tit. 38.
      - Res, quæ emi & vendi { Possunt, tit. 39. / Non possunt, tit. 40.
      - Personæ, { Quibus vendi non potest, tit. 41. / Quæ vendi non possunt, vt { Eunuchi, tit. 42. / Filij, tit. 43.
    - II. Quos effectus pariat: sunt autẽ effectus quatuor:
      - 1. Contractus non rescinditur: nec ab eo impunè receditur, nisi ob iustam causam, titul. 44. veluti propter
        - Contrarium consensum, tit. 45.
        - Nimiam pretij exiguitatem, tit. 46.
        - Pactum, ne census, vel reliqua sequantur emptorem, tit. 47.
      - 2. Periculum & commodum rei venditæ pertinet ad emptorem, tit. 48.
      - 3. Agitur ex empto, & vendito, tit. 49. 50.
      - 4. Res alienatur. Sed hic notandi sunt tres casus: quia res alienari
        - Quandoque omnino nequit, tit. 51.
        - Quandoque ex parte potest, tit. 52.
        - Quandoque omnino potest, tit. 53.
    - III. Quænam huic contractui accidant. Sex accidũt,
      - 1. Pacta, tit. 54. veluti de mancipiis
        - Exportandis, tit. 55.
        - Non prostituendis, tit. 56.
        - Manumittendis, / Non manumittendis, } tit. 57.
      - 2. Ædilitiæ actiones, tit. 58.
      - 3. Monopolia, & illicitæ conuentiones negotiatorum, tit. 59.
      - 4. Nundinæ & mercatus, tit. 60.
      - 5. Vectigalia, tit. 61. 62.
      - 6. Commercium, & mercatura, tit. 63.
    - IV. Quis sit affinis contractus, à quo hic ortus est, tit. 64.
  - Locatio & conductio, tit. 65.
  - Emphyteusis, tit. 66.

Titulus libri quarti Codicis, adiectis breuibus notis.

1 *De rebus creditis*. D.lib.12.tit.1. *& de iureiurando*. D. lib.12.tit.2.

2 *Si certum petatur*. D.lib.12.tit.1.

3 *De suffragio*. Suffragium accipitur vel pro suffragatione & intercessione apud principem, alicuius rei obtinendæ causa, l.vn.in prin.& Nouel.8. cap.1. vel pro eo, quod eius suffragationis nomine datum est, aut promissum, d.l.vn.§.vlt. & sup.de aduoc. diu. iud. l. laudabile. a3.§.& postquàm. l.per hanc.26. in princ. & infr. de silentiar. l.vlt. & d. Nouel.8. cap. 7. suffragium promissum peti potest bono iure, quod Tiberius abrogauit, Nouel.161.

4 *De prohibita sequestratione pecuniæ*. Sequestratio est depositio, qua plures in solidum rem certa conditione custodiendam reddendámque tradunt. D. depos.l. 6. l.licèt. 17. in prin. & de verb. signif. l. sequester.110. Hic titulus prohibet pecuniam, quæ ex suprà dictis causis, vt ex mutuo, vel suffragio petitur, sequestrari.

5 *De condictione indebiti*. D.lib.12.tit.6.

6 *De condictione ob causam datorum*. D.lib.12.tit.4.

7 *De condictione ob turpem causam*. D.lib.12.tit.5.

8 *De condictione furtiua*. D.lib.13.tit.1.

9 *De condictione ex lege* (D. lib. 13. tit.2.) *& sine causa*, (D.lib.12.tit.7.) *vel iniusta causa*. D.lib.12.tit.5.

10 *De obligationibus, & actionibus*. Inst.lib. 3. tit.14.& lib 4.tit.6.D.lib.44.tit.7.

11 *Vt actiones ab heredibus, & contra heredes incipiant.*

12 *Ne vxor pro marito, vel maritus pro vxore, vel mater pro filio conueniatur.*

13 *Ne filius pro patre, vel pater pro filio emancipato, vel libertus pro patrono conueniatur.*

14 *An seruus ex suo facto post manumissionem teneatur.* Manumissori tenetur, si libertatis causa ei promiserit, l. 3.extraneo tenetur ex delicto.Inst. de noxal. act. §. omnis ex aliis causis non tenetur.

15 *Quando fiscus, vel priuatus debitoris sui debitores exigere possit.*

16 *De actionibus hereditariis*, quæ heredibus, vel in heredes dantur iure successionis. Doctores illas appellant actiuas: has, passiuas.

17 *Ex delictis defunctorum in quãtum heredes conueniantur*. In solidum conueniuntur, si lis cum defuncto fuit contestata: alioquin duntaxat in id quod ad eos peruenit, l.vn.

18 *De constituta pecunia*. D.lib.13.tit.5.

19 *De probationibus*. D.lib.22.tit.3.

20 *De testibus*. D.lib.22.tit.5.

21 *De fide instrumentorum, & amissione eorum*. D.lib. 22.tit.4.*& apochis, & antapochis faciendis, & de his quæ sine scriptura fieri possunt*. Apocha est scriptura creditoris, qua fatetur sibi solutum. Antapocha est scriptura debitoris, qua fatetur se soluisse. Regulariter actus sine scriptura valet, nisi aut lex scripturam requirat, vt in testamento solenni; aut voluntas contrahentium, l. contractus.17.

22 *Plus valere, quod re vera agitur, quàm quod simulatè in instrumento concipitur.*

23 *De commodato*. D.lib.13.tit 6.

24 *De pigneratitia actione*. D.lib.13.tit.7.

25 *De institoria* (D.lib.14.tit.1.) *& exercitoria actione*. D.lib.14.tit.3.

26 *Quod cum eo, qui in aliena potestate est, negotium gestum esse dicetur*, (Inst.lib.4.tit.7.D.lib.14.tit.5.) *vel de peculio* (D.lib.15.tit.1.) *siue quod iussu*, (D.lib.15.tit.4.) *aut de in rem verso*. D.lib.15.tit.3.

27 *Per quas personas nobis acquiritur*. Inst.lib.2.tit.9.

28 *Ad S.C. Macedonianum*. D.lib.14.tit.6.

29 *Ad S.C. Velleianum*. D.lib.16.tit.1.

30 *De non numerata pecunia*. Vide tit.Instit.de literar. obligat.

31 *De compensationibus*. D.lib.16.tit.2.

32 *De vsuris*. D.lib.22.tit.1.

33 *De nautico fœnore*. D.lib.22.tit.2.

34 *Depositi, vel contrà*. D.lib.16.tit.3.

35 *Mandati, vel contrà*. Instit.lib.3.tit.27.D.li.17.ti.1.

36 *Si seruus extero se emi mandauerit.*

37 *Pro socio*. Inst.lib 3.tit.26. D.lib.17.tit.2.

38 *De contrahenda emptione, & venditione*. Inst.lib.3.tit. 24.D.lib.18.tit.1.

39 *De hereditate, vel actione vendita*. D.lib.18.tit.4.

40 *Quæ res à priuatis vendere non possunt*, quamquàm emi possunt: *& quæ emere vel vendere* (accipe vel pro, &) priuati *vetantur*.

41 *Quæ res exportari non debent*. Ferrum, vinum, oleũ, &c.non possunt vẽdi barbaris exportaturis, nec exportari, vt barbaris vendantur, l.1.& 2.

42 *De eunuchis* non vendendis, nisi barbari sint & in barbarico solo facti, l.2.

43 *De patribus, qui filios distraxerunt.*

44 *De rescindenda venditione*. D.lib.18.tit.5.

45 *Quando liceat ab emptione discedere*. D.lib.18.tit.5.

46 *Si propter publicas pensitationes* (id est, ob tributa fisco debita) *venditio fuerit celebrata*, non rescinditur, nisi vili pretio in fraudem debitoris facta sit, l.1.& suprà de rescind.vend.l.si quos.16.& infr.de iu.fi.l.3.

47 *Sine censu, vel reliquis fundum comparari non posse.* Rescinditur venditio facta hoc pacto, vt onus census fisco soluendi, vel reliqua census non sequantur emptorem.

48 *De periculo, & commodo rei venditæ*. D.lib.18.tit.6.

49 *De actionibus empti, & venditi*. D.lib.19.tit.1.

50 *Si quis alteri, vel sibi sub alterius nomine, vel aliena pecunia emerit*. Qui alteri emit, nec sibi nec illi actionẽ acquirit, quia contractus non valet, nisi ei emerit, in cuius potestate est, l.7. vel quem in potestate habet, l.2. Qui sibi emit, sibi acquirit, licèt sub alterius nomine emerit, id est, alterius nomen per simulationem in instrumentum contulerit, l. 4. §. 6. quia plus valet, quod agitur quàm quod simulatè concipitur, suprà tit.22. vel aliena pecunia emerit, l.1.& l.pen.

51 *De rebus alienis non alienandis, & de prohibita* (à lege, vel testatore, vel pacto) *rerum suarum alienatione, vel hypotheca*. Alienatio propriè est actus, quo rei dominiũ transfertur, suprà de fundo dota. l. 1. sed latiùs sumpta complectitur etiam seruitutis amissionem. D. de verb. sign.l.alienationis. 28. mancipiorum manumissionem, vsusfructus constitutionem, seruitutis impositionem, emphyteusim, l. vlt.& rei alienæ venditionem, D. de alien. iud.mut.cau.l.ex hoc edicto. 8 §.alienate.

52 *De communium rerum alienatione*. Alienatio pro parte alienantis valet, non pro parte socij.

53 *Rem alienam gerentibus* (vt tutoribus, curatoribus, &c.) *non interdici rerum suarum alienatione.*

54 *De pactis inter emptorem & venditorem compositis*. D. lib.18.tit.1.

55 *Si seruus exportandus veneat*. D.lib.18 tit.7.

56 *Si mancipium ita venierit, ne prostituatur.*

57 *Si mancipium fuerit alienatum, vt manumittatur, vel contrà*, ne manumittatur. D.lib.18.tit.7.

58 *De ædilitiis actionibus* introductis edicto ædilium curulium, quos de quibusdam causis edicta proposuisse scribit Imperator in §. prætorum Instit.de iu.natura. Horum nonnulla extant D. de ædil.edict.l.1. §.1. l.ædiles.38.in princip. l.hi enim.40.§.1.& ll. seqq. Actiones ædilitiæ sunt quinque. I. Redhibitoria. II. Quanto minoris. III. In eum, qui quà vulgò iter fit, animal noxium

noxium habuit. IV. In eum, qui seruum castrauit. de quib. in d. tit. de ædil. ed. V. Actio duplæ de re empta euicta: de qua sub tit. de euictionib.

59 *De monopoliis, & conuentu negotiatorum illicito, vel artificum, ergolaborúmque, nec non balneatorum prohibitis illicitisq́; pactionibus.* Monopolium est priuilegium, vt vnus, vel certi homines soli aliquid vendere possint. quod prohibetur l. vn. etiamsi à principe impetratum fuerit. Negotiator est, qui negotium quodlibet exercet, vt emendi, vendendi, locandi, conducendi, &c. D. de legat. iij. l. legatis, 65. in princ. Conuentus negotiatorum illicitus est conuentio de rebus non vendendis viliori pretio, quàm ipsi communi consensu statuerint. Artifices sunt qui artificiosè opera suis manibus faciunt lucri causa. Ergolabores seu redemptores sunt, qui opus suis impensis faciendum conducunt. Balneatores sunt, qui loca in balneis locant. Horum omnium illicitæ pactiones prohibentur: veluti ne quis opus ab altero inchoatum absoluat.

60 *De nundinis* (D. lib. 50. tit. 11.) *& mercatibus.* Nundinæ & mercatus sunt conuentus multorum hominum emendi & vendendi causa: sed hi sunt vnius ciuitatis, aut pagi: illæ totius prouinciæ, vel etiam diuersarum prouinciarum. itaq; nundinæ sunt mercatibus maiores.

61 *De vectigalibus, & commissis.* D. lib. 39. tit. 4.

62 *Vectigalia noua institui non posse* sine permissu principis, l. 1. & 3.

63 *De commerciis, & mercatoribus.* Commercium est emendi vendendique inuicem ius, Vlpian. tit. 20. §. commercium. Mercator est, qui mercaturam, id est, emendi & vendendi negotium exercet.

64 *De rerum permutatione,* (D. lib. 19. tit. 4.) *& præscriptis verbis actione.* D. lib. 19. tit. 5.

65 *De locato & conducto.* Inst. lib. 3. tit. 28. D. libro 19. tit. 2.

66 *De iure emphyteutico.* Inst. de locat. & cond. §. adeo. Emphyteusis est contractus consensu constans, quo rei immobilis vtile dominium, directo retento, transfertur in emphyteutam hac lege, vt eo nomine certá annuam pensionem seu reditum soluat.

CODICIS LIBER V.

Contractus personarum sunt, vt
- Sponsalia, tit. 1. 2.
- Nuptiæ de quibus hæc explicantur
  - I. Antecedentia, vt donatio ante nuptias, tit. 3.
  - II. Diuisio
    - Prima in
      - Licitas, tit 4.
      - Illicitas, tit. 5.
        - Ratione
          - Tutelæ, vel curationis, tit. 6.
          - Publicæ honestatis, tit. 7.
        - Quæ ex rescripto interdum petuntur, tit. 8.
    - Secunda in
      - Primas.
      - Secundas, tit. 9. 10.
  - III. Adiuuantia, & cõseruãtia, id est,
    - Dos, de qua hæc considerantur
      - Promissio, tit. 11.
      - Ius, tit. 12.
      - Actio, tit. 13.
      - Pacta, tit. 14.
      - Cautio & numeratio, tit. 15.
    - Donationis inter coniuges prohibitio, tit. 16.
  - IV. Solutio matrimonij, } tit. 17.
  - V. Soluti matrimonij effectus
    - Sublati, vt iudicium de moribus, } tit. 17.
    - Vsu retẽti, qui pertinent ad
      - Res
        - In genere, nempe ad
          - Dotem, de cuius repetitione quæritur
            - Cui detur, tit. 18. 19.
            - Contra quos detur, id est, an detur contra intercessores, tit. 20.
          - Res amotas, tit. 21.
          - Bona mariti, tit. 22.
        - In specie, id est, ad fundum dotalem, tit. 23.
      - Personas, tit. 24. 25.
- Concubinatus, tit. 26. ex quo sunt liberi naturales, tit. 27.
- Tutela, cui affinis est curatio: de quibus
  - Primò cõsiderãtur seorsum duo genera, quia tutores, seu curatores dãtur ratione
    - Ætatis. hic quinque cõsiderantur:
      - I. Tres species tutelæ, videlicet
        - Testamentaria, tit. 28. 29.
        - Legitima, tit. 30.
        - Datiuæ: de qua quæritur
          - Qui petant tutores, vel curatores, tit. 31.
          - Vbi petantur, tit. 32.
          - Qui dare, vel dari possint personis
            - Illustribus, vel clarissimis, tit. 33.
            - Vulgaribus, tit. 34. 35.
          - Quibus dentur, tit. 36.
      - II. Administratio, de qua declarãtur
        - Generaliter
          - Officium tutoris & curatoris, tit. 37.
          - Periculum, tit. 38.
          - Effectus, tit. 39.
          - Contraria, nimirum
            - Administratio alij commissa, tit. 40.
            - Vectigalium conductio, tit. 41.
            - Satisdatio omissa, tit. 42.
            - Suspicio, tit. 43.
            - Lis, tit. 44.
            - Si tutor, vel curator non fit, tit. 45.
            - Si datus fit contra matris voluntatem, tit. 46.
        - Specialiter quæ pertinẽt ad pupillorum
          - Causas, tit. 48.
          - Personas, tit. 49. 50.
      - III. Actio
        - Directa, tit. 51. vbi specialiter tractatur de
          - Parte, pro qua quisque tutor conuenitur, tit. 52.
          - In litem iurando, tit. 53.
          - Heredibus, tit. 54.
          - Eo, qui non gessit, tit. 55.
          - Vsuris, tit. 56.
          - Fideiussoribus, tit. 57.
        - Contraria, tit. 58.
      - IV. Auctoritas, tit. 59.
      - V. Dissolutio. Hic quæritur, an tutela vel cura dissoluatur propter
        - Ætatem eius, qui in tutela, vel curatione est, tit. 60.
        - Absentiam, aut valetudinem tutoris, vel curatoris, aliámve causam, ex qua actor dari solet, tit. 61.
        - Excusationem, tit. 62. vbi specialiter agitur de
          - Falsis excusationibus, tit. 63.
          - Absentia reipublicæ causa, tit. 64.
          - Veteranis, tit. 65.
          - Polypædia, seu numero liberorum, tit. 66.
          - Morbo, tit. 67.
          - Ætate, tit. 68.
          - Numero tutelarum, tit. 69.
    - Vitij seu morbi animi, aut corporis, tit. 70.
  - Secundò explicantur quædam cõmunia omnibus tutelis & curationibus: vbi agitur de
    - Rerum alienatione, tit. 71. 72. 73. 74.
    - Magistratibus conueniendis, tit. 75.

Tituli

Tituli libri quinti Codicis cum adnotationibus.

1 DE *ſponſalibus & arris ſpōſalitiis, & proxeneticis.* De ſponſalibus dictum eſt D.lib.23.tit.1. Arra eſt quod datur in argumentum contractæ emptionis, Inſt. de empt.& vend.in princ. & D.de contrah.emp.l.quod ſæpe.35.vel locationis.lege Rhod.9. vel ſponſaliorum, l.3.& 5.& hoc poſtremo caſu vocatur arra ſponſalitia. Proxenetica ſunt præmia proxenetarum, de quibus D. lib.50.tit.4. Hoc loco ſpecialiter agitur de præmiis eorum, qui nuptias ſeu ſponſalia conciliarunt.

2 *Si rector prouinciæ, vel ad eum pertinētes* perſonæ *ſponſalia* (id eſt, arras ſponſalitias) *dederint.* Nam ſponſalia in alia ſignificatione hîc accipiūtur, quàm ſuperiori tit.

3 *De donationib. ante nuptias, vel propter nuptias, & ſponſalitiis.* Donatio, quæ olim ante nuptias, hodie propter nuptias ex Iuſtiniani conſtitutione commodiùs vocatur, eſt donatio antiphernalis, id eſt, quæ ex parte mariti in mulierem confertur contemplatione nuptiarum & dotis. Donatio ſponſalitia eſt, quæ nō dotis, ſed nuptiarum duntaxat contemplatione ab vtrauis coniugū parte fit: vt munera, quæ hinc inde mittuntur à ſponſis, & eorum propinquis.

4 De *nuptiis.* Inſt.lib.1.tit.10.D.lib.23.tit.2.

5 *De inceſtis & inutilibus nuptiis.* Inceſtæ nuptiæ ſunt vel iure gentium, quæ nefariæ vocantur, nempe inter parentes & liberos, necnon inter eos affines, qui parentum & liberorum loco ſunt, vt ſocerum & nurum, ſocrum & generum, vitricum & priuignam, nouercam & priuignum: vel iure ciuili, id eſt, inter cognatos trāſuerſales, & ſimiles affines, D.de condict.ſi.cau.l.vlt.§.1. & de ritu nupt.l.ſororis.39.§.1.& l.vlt. & ad leg. Iul.de adulter.l.ſi adulter.38.§. quare. Reliquæ ſunt inutiles, non inceſtæ, vt inter tutorem & pupillā, de quib.tit.ſeq.

6 De *interdicto matrimonio inter pupillam & tutorem ſeu curatorem, liberóſque eorum.*

7 *Si quacunque præditus poteſtate* (vt rector prouinciæ) *vel ad eum pertinentes* perſonæ *ad ſuppoſitarum iuriſdictioni ſuæ adſpirare tentauerint nuptias.*

8 *Si nuptiæ illicitæ ex reſcripto petantur.*

9 *De ſecundis nuptiis.* Secundæ nuptiæ vocantur, quęcumque primas ſequuntur, etiamſi tertiæ ſint, vel vlteriores: ſicut duo rei appellantur, etiamſi tres, aut quatuor, aut plures ſint.

10 *Si ſecundò nupſerit mulier*, cui primus *maritus vſumfructum reliquerit.*

11 De *dotis promiſſione, vel nuda pollicitatione.* Dotē definiui D.de iure dot.lib.23.tit.3. Debebatur autem olim dos marito, vel ex promiſſione per ſtipulationem facta, vel ex nudo pacto, vel ex nuda pollicitatione. Stipulatio mutuo conſenſui addit interrogationem ſtipulantis, & congruam reſponſionem promittentis, D.de pact.l.1.§. conuentionis, in fi. & Inſt.de verb.obligat.in princ. nudum pactum eſt, nuda duorum inter ſe conſentientium conuentio: pollicitatio eſt ſolius offerentis promiſſum, D.de pollicit.l.3.in princ. Hodie ex Iuſtiniani conſtitutione, ſi ſtipulatio expreſsè facta non ſit, tacitè facta intelligitur, inf.de rei vxor.act.l.vn.in princ.

12 De *iure dotium.* D.lib.23.tit.3.

13 De *rei vxoriæ actione in ex ſtipulatu actionem transfuſa, & de natura dotibus præſtita.* Olim non interueniente ſtipulatione dos repetebatur rei vxoriæ actione bonæ fidei: ſtipulatione interueniente repetebatur actione ex ſtipulatu ſtricti iuris: ſed quia (vt notaui tit.11.) hodie ſi ſtipulatio expreſſa nō ſit, tacitè facta intelligitur, non eſt ampliùs locus actioni rei vxoriæ, ſed tantùm actioni ex ſtipulatu, ad quam tranſlatæ ſunt quædam proprietates actionis rei vxoriæ, & hæc inter ceteras, vt bonæ fidei ſit.

Oeconomia iuris.

14 *De pactis conuentis tam ſuper dote,* (D.libro 23.tit.4.) *quàm ſuper donatione ante nuptias* (id eſt, propter nuptias) *& paraphernis.* Parapherna (id eſt, præterdotalia) ſunt bona mulieris nuptæ non data in dotem, quæ vocantur etiam peculium mulieris, D.de iu.dot.l.ſi ego. 9.§.ceterùm.& de donat.l.donationes.31.§.1.& in Baſilicis ἐξώπροικα, id eſt, extradotalia.

15 *De dote cauta non numerata*, id eſt, promiſſa necdum ſoluta.

16 De *donationibus inter virum & vxorem* (D.lib.24.tit.1.) *& à parentibus in liberos factis, & de ratihabitione.* D. libro 46.tit.8. Vt donatio inter coniuges confirmatur morte donantis, quaſi tunc confirmetur, niſi expreſsè reuocetur: ita etiam donatio à parente in liberos collata. quæ cauſa eſt, cur hîc agatur de donationibus parentum, & de ratihabitione, qua vel donationes, vel alij actus confirmantur. Ratihabitionem definiui D. ra.rem hab.d.lib.46.tit.8.

17 De *repudiis,* (D. lib. 24. tit.2.) *& iudicio de moribus ſublato.* De morum iudicio vide Vlpianum tit. de dotibus.§.morum.

18 *Soluto matrimonio quemadmodum dos petatur.* D.libro 24.tit.3.

19 S*i dos conſtante matrimonio ſoluta* (id eſt, à marito reſtituta) *fuerit.*

20 *Ne fideiuſſores, vel mandatores dotium* reſtituendarum cauſa *dentur* à marito, vel ſocero, dotem accipiente: quia cui cōmittitur perſona mulieris, multò magis dos committi debet ſine interceſſore, l.2. Fideiuſſores, & mandatores definiui D.lib.46.tit.1.

21 *De actione rerum amotarum.* D.lib.25.tit.2.

22 *Ne pro dote* repetenda, *mulieri bona mariti addicantur.* Soluto matrimonio mulier non poteſt petere, vt bona mariti ſibi pro dote addicantur, ſed dotem repetere debet actione ex ſtipulatu, quæ datur etiam in heredes. Quid ſi nullus ſit defuncti mariti heres? Ne quidem hoc caſu mulier petet bona ſibi addici, ſed in eorum poſſeſſionem mitti poterit cuſtodiæ cauſa. eáque dato curatore diſtrahentur, vt creditoribus ſecundùm iuris ordinem, & ſecundùm cuiuſque prærogatiuam, quoad eius fieri poterit, ſatisfiat.

23 De *fundo dotali.* D.lib.23. tit.5.

24 D*iuortio facto*, apud quem liberi morari, vel educari debeant.

25 De *alendis liberis,* (D.lib.25.tit.3.) *ac parentibus.*

26 De *concubinis.* D.lib.25.tit.vlt.

27 De *naturalibus liberis* (ex concubina ſuſceptis) *& matribus eorum, & ex quibus cauſis* legitimentur ac *iuſti efficiantur.*

28 De *teſtamentaria tutela.* D. lib.26.tit.2.

29 De *confirmando* à magiſtratu *tutore*, vel curatore, qui in teſtamento inutiliter datus eſt.D.lib.26.tit.3.

30 De *legitima tutela.* D.lib.26.tit.4.

31 *Qui petant tutores, vel curatores.* D. libro 26. titul.6.

32 *Vbi petantur tutores, vel curatores.* D.d.lib.26.tit.6.

33 De *tutoribus, & curatoribus illuſtrium, vel clariſſimarum perſonarum.*

34 *Qui dare tutores vel curatores poſſunt, & qui dari non poſſunt.* D.lib.26.tit.5.

35 *Quando mulier tutelæ officio fungi poſſit.*

36 *In quibus cauſis tutorem habenti tutor vel curator dari poteſt.*

37 De *adminiſtratione tutorum, vel curatorum,* (D.lib.26. tit.7.) *& de pecunia pupillari fœneranda, vel* ad prædiorum emptionem *deponenda.*

38 De *periculo tutorum, vel curatorum.* D.d.lib.26.tit.7.

39 *Quando ex facto tutoris vel curatoris minores agere vel conueniri possint*. D.lib.26.tit.9.

40 *Si ex pluribus tutoribus, vel curatoribus omnes vel vnus agere pro minore, vel conueniri possunt*. D.lib.26.tit.7. Accipe *si*, pro, *an*, vt alibi sæpe.

41 *Ne tutor vel curator vectigalia* publica *conducat*: quia vel pupillus, vel fiscus damno affici posset; cùm vtriusque causa sit fauorabilis.

42 *De tutore, vel curatore, qui satis non dedit* rem pupilli vel adolescentis saluam fore. Vide tit. Instit. de satisdat.tutor.

43 *De suspectis tutoribus, vel curatoribus*. Inst. lib.1. tit. 26.D.lib.26. tit.10.

44 *De in litem dando tutore, vel curatore*. Cùm ad hanc solam causam detur, alia gerere non poterit.

45 *De eo, qui pro tutore negotia gessit*. D.lib.27.tit.5.

46 *Si mater indemnitatem promiserit* pupillo, vel tutori.

47 *Si contra matris voluntatem* (quia testamento aliquem filio suo tutorem dari vetuit) *tutor datus sit* à magistratu.

48 *Vt causa post pubertatem* (ante tutelæ rationes redditas, & administrationem ad curatorem translatam) *adsit tutor*.

49 *Vbi pupilli educari debeant*. D.lib.27.tit.2.

50 *De alimentis pupillo præstandis*. D.d.lib.27.tit.2.

51 *Arbitrium tutelæ*. D.lib.27.tit. 3.

52 *De diuidenda tutela* (id est, administratione tutelæ) *&* consequenter *pro qua parte quisque tutorum* (inter quos administratio diuisa fuit) *conueniatur* à pupillo actione tutelæ.

53 *De in litem iurando*. Idem titulus extat D.libro 12. tit.3. sed ibi hoc iusiurandum generaliter consideratur: hîc verò, quatenus præstatur in iudicio tutelæ, id est, quod à iudice defertur adolescenti vel eius curatori, vt rem qua de agitur, æstimet aduersus alium curatorem vel tutorem.

54 *De heredibus tutorum, vel curatorum*. D.libro 27.titul.7.

55 *Si tutor non gesserit*, nihilominus iudicio tutelæ tenetur.

56 *De vsuris pupillaribus*, id est, quas tutores pupillis suis debent. Vide l.7. §. quæ autem. D. de administr. tutor.

57 *De fideiussoribus tutorum, vel curatorum*. D. lib. 27. tit.7.

58 *De contrario iudicio tutelæ*. D.lib.27.tit.4.

59 *De auctoritate præstanda*. D.lib.26.tit.8.

60 *Quando tutores, vel curatores esse desinant*. Coniun. tit.Inst.quib.mod.tut.fin.lib.1.tit.22.

61 *De actore à tutore, seu curatore dando*. id est, quem prætor dat petente & periculum subeunte tutore, vel curatore, qui per absentiam, aut valetudinem, aut aliam similem causam vacare negotiis gerendis nõ potest, nec propterea tamen desinit esse tutor, vel curator. Inst.de curat.§.vlt.

62 *De excusationibus* tutorum vel curatorum, *& temporibus earum*. Inst.lib.1.tit.25.D.lib.27.tit.1.

63 *Si ex falsis allegationibus excusatus sit*, non est liberatus onere tutelæ, vel curæ. l.1.& Instit. de satisd.tutor. §. vlt. quanquam tutor vel curator re vera non est. D. de ritu nuptiar.l.si quis tutor.60.in princ.

64 *Si tutor, vel curator reipublicæ causa aberit*.

65 *De excusationibus veteranorum*. Qui sint veterani, expositum est D.lib.38.tit.12.& lib.49.tit.18.

66 *Qui numero liberorum* trium in vrbe, quatuor in Italia, quinque in prouincia *se excusant*. Inst. de excusat. tutor.in princ.

67 *Qui morbo*, propter quem ne rebus quidem suis superesse possunt, se excusant. Inst.de excus.§.item propter aduersam.

68 *Qui ætate* se excusant, vt maiores septuaginta annis, nam minor viginti quinque annis non eget excusatione, quia nec volens admittitur. Inst.de excusat.§.item maior.

69 *Qui numero tutelarum*, id est, ob tria onera tutelæ vel curæ non affectatæ se excusant à quarto onere. Inst. de excusat.§.item tria.& D.eo.l.2.§.vlt & ll.seqq.

70 *De curatore furiosi, vel prodigi*. D.lib.27.tit.10.

71 *De prædiis, & aliis rebus minorum* (quæ seruando seruari possunt) *sine decreto* prætoris *non alienandis, vel obligandis*.

72 *Quando decreto* prætoris *opus non sit* in rebus minorum alienandis.

73 *Si quis ignorans rem minoris esse, sine decreto comparauerit*: propter bonam fidem fructus lucratur, & quinquennij præscriptionem habet: quorum neutrum conceditur emptori malæ fidei, l.1. & 2. & infrà tit. prox.l. vlt.

74 *Si maior factus, alienationem factam sine decreto ratam habuerit*, eam reuocare non potest.

75 *De magistratibus conueniendis*. D.lib.27.tit.8.

CODI

CODICIS LIBER VI.

Succeditur in bonis

- Libertorum. Hæc successio est pars iuris patronatus. Quod vt plenè cognoscatur, hîc agitur
  - 1. De operis, quas
    - Non præstant
      - Fugitiui, tit.1.
      - Surrepti, } tit.2.
      - Corrupti, }
    - Præstare debent liberti patronis, tit.3.
  - 2. De bonis libertorum
    - Non alienatis, tit.4.
    - Alienatis in fraudem patroni, tit. 5.
  - 3. De obsequiis, tit.6.
  - 4. De ingrati actione, tit.7.
  - 5. De modis, quibus tollitur ius patronatus, tit.8.
- Patrumfamilias,
  - Ingenuorum.
    - Iure prætorio p bonorũ possessionem: de qua hęc cõsiderantur,
      - 1. Acquisitio. Hîc quæritur,
        - Quinam admittantur, } tit.9.
        - Intra quod tempus admittantur, }
        - Ad quid admittantur, tit.10.
      - 2. Species: nã aliæ deferũtur
        - Ex testamento,
          - Secundùm tabulas, tit.11.
          - Contra tabulas
            - Parentis, tit.12.
            - Liberti, tit.13.
        - Ab intestato,
          - Vnde liberi, tit.14.
          - Vnde legitimi, } tit. 15.
          - Vnde cognati, }
          - Vnde vir & vxor, tit.18.
          - His cõmunia sunt
            - Successorium edictum, titul. 16.
            - Carbonianũ edictũ, tit.16.
      - Repudiato, tit.19.
      - Effectus, id est, collatio, tit.20.
    - Iure ciuili.
      - Ex testamento: de quo tria quæruntur:
        - I. An valeat. Hîc seorsum explicãtur testamenta
          - Militum, tit.21.
          - Paganorũ, in quibus exponendis tria considerantur:
            - 1. Testator, tit.22.
            - 2. Testamentum, tit.23.
            - 3. Heres, qui diuiditur
              - Primò in
                - Institutum
                  - Purè, tit.24.
                  - Sub conditione, } tit. 25.
                - Substitutũ
                  - Precariò, } tit. 25.
                  - Directò, tit.26.
              - Secundò in
                - Necessarium, tit.27.
                - Suum,
                  - Iam natum, tit.28.
                  - Postumum, tit.29.
                - Extraneũ, qui hereditatem, vel
                  - Acquirit, tit.30.
                  - Amittit, tit.31.
        - II. Quomodò ad effectum perducatur. Hîc agitur de
          - Tabulis aperiendis, tit.32.
          - Herede in possessionem mittendo, tit.33.
          - His, quæ vt indignis auferũtur propter
            - Testamentum
              - Prohibitum, } tit.34.
              - Extortum, }
            - Necem defuncti non vindicatam, & alias causas, tit.35.
        - III. Accidentia, vt
          - Codicilli, tit.36.
          - Legata & fideicõmissa. Hoc loco declarantur
            - Primò propria
              - Legatorum, id est; eorũ
                - Natura, tit.37.
                - Interpretatio, tit.38.
                - Contraria, seu quæ videntur contraria, vt
                  - Omissa causa testamẽti, tit.39.
                  - Indicta viduitas, ti 40.
                  - Pœnæ nomine relictũ, tit.41.
              - Fideicommissorum, tit.42.
            - Secundò cõmunia legatis, & fideicommissis, tit. 43. vt
              - Causa, tit.44.
              - Modus, tit.45.
              - Conditio, tit.46.
              - Accessio, tit.47.
              - Incertitudo personæ, tit.48.
              - Imminutio per
                - S.C. Trebellianum, tit.49.
                - Legem Falcidiam, tit.50.
              - Transmissio ad alios, tit.51.52.
              - Acquisitio. Hîc quæritur,
                - Quando debeatur, tit.53.
                - Quomodò legatario prospicitur per
                  - Missioné in possessioné, } tit. 54.
                  - Cautioné, }
      - Ab intestato. Hîc succedunt
        - 1. Sui aut quasi sui, tit.55.
        - Legitimi, vt
          - Mater, tit.56.
          - Liberi, tit.57.
          - Adgnati, tit.58.
- Filiorumfamilias, quorum considerantur bona
  - Materna, vel materni generis, tit.60.
  - Ex matrimonio, vel aliunde quæsita, tit.61.
- Eorum, qui sunt in aliquo corpore, vt
  - Decurionum, } tit.62.
  - Nauiculariorum, }
  - Cohortalium, }
  - Fabricensium. }

His successionibus quædam communia sunt, tit.59.

Tituli libri sexti Codicis, notis illustrati.

DE *seruis* priuatorum hominum *fugitiuis*, *& de libertis mancipiisq́; ciuitatum artificibus*, *&* de seruis publicis *ad diuersa opera deputatis*, *&* de seruis *ad rem* Principis *priuatam vel publicam pertinentibus*. Duplicem esse principis substantiam, alteram priuatam, alterá publicam, id est, fiscalem, satis constat ex l.vlt.supr. vbi senat.vel clariss.& l.vlt.vers.sed scimus. infrà de quadrien. præscript.

2 *De furtis*, (Inst.lib.4.tit.1.D.lib.47.tit.2.) *& seruo corrupto*. D.lib.11.tit.3.

3 *De operis libertorum*. D.lib.38.tit.1.

4 De *bonis libertorum*, (Inst.lib.3.tit.7.D.lib.38.tit.2.) *& iure patronatus*. D.lib.37.tit.14.

5 *Si in fraudem patroni à libertis alienatio facta sit*. D.lib.38.tit.5.

6 De *obsequiis patronis præstandis*. D.lib.37.tit.vlt.

7 *De libertis, & eorum liberis* actione ingrati in seruitutem reuocandis.

8 *De iure aureorum annulorum*, (D.lib.40.tit.10.) *& de natalibus restituendis*. D.lib.40.tit.11.

9 *Qui admitti ad bonorum possessionem possunt*, (D.li.38.tit.13.) *& intra quod tempus*. Instit.de bon. poss. §. cùm igitur. D.lib.38.tit.15.

10 *Quando non petentium partes petentibus accrescant*.

11 De *bonorum possessione secundum tabulas*. D. lib. 37. tit. 11.

12 De *bonorum possessione contra tabulas, quam prætor liberis pollicetur*. D.lib.37.tit.4.

13 *De bonorum possessione contra tabulas liberti, quæ patronis liberisque eorum datur*.

14 *Vnde liberi*. D.lib.38.tit.6.

15 *Vnde legitimi*, (D.lib.38.tit.7.) *& vnde cognati*. D.lib.38.tit.8.

16 De *successorio edicto*. D.lib.38.tit.9.

17 De *Carboniano edicto*. D.libro 37.tit.10.

18 *Vnde vir, & vxor*. D. lib. 38.tit.11.

19 *De repudianda bonorum possessione*.

20 De *collationibus*. D.lib.37.tit.6.7.

21 De *testamento militis*. Inst. lib.2.tit.11.D.libro 29. tit.11.

22 *Qui testamenta facere possunt, vel non*. Instit.libro 2, tit.12.D.lib.28.tit.1.

23 *De testamentis, & quemadmodum testamenta ordinantur*. Inst.lib.2.tit.10.D.lib.28.tit.1.

24 *De heredibus instituendis, & quæ persona heredes institui non possunt*. Inst.lib.2.tit.14.D.lib.28.tit.5.

25 De *institutionibus, & directis substitutionibus* (vt vulgari & pupillari) *seu restitutionibus* (id est, substitutionibus precariis per fideicommissum) *sub conditione factis*. D.lib.26.tit.7.

26 De *impuberum & aliis substitutionibus*. Inst.lib.2.tit.15,16.D.lib.28.tit.6.

27 De *necessariis* (hi sunt serui testatoris, Instit. de hered.qualit. §.1.) *heredibus instituendis, vel substituendis*.

28 *De liberis præteritis, vel exheredatis*. Inst.lib.2.tit.13. D.lib.28.tit 2.

29 De *posthumis heredibus instituendis, vel exheredandis*. D.lib.28.tit.2.

30 De *iure deliberandi*, (D.lib.28.tit.vlt.) *& de adeũda, vel acquirenda hereditate*. D.li.29.tit.2. Acquisitio & aditio differunt vt genus & species. adeunt extranei: se immiscent sui, vel necessarij: acquirunt vtrique.

31 *De repudianda, vel abstinenda hereditate*. D.li.29.tit.2. Amittere est genus: repudiare, & abstinere sunt species. repudiant extranei: abstinent sui heredes beneficio prætoris, cùm iure ciuili sint heredes necessarij. Inst.de hered.qualit §.sui autem & §.extraneis.

32 *Quemadmodum testamenta aperiantur, inspiciantur, & describantur*. D.lib.29.tit.3.

33 De *edicto Diui Hadriani tollendo, & quemadmodum scriptus heres in possessionem mittatur*. Heres in possessionem rerum hereditariarum mittitur ex constitutione Iustiniani, non ex edicto Diui Hadriani, quod à Iustiniano abolitum est.

34 *Si quis aliquem testari prohibuerit, vel coëgerit*. D.li.29.tit.6.

35 De *his, quibus vt indignis hereditas aufertur, & ad S.C.Silanianum*. D.lib.29.tit.5.

36 De *codicillis*. D.lib.29.tit.vlt.

37 De *legatis*. Inst.lib.2.tit.20.

38 De *verborum*, quæ ad legata pertinent, *significatione*. In Digestis est tractatus generalis *de verborum*, quæ ad ius pertinent, *significatione*. lib.50.tit.pen. sed hîc restringitur ad legata: sed cur potiùs ad legata, quàm ad fideicommissa? Quoniam hæc habent pinguiorem (vt Iustinianus loquitur) naturã, ita vt in his potissimùm spectetur voluntas fideicommittẽtis, quæ etiam perspicuis verbis præfertur, infr. de fideicõmiss. l. cùm virũ. 16. cùm in legatis quæstio voluntatis non admittatur aduersus verba perspicua. D. de legat. iij. l. ille. 25. & de vsu & vsuf. lega. l. si alij. 19.

39 *Si omissa sit causa testamenti*. D.lib.29.tit.4.

40 De *indicta viduitate* (id est, de relicto sub conditione si in viduitate permanserit) *& de lege Iulia Miscella* (quæ eam conditionẽ probabat: & Miscella dicta est, quia multa miscellanea continebat) *tollenda*: quia Iustinianus eam conditionem remisit, l.2.& 3. sed nouissimè eandem conditionem probauit, Nouell. 22. cap. 43. & 44.

41 De *his, quæ pœnæ nomine in testamento, vel codicillis relinquuntur*. Vide. §. vlt. Inst. de legat.

42 De *fideicommissis*. Inst.lib.2.tit.24.

43 *Communia de legatis & fideicommissis*, D.lib.30, 31. 32.) *& de in rem missione* (solemni, quæ, cùm heres non erat soluendo, concedebatur fideicommissario aduersus extraneos rerum hereditariarum possessores) *tollenda*: quia fideicommissario sufficiunt actiones, quæ & legatario competunt, in personam ex testamento, rei vindicatio, & actio hypothecaria, l.1.

44 De *falsa causa adiecta legato, vel fideicommisso*. Causa est, quæ testatorem ad legãdum, vel fideicommittendum impulit, veluti quia legatarius negotia testatoris gessit. Falsa causa non vitiat legatum, vel fideicommissum, Instit. de legat. §. longè. D. de cond. & demonstrat. l. demonstratio. 17. §. quod autem. l. cùm tale. 72. §. falsam.

45 De *his, quæ sub modo legata, vel fideicommissa relinquuntur*. D.lib.35.tit.1.

46 De *conditionibus insertis tam legatis, quàm fideicommissis* pecuniariis, *& libertatibus* in vltima voluntate relictis, D.lib.35.tit.1.

47 De *vsuris, & fructibus legatorum, vel fideicommissorum*.

48 De *incertis personis*, quibus legata vel fideicommissa relinquuntur. Incerta persona est, quam incerta opinione testator animo suo subiicit: veluti, *Qui primus in Capitolium adscenderit*, *Qui filio meo filiam suam in matrimonium dederit*. His potest indistinctè relinqui ex constitutione Iustiniani: olim non poterat, nisi sub certa aliqua demonstratione, veluti, *Qui primus ex cognatis meis in Capitolium adscenderit, ei heres meus centum dato*. Instit. de leg. §. incertis. & §. sed nec huiusmodi.

49 *Ad S.C.Trebellianum*. Inst.libro 2.tit. 23.D. lib.36. tit.1.

50 *Ad legem Falcidiam*. Inst.lib.2.tit.22.D.lib.35.tit.2.

51 *De caducis tollendis.* Legata incapaci relicta habentur pro non scriptis. Relicta capaci, si post factum testamentum viuo adhuc testatore deficiebant, vt propter mortem legatarij, dicebantur esse in causa caduci: si verò post mortem testatoris deficiebant, propriè dicebantur caduca: & vtraque fisco vindicabantur: sed Iustinianus ea confiscari vetat.

52 *De his* (heredibus, vel legatariis, aut fideicommissariis) *qui* morientes *ante apertas tabulas* testamenti, *hereditatem* seu legatum, siue fideicommissum ad heredes sibi succedentes *transmittunt.* Hereditatem ex testamento liberi testatoris indistinctè transmittunt: ab intestato non transmittunt, nisi eam acquisiuerint: extranei heredes non transmittunt, nisi adiuerint. legata verò & fideicommissa post diem legati cedentem omnimodo trasmittũtur. quamuis tabulæ apertæ non sint, l.vn. & infrà de S.C.Orphit.l.2.& suprà tit.prox.l.vn.§. in nouissimo.

53 *Quando dies legati vel fideicommissi cedat.* D. lib. 36. tit.2.

54 *Vt in possessionem* rerum hereditariarum, *legatorum, vel fideicommissorum* (quæ in diem, vel sub conditione relicta sunt) *causâ mittatur* legatarius seu fideicommissarius ob satisdationem de legatis vel fideicommissis sua die soluendis non præstitam eo casu, quo præstari debet, D.lib.36.tit.4. *& quando satisdare debeas* de legatis vel fideicommissis sua die soluendis, D. libro 36. tit.3.

55 *De suis & legitimis liberis, & ex filia nepotibus* (quos constitutiones suis heredibus adiungunt, l. vlt. & Inst. de hered. quæ ab intest.defer.§.pen.& vlt.) *ab intestato venientibus* ad hereditatem parentum, Inst.lib.3. tit. 1. D.lib.38.tit.16.

56 *Ad S.C. Tertullianum.* Inst.lib.3.tit.3. D. libro 38. tit.17.

57 *Ad S. C. Orphitianum.* Institut. libro 3. tit. 4. D. libro 38. titulo 17.

58 *De legitimis heredibus.* Instit. lib.3. tit. 2. D.lib.38. tit.16.


59 *Communia de successionibus*, tam ciuilibus quàm prætoriis, & tam ex testamento, quàm ab intestato.

60 *De bonis maternis, & materni generis.* Bona materna sunt, quæ à matre ad filios peruenerunt. Bona materni generis sunt, quæ ab auo materno, aliisve per lineam maternam ascendentibus profecta sunt.


61 *De bonis, quæ liberis in potestate constitutis, ex matrimonio, vel aliter acquiruntur, & eorum administratione.* Hæc omnia, vt & bona materna, & materni generis appellatione peculij aduentitij continentur.

62 *De hereditatibus decurionum, nauiculariorum, cohortalium, militum, & fabricensium.* Decuriones definiui, D.lib.50.tit 2. Nauicularij (qui etiam exercitores vocantur, D.de exercit.act.l. 1. §.exercitorem.) sunt, qui cunctos ex nauibus siue suis, siue per auersionem conductis reditus & obuentiones accipiunt. Cohortales definiui suprà libro 3. titulo 23. Milites definiui D. de testamen. militis, lib.29. tit. 1. Fabricenses sunt qui in publicis fabricis arma faciunt, vel ad arma militibus procuranda sunt deputati, Nouell. 85. cap.1. Horum intestatorum sine liberis, parentibus, adgnatis, cognatis, vxore decedentium bona non occupantur à fisco, sed deferuntur curiæ, vel nauiculariorum, siue cohortalium corpori, vel legioni seu vexillationi seu cuneo in quo militarunt, (legio est ea exercitus pars, in qua ciues Romani militant, à sociorum & fœderatorum auxiliis distincta, D.de his qui not. infam.l.2.§.exercitum. Veget.libro 2.cap. 2. Vexillatio est equitum turma, quam veteres alam dixerunt, Vegetius dicto libro 2. cap.1. Cuneus est multitudo peditum, quæ iuncta cum acie, primò angustior, deinde latior procedit, Vegetius libro tertio, cap. 19.) vel corpori fabricensium.

CODICIS LIBER VII.



- Libro ſeptimo Codicis agitur de
  - Statu perſonarum. Huius tractatus duæ ſunt partes:
    - I. De manumiſſionibus: vbi agitur de
      - Modis manumittendi
        - Inter viuos, tit. 1.
        - In vltima voluntate
          - Directò, tit. 2, 3.
          - Per fideicommiſſum, tit. 4.
      - Effectu manumiſſionis, id eſt, de libertate, quæ olim erat triplex, nempe
        - Dedititia, tit. 5.
        - Latina, } tit. 6.
        - Romana, } tit. 6.
      - Perſonis manumittentibus: veluti de
        - Domino ex parte, tit. 7.
        - Eo, qui ſeruum pignerauit, tit. 8.
        - Republica, tit. 9.
        - Non domino, tit. 10.
        - Eo, qui non eſt ſoluendo, & cæteris, tit. 11.
      - Perſonis manumiſſis, vel ſine manumiſſione ad libertatem peruenientibus. Hic agitur de
        - His, qui non poſſunt ad libertatem peruenire, tit. 12.
        - His, qui pro præmio libertatem accipiunt, tit. 13.
        - Ingenuis manumiſſis, tit. 14.
      - His, quæ omnibus manumiſſionibus communia ſunt à Iuſtiniano introducta, tit. 15.
    - II. De liberali cauſa, tit. 16. 17. cuius duæ ſunt ſpecies:
      - 1. Vindicatio in libertatem. Hic conſiderantur
        - Perſonæ ad libertatem proclamantes, tit. 18.
        - Iudicij
          - Prærogatiua, tit. 19.
          - Vitium, id eſt, colluſio, tit. 20.
          - Contrarium, id eſt, præſcriptio
            - Quinquennij, tit. 21.
            - Longi temporis, tit. 22.
        - Res, id eſt, peculium, tit. 23.
      - 2. Vindicatio in ſeruitutem ex
        - S.C. Claudiano, tit. 24.
        - Nudo iure Quiritium, tit. 25.
  - Dominio, quod acquiritur per vſucapionem, veluti — His omnibus quædam communia ſunt, tit. 30. 31.
    - Pro emptore, } tit. 26.
    - Pro tranſactione, } tit. 26.
    - Pro donato, tit. 27.
    - Pro dote, tit. 28.
    - Pro herede, tit. 29.
  - Poſſeſſione
    - Propriè dicta. Hic agitur de
      - Poſſeſſione acquirenda, tit. 32.
      - Effectu poſſeſſionis, id eſt, præſcriptione,
        - Cuius ſpecies ſunt,
          - 1. Longi temporis, tit. 33 de qua ſpecialiter quæritur,
            - Quibus actionibus non obiiciatur, tit. 34.
            - Quibus perſonis non obiiciatur, tit. 35.
            - Quibus modò obiiciatur, modò non, tit. 36.
          - 2. Quadriennij, tit. 37.
          - 3. Temporis immemorialis, tit. 38.
          - 4. Longiſſimi temporis, tit. 39.
          - 5. Annalis, & reliquæ, } tit. 40.
        - Cui contraria eſt interruptio. } tit. 40.
      - Alluuionibus, & paludibus, & paſcuis, tit. 41.
    - Impropriè dicta, per quam non poſſidemus, ſed ſumus in poſſeſſione. Vide tabulam ſequentem.



- Miſſionis in poſſeſſionem
  - Cauſæ ſunt,
    - I. ſententia. Hic agitur de ſententia
      - Præfecti prætorio, tit. 42.
      - Cuiuſcunque iudicis: de qua hæc declarantur,
        - 1. An requirat
          - Præſentiam litigantium, tit. 43.
          - Scripturam, tit. 44.
        - 2. Diuiſio
          - Prima in
            - Definitiuam, } tit. 45.
            - Interlocutoriam, } tit. 45.
          - Secunda in
            - Certam, } tit. 46. 47.
            - Incertam, } tit. 46. 47.
          - Tertia in latam à iudice
            - Competente,
            - Non competente, tit. 48.
          - Quarta in
            - Iuſtam, } tit. 49. 50.
            - Iniuſtam, } tit. 49. 50.
        - 3. Acceſſiones, vt fructus, & impenſæ litis, tit. 51.
        - 4. Effectus, id eſt, res iudicata, tit. 52. quæ executioni mandanda eſt, tit. 53. verum hic diſtinguitur ex—
          - Rebus, tit. 54.
          - Perſonis, tit. 55. 56.
          - Pronunciatione, tit. 57.
          - Probatione, tit. 58.
        - 5. Affinia, vt
          - Confeſſio, tit. 59.
          - Alia acta, tit. 60.
        - 6. Tranſlatio litis ad maius auditorium per
          - Relationem, tit. 61.
          - Appellationem, tit. 62. cuius ſpecialiter cõſiderantur
            - Tempora, tit. 63.
            - Contraria, & quæ videntur eſſe contraria, vt
              - Superfluitas, tit. 64.
              - Caſus, quibus appellare non licet, tit. 65.
              - Mors litigatorum, tit. 66.
              - Metus, tit. 67.
              - Vnus ex pluribus litigantibus appellans, tit. 68.
              - Momentaria poſſeſſio, tit. 69.
              - Sententia ſæpius confirmata, tit. 70.
    - II. Ceſſio bonorum, tit. 71.
  - Effectus ſunt
    - Poſſeſſio poſt ſecundum decretum, } tit. 72.
    - Bonorum venditio, } tit. 72.
    - Bonorum ſeparatio, } tit. 72.
    - Πρωτοπραξία, ſeu priuilegium.
      - Fiſci, tit. 73.
      - Dotis, tit. 74.
    - Reuocatio eorum, quæ in fraudem creditorum alienata ſunt, tit. 75.

Tituli

Tituli libri septimi Codicis breuiter explanati.

1 **D***E vindicta*, (D.lib.40.tit.2.) *& apud consilium manumissione.* Consiliũ est cõuentus Romę quinque senatorũ, & quinque equitum, quibus prætor præerat: in prouincia viginti ciuium Romanorum, qui vocantur recuperatores, præsidi adsidentium, Theoph. in §. eadem. Inst. qui & ex quibus caus. manum. non poss. Quicumque in consilio manumittũtur, vindicta manumittũtur: non tamen contrà, quæcumque manumissio vindicta fit, in consilio fit, quia potest etiam fieri de plano, immò quocumque loco, & quocumque tempore, Inst. de libertinis, §. multis.

2 *De testamentaria manumissione.* D.lib.40.tit.4.

3 De *lege Fusia Caninia tollenda*, Inst.lib. 1. tit.7.

4 *De fideicommissariis libertatibus.* D.lib.40.tit.5.

5 *De dedititia libertate tollẽda.* Vide §.vl.& ibi Theop. Inst. de libertinis, & Vlpianum tit. 2. & Gaium libro 1. tit. 1.

6 *De Latina libertate tollenda, & per certos modos in ciuitatem Romanam transfusa.* Vide loca, quæ citaui ad tit. præced.

7 *De communi seruo manumisso* ab vno ex dominis.

8 *De seruo pignori dato manumisso* à domino, qui eum pignerauit.

9 De *seruis reipublicæ manumittendis*. D. libro 40. titulo 3.

10 De *his, qui à non dominis man.mittuntur.*

11 *Qui manumittere non possunt, & ne in fraudem creditorum manumittatur.* Institut.libro 1.tit.6. D.libro 40. tit.9.

12 *Qui non possunt ad libertatem peruenire.*

13 *Pro quibus causis serui pro præmio accipiunt libertatem.*

14 De *ingenuis manumissis*. Hi non fiunt manumissione libertini, sed manent ingenui, Instit. de ingenuis. §.vlt.

15 *Communia de manumissionibus.* Claudit tractatum de manumissionibus, ponens communia quædam iura à Iustiniano introducta, vt transgrediatur ad iudicium liberale.

16 De *liberali causa*. D lib.40.tit.12.

17 De *adsertione tollenda*. Adsertio est defensio eius, qui status controuersiam patitur. Ab eius enim parte olim non admittebatur procurator, nec ipse in iudicio per se stare poterat, sed necessarius erat adsertor.

18 *Quibus ad libertatem proclamare non licet* (D.lib 40. tit.13.) *& de rebus eorum, qui ad libertatem proclamare non prohibentur.*

19 De *ordine cognitionum*. Declarat prærogatiuam iudicij liberalis, quod aliis præfertur, & ante alia disceptatur.

20 De *collusione detegenda*. D.lib.40.tit.16.

21 *Ne de statu defunctorum post quinquennium quæratur.* D.lib.40.tit.15.

22 De *longi temporis præscriptione, quæ pro libertate, & non aduersus libertatem opponitur.*

23 De *peculio eius, qui libertatem meruit.*

24 De *S.C.Claudiano tollendo*. Inst.lib.3.tit.12.

25 De *nudo iure Quiritium tollendo*. Nudum ius Quiritium est dominium, quod alicui iure Romano competit inaniter & sine effectu, cùm apud alium sit dominium iurisgentium cum effectu. Vide Theophil. Institut. de libertin. §. vltim. & Vlpian. titulo 2. §. qui tantùm.

26 De *vsucapione pro emptore*, (D.lib.41. tit.4.) *& pro transactione.*

27 De *vsucapione pro donato.* D.lib.41.tit.6.

28 De *vsucapione pro dote.* D.lib.41.tit.9.

29 De *vsucapione pro herede.* D.lib.41.tit.5.

30 *Communia de vsucapionibus.* Inst.lib. 2.tit. 6. D.lib. 41.tit.3.

31 *De vsucapione transformanda; & sublata differentia rerum mancipi, & nec mancipi.* Duplex est vsucapionis transformatio à Iustiniano introducta: quarum altera respicit tempus, altera res quæ vsucapiuntur. Nã olim res mobiles vsucapiebantur anno, immobiles biennio: hodie illæ vsucapiuntur triennio; hæ decennio inter præsentes, viginti annis inter absentes. Rursus prædia Italica erant mancipi, & poterant vsucapi: prouincialia erant nec mancipi, & vsucapi non poterant; hodie omnia possunt vsucapi, & sublata est differentia rerum mancipi & nec mancipi. Dicebantur autem mancipi, quæ mancipari poterant: nec mancipi quæ mancipari non poterant. Mãcipatio erat alienatio, quæ certis verbis fiebat libripende, & quinque testibus præsentibus, l.vn. & Inst. de rer. diuis. §. per traditionem. & de vsucap. in prin. Vlpian. tit.20.

32 De *acquirenda & retinenda possessione.* D. libro 41. tit.2.

33 De *præscriptione longi temporis*, id est, decem annorum inter præsentes, viginti inter absentes.

34 *In quibus causis cessat longi temporis præscriptio.*

35 *Quibus personis non obiicitur longi temporis præscriptio.*

36 *Si aduersus creditorem* agẽtem hypothecaria actione, *præscriptio opponatur* ab extraneo bonæ fidei possessore: creditor summouetur præscriptione longi temporis, id est, decem aut viginti annorum, l.1. & 2. cum sim. aliàs est opus præscriptione longissimi temporis, hoc est triginta, vel quadraginta annorum, infr. de præscript. trigin. vel quadrag. annor. l.3. & l.7.

37 *De quadriennij præscriptione.*

38 *Ne rei dominicæ, vel templorum vindicatio* longi vel longissimi *temporis præscriptione summoueatur.* Res dominica est, quæ ad priuatum principis patrimonium pertinet. Res templorum sunt, quæ ad ecclesias pertinẽt: vnde sacra templa vocantur in l. 2. nec placet interpretatio Cuiacij, qui intelligit templa paganorum. Ergo rei dominicæ, & rei ad sacrum templum pertinentis vindicatio non summouetur præscriptione longi, vel longissimi, sed tantùm immemorialis temporis, arg. l. 3. §. ductus. D. de aqua quotid. & æsti. & cap. super. 26. §. præterea. ext. de verb. signif.

39 *De præscriptione triginta, vel quadraginta annorum.* Hoc vocatur longissimum tempus.

40 De *annali exceptione Italici contractus tollenda*, (Nam ex contractu Italico olim actiones erant annales, hodie sunt perpetuæ, l. 1.) *& de diuersis temporibus & exceptionibus vel præscriptionibus*, (id est, diuersis temporalibus præscriptionibus siue exceptionibus, D.lib.44. titulo 3.) *& interruptionibus* præscriptionum: quia vt vsucapio, ita & præscriptio continuam, non interruptam possessionem requirit.

41 De *alluuionibus, & paludibus, & pascuis ad alium statum translatis.* Alluuio dicitur, cùm flumen paulatim & per incrementum latens terram aliàmve materiam prædio adgerit, D. de acquir. rer. domi. l.7. §. 1. & Inst. de rer. diuis. §. præterea. Quod per alluuionem fundo adiicitur, fundum sequitur, adeo vt præscriptio, quæ in fundo locum habet, in eo similiter obtineat, quod per alluuionem fundo accessit. Idem obtinet in paludibus & pascuis ad culturam per possessores vicinorum prædiorum translatis, l.3.

42 *De sententiis præfecti prætorio*, in quibus sunt quædam specialia, veluti ne rescindantur per appellationem, l. vnica. D. de officio præfect. prætor. l. vnica. §.1.

43 *Quemodo, & quando iudex sententiam proferre debeat præsentibus partibus, vel vna absente.* Cùm vtraque parte præsente, dicitur cognitionaliter sententia ferri, suprà de legib. l. vlt. in prioc. cùm autem alterutra parte absente, μονομερῶς, D. ad S.C. Trebell. l. vlt.

44 *De sententiis ex periculo recitandis.* Periculum est libellus, in quo sententia iudicis præscripta est. Vide Cuiac. lib. 5. Obseruat. cap. 25.

45 *De sententiis, & interlocutionibus omnium iudicum.* D. lib. 42. tit. 1.

46 *De sententia, quæ sine certa quantitate prolata est.* Vide §. curare. Inst. de actionibus.

47 *De sententiis quæ pro eo quod interest proferuntur.* Interesse est vtilitas, qua quis caret ob lucrum interceptum, vel damnum illatum aduersarij culpa.

48 *Si à non competenti iudice iudicatum esse dicatur.* Iudex incompetens est, ad cuius forum lis non pertinet.

49 *De pœna iudicis qui malè iudicauit,* (D. lib. 50. tit. 13.) *vel eius qui iudicem, vel aduersarium corrumpere curauit.*

50 *Sententiam rescindi nō posse* à iudice, à quo lata fuit, vel à successore eius, l. 1. ceteroqui per appellationem rescindi potest, D. ad S.C. Turpill. l. 1. §. vlt.

51 *De fructibus, & litium expensis.*

52 *De re iudicata.* D. lib. 42. tit. 1.

53 *De executione rei iudicatæ.* Vide l. à Diuo Pio. 15. D. de re iudica.

54 *De vsuris rei iudicatæ* ab eo præstandis, qui intra tempus statutum non satisfacit sententiæ, qua condemnatus fuit.

55 *Si plures vna sententia condemnati sint*: executio fit in singulos pro partibus vitilibus, non in solidum, nisi hoc in sententia sit expressum, etiamsi ante sententiam singuli tenerentur in solidum, l. 1. & 2.

56 *Quibus res iudicata non nocet*, quia res inter alios iudicata fuit.

57 *Comminationes* iudicis interlocutorias (veluti, Nisi sua die debitum soluas, vsuras præstabis) *epistolas* à iudice missas, *programmata* publicè affixa, (veluti quibus absentes citantur) *subscriptiones* (cùm iudex libello sibi oblato subscripsit) *auctoritatem rei iudicatæ non habere.*

58 *Si ex falsis instrumentis, vel testimoniis iudicatum sit*, sententia ipso iure non valet, l. 2.

59 *De confessis.* D. lib. 42. tit. 2.

60 *Inter alios acta, vel iudicata, aliis non nocere*, nec prodesse. Quod enim dictum est tit. 56. de re iudicata, iam ad alia acta producitur.

61 *De relationibus.* D. lib. 49. tit. 1.

62 *De appellationibus,* (D. lib. 49. tit. 1.) *& consultationibus.* Consultatio interdum relationem significat, suprà tit. prox. l. 2. & 3. hic verò accipitur pro disceptatione in consistorio principis, vt & supr. de legib. l. 2. & vt lite penden. l. 2. & Nou. 62.

63 *De temporibus, & reparationibus appellationum, seu consultationum.* Tempora appellationum sunt, quibus appellationes interponuntur apud iudicem, à quo appellatur; vel introducuntur ad iudicem, ad quē appellatur; vel finiuntur apud eundem. Reparatio est temporis, quod appellationi præstitutum est, lapsi & amissi instauratio. Tempora consultationum sunt, quibus acta apud eum, contra cuius sententiam appellatum est, & partium libelli refutatorij, & iudicis literæ dimissoriæ traduntur competenti scrinio libellorum, vel epistolarum, vt l. 3. & suprà tit. prox. l. 6. §. super his. & l. præcipimus. 32. §. huic saluberrimæ. & appellatio introducitur: finiendæ verò appellationi in sacro auditorio nullum tempus est præstitutum.

64 *Quando prouocare non est necesse*: quia sententia ipso iure non valet.

65 *Quorum appellationes non recipiuntur.* D. libro 49. tit. 5.

66 *Si pendente appellatione mors interuenerit.* D. lib. 49. tit. 13.

67 *De his, qui propter metum iudicis non appellauerunt.*

68 *Si vnus ex pluribus* eiusdem litis consortibus *appellauerit*, eius victoria aliis quoque prodest.

69 *Si de momentaria possessione fuerit appellatum*, appellatio non tenet. Momentaria vel momentanea possessio est, (vt Cuiacius definit) quæ ex interdicto prætoris celeriter reformanda & restituenda est.

70 *Ne liceat in vna & eadem causa tertiò prouocare: vel post duas sententias iudicum, quas definitio præfectorum prætorio roborauerit, eas* per supplicationem *retractare*. nam à sententia præfecti prætorio non licet appellare, sed principi supplicare, suprà de senten. præf. præt. l. vn. & ff. de off. præfect. præt. l. vn. §. 1. verùm vt appellatio, ita & supplicatio denegatur ei, qui trino iudicio superatus est.

71 *Qui bonis cedere possunt.* D. lib. 42. tit. 3.

72 *De bonis auctoritate iudicis possidendis, seu venumdandis,* (D. lib. 42. tit. 5.) *& de separationibus bonorum.* D. lib. 42. tit. 6.

73 *De priuilegio fisci*, quo fit, vt fiscus aliis creditoribus præferatur, & ei potiùs satisfiat, si bona debitoris non sufficiant omni æri alieno dissoluendo.

74 *De priuilegio dotis*, quo fit, vt mulier dotem repetens præferantur aliis creditoribus mariti.

75 *De reuocandis iis, quæ in fraudem creditorum alienata sunt.* D. lib. 42. tit. 8.

CODI

CODICIS LIBER VIII.

- Libro octauo agitur de
  - Interdictis, tit. 1. quæ diuiduntur
    - Primò in
      - Restitutoria, quæ sunt possessionis
        - Adipiscendæ, vt
          - Quorum bonorum, tit. 2.
          - Quod legatorum, tit. 3.
        - Recuperandæ, vt vnde vi, tit. 4. 5.
      - Prohibitoria, retinendæ possessionis, veluti, vti possidetis, tit. 6.
      - Exhibitoria
        - Tabularum, tit. 7.
        - Personarum, tit. 8.
    - Secundò in interdicta de rebus
      - Priuatis, vt de
        - Precario. } tit. 9.
        - Pignore. } tit. 9.
        - Ædificiis, tit. 10.
      - Publicis, vt de publicis
        - Operibus, tit. 11.
        - Ratiociniis, tit. 12.
  - Pignorib⁹ & hypothecis, de quibus hæc explicantur:
    - 1. Diuisio in pignus
      - Conuentionale, tit. 13. cuius declaratur specialiter
        - Subdiuisio in
          - Manifestatium.
          - Tacitum, tit. 14.
        - Materia. Hîc quæritur, an pignerari possit res
          - Aliena, tit. 15.
          - Propria, } tit. 16.
          - Nullius, } tit. 16.
        - Forma, qua pignus contrahitur, } tit. 16.
        - Effectus, id est, qui potiores sint in pignore, tit. 17. 18. 19.
        - Causa efficiens. Hîc quæritur, an vnus ex dominis possit pignerare rem communem, tit. 20.
      - Prætorium, quod constituitur
        - Missione in possessionem, tit. 21.
        - Captione ex causa iudicati, tit. 22.
    - 2. Euenta, id est,
      - Oppigneratio pignoris, tit. 23.
      - Accessiones, tit. 24.
    - 3. Contraria, & quæ videntur esse contraria, vt
      - Remissio, tit. 25.
      - Obligatio chirographaria, tit. 26.
      - Distractio, tit. 27. 28. 29.
      - Luitio, tit. 30. 31.
      - Numeratio non secuta, tit. 32.
      - Impetratio dominij, tit. 33.
    - Accidentia, id est pacta, tit. 34.
  - Exceptionibus, tit. 35. 36. quę opponũtur obligationib.
    - Ciuilibus. Hæ obligationes
      - Constituuntur variis modis, præsertim stipulatione, quę est vel
        - Principalis
          - Vnius rei,
            - Vtilis, tit. 37.
            - Inutilis, tit. 38.
          - Duorum reorum, tit. 39.
        - Accessoria, tit. 40.
      - Transfunduntur nouatione, tit. 41.
      - Dissoluuntur
        - Solutione, tit. 42.
        - Acceptilatione, tit. 43.
    - Honorariis, vt de euictione, tit. 44. 45.
  - Patria potestate, de qua quęruntur quatuor,
    - 1. Quæ sint iura parentum in liberos, tit. 46.
    - 2. Quomodo hæc potestas constituatur, tit. 47.
    - 3. Quibus modis dissoluatur, vel suspendatur, vt
      - Emancipatione, tit. 48. quæ reuocatur per ingrati actionem, tit. 49.
      - Captiuitate, tit. 50.
      - Expositione infantium recens natorum, tit. 51.
    - 4. A quo iure originem ducat: nempe à consuetudine, tit. 52.
  - Donatione
    - Inter viuos
      - Constituenda
        - Purè & simpliciter, tit. 53.
        - Cum adiectione
          - Modi. } tit. 54.
          - Conditionis, } tit. 54.
          - Diei. } tit. 54.
      - Reuocanda, tit. 55.
    - Mortis causa. Hæc donatio consideratur
      - Generaliter, tit. 56.
      - Specialiter, id est, collata in
        - Cœlibem, } tit. 57.
        - Orbum, } tit. 57.
        - Habentem ius liberorum, tit. 58.

Tituli libri octaui Codicis, adiunctis breuibus notis.

1 DE *interdictis*. Instit. lib. 4. tit. 15. D. lib. 43. tit. 1.
2 *Quorum bonorum*. D. lib. 43. tit. 2.
3 *Quod legatorum*. D. lib. 43. tit. 3.
4 *Vnde vi*. D. lib. 43. tit. 16.
5 *Si per vim, vel alio modo, absentis possessio turbata sit.*
6 *Vti possidetis*. D. lib. 43. tit. 17.
7 *De tabulis exhibendis*. D. lib. 43. tit. 5.
8 *De liberis exhibendis, seu deducendis*, (D. lib. 43. tit. 30.) *& de*

& de libero homine exhibendo. D.lib.43.tit.29.

9 *De precario,* (D.lib.43.tit.16.) *& Saluiano interdicto.* D.lib.43.tit.vlt.

10 *De ædificiis priuatis.*

11 *De operibus publicis.* Idem titulus extat D. lib. 50. tit.10. Sed ibi cõsiderantur opera publica respectu muneris, quod eorum curatori incumbit: hîc verò, quatenus de eis redduntur interdicta.

12 *De ratiociniis operum publicorum, & de patribus ciuitatum,* quibus ea ratiocinia redduntur. Nam pater ciuitatis, qui etiam vocatur curator reipublicæ, curam habet pecuniæ publicæ, operúmque publicorum. Vide Cuiac.ad l.3.infr.de his qui spon.mun.public.sube.

13 *De pignoribus, & hypothecis.* D.lib.20.tit.1.

14 *In quibus causis pignus tacitè contrahitur.* D. lib.20. tit.2.

15 *Si aliena res pignori data sit.*

16 *Quæ res pignori obligari possunt, vel non,* (D.libro 20. tit.3.) *& qualiter pignus contrahatur.* D.lib.20.tit.1.

17 *Qui potiores in pignore habeantur.* D.lib.20.tit.4.

18 *De his, qui in priorum creditorum locum succedunt.* D. lib.20.tit.4.

19 *Si antiquior creditor pignus vendiderit:* neque posterior creditor, neque debitor potest rem auferre emptori, l.2.

20 *Si communis res pignori data sit* ab vno ex pluribus dominis, pro eius tantùm parte pignus tenet, l.vn.

21 *De prætorio pignore, & vt in actionibus etiam debitorum missio prætorij pignoris procedat.* Prætorium pignus est, quod ex iurisdictione prætoris proficiscitur. Huius species duæ sunt: prætorium propriè dictum, quod fit missione in possessionem à prætore ex edicto decreta: & iudiciale, de quo dicetur tit.seq. Nam hoc tit. agitur de missione in possessionem, quæ prætorium pignus & custodiam tribuit, & obtinet etiam in actionibus debitori competentibus.

22 *Si in causa iudicati pignus captum sit.* Pignus iudiciale est, quod capitur, vt res iudicata executioni mandetur.

23 *Si pignus pignori datum sit,* id est, si quis pignus à debitore suo sibi obligatum pigneranit suo creditori.

24 *De partu pignoris,* (id est, ancillæ pigneratæ) *& omni causa.* Causa definita est D.lib.22.tit.1.

25 *De remissione pignoris.*

26 *Etiam ob chirographariam pecuniam pignus teneri posse.* Chirographaria pecunia est, quæ sine pignore credita, & in chirographum collata est; vt chirographarius creditor dicitur, qui solo chirographo contentus, pignore sibi caueri non curauit, ideóque distinguitur ab hypothecario creditore, cui pignus obligatum est, sup.de bon.auctor.iud. possid.l.6. & qui potio.in pign. hab.l.cùm tibi.10. & similiter chirographarius debitor vocatur, qui chirographum dedit sine pignore & hypotheca, supr.si cert.pet.l.vlt. & infr.de nouationib. l.pen. & chirographarium debitũ, quod est pignore vacuum, l.vn.in fi.

27 *De distractione pignorum.* D.lib.20.tit.5.

28 *Debitorem non soluentem* totum debitum, *venditionem pignorum* à creditore institutam impedire nõ posse.

29 *Si vendito pignore agatur,* id est, si post venditionem à creditore factam, debitor, vel alius eiusdem debitoris creditor hypothecarius agat, putà vt venditionem reuocet.

30 *De luitione pignoris.* Pignus luitor, id est, liberatur solutione totius debiti, vel satisfactione, quæ pro solutione est, D.de pign.act. l.si rem. 9. §. omnis. & quibus mod.pign.vel hyp.solu.l.6 in pr.

31 *Si vnus ex pluribus heredibus creditoris vel debitoris partem suam debiti soluerit, vel acceperit:* obligatio principalis, quia inter heredes diuiditur ex lege duodecim tabularum, pro parte soluitur: sed pignus pro parte obligationis non dissoluta manet obligatum in solidum, quia pignoris causa est indiuidua, adeo vt pro parte lui non possit.

32 *Si pignoris conuentionem numeratio pecuniæ,* cuius accipiendæ spe pignus obligatũ est, *secuta non sit:* exceptio non numeratæ pecuniæ non solùm principali, sed etiam pignoris obligationi officiet.

33 *De iure dominij impetrando.* Si nec debitor soluat, quod debet: nec vllus reperiatur, qui pignus emat: creditor à principe impetrare potest, vt dominium pignoris sibi addicatur.

34 *De pactis pignorum,* (D.lib.20.tit.1.) *& de lege commissoria in pignoribus rescindenda.* Lex commissoria in pignore est pactum, vt, si debitor intra tempus, de quo conuenit, non soluerit, pignus creditori emptum sit: quod pactum hîc reprobatur. Lex commissoria in venditione est pactum, vt, si emptor pretium intra diem statutam non soluerit, res sit inempta: quod pactum valet. D lib.18.tit.3.

35 *De exceptionibus, seu præscriptionibus.* Inst.lib.4.tit.13. D.lib.44.tit.1.

36 *De litigiosis.* D.lib.44.tit.6.

37 *De contrahenda, & committenda stipulatione.* Inst.lib. 3. tit.16.D.lib.45.tit.1.

38 *De inutilibus stipulationibus.* Inst.lib.3.tit.20.

39 *De duobus reis stipulandi & promittendi.* Inst. lib. 3. tit.17. D lib.45.tit.2.

40 *De fideiussoribus, & mandatoribus.* Inst.lib.3.tit.21. D.lib.46.tit.1.

41 *De nouationibus, & delegationibus.* D.lib.46.tit.2.

42 *De solutionibus, & liberationibus.* D.lib.46.tit.3.

43 *De acceptilationibus.* D.lib.46.tit.4.

44 *De euictionibus.* D.lib.21.tit.2.

45 *Creditorem,* qui pignus iure creditoris distraxit, *euictionem pignoris* emptori *non debere.*

46 *De patria potestate.* Inst.lib.1.tit.9.

47 *De adoptionibus.* Inst.lib.1.tit.11.D.lib.1.tit.7.

48 *De emancipationibus liberorum.* D.lib.1.tit.7.

49 *De ingratis liberis* emancipatis, in patris potestatem retrahendis.

50 *De postliminio, & de redemptis ab hostibus.* D. lib.49. tit.15.

51 *De infantibus* sanguinolentis *expositis liberis & seruis; & de his, qui sanguinolentes* expositos, *nutriendos acceperunt.* Sanguinolenti sont recèns nati. Hi propriè dicuntur exponi; grandiores verò haberi pro derelicto.

52 *Quæ sit longa consuetudo* D.lib.1.tit.3.

53 *De donationibus.* Inst.lib.2.tit.7.D.lib.39.tit.5.

54 *De donationibus, quæ sub modo, vel conditione, vel certo tempore conficiuntur.*

55 *De reuocandis donationibus.*


56 *De mortis causa donationibus.* D.lib.39.tit.6.

57 *De infirmandis pœnis cælibatus, & orbitatis, & legibus decimariis sublatis.* Orbus est, qui liberis caret: cœlebs est, qui vxorem, quæve maritum non habet. Si cœlibi in testamento relictum, vel mortis causa donatum erat, semis: si orbo, totum confiscabatur. Vir & vxor inter se regulariter non solidum, sed decimas in honorem matrimonij, & decimas nomine liberorum capere poterant. hinc dictæ leges decimariæ. Vide Vlpian.tit.14 15.16.17. Sed hæc omnia sunt abolita.

58 *De iure liberorum,* quod olim à principe impetrandum erat, hodie ipso iure omnibus est cõcessum, l.1. Hoc iure impetrato, vt & aliis quibusdam casibus, coniuges inter se solidum capere poterant, Vlpian.tit.17.

CODI

CODICIS LIBER IX.




- Iudiciorum criminalium
  - Principium est accusatio, cuius explicatur
    - Efficiens, tit.1.
    - Forma, tit.2.
    - Effectus, id est, reorum
      - Exhibitio, / Transmissio, } tit.3.
      - Custodia, quæ
        - Publica permittitur, tit.4.
        - Priuata inhibetur, tit.5.
    - Dissolutio, tit.6.
  - Diuisio est biperti-ta, nempe in iudicia
    - Publica, de quibus duo declarantur
      - I. species: nempe de
        - Læsa maiestate, tit.7.8.
        - Coitu illicito, vt
          - Adulterio, } tit.9.
          - Stupro, quod consideratur
            - Generaliter, } tit.9.
            - Specialiter,
              - Tutoris cum pupilla, tit.10.
              - Serui cum domina, tit.11.
        - Vi, tit.12.
        - Raptu, tit.13.
        - Homicidio. Hic
          - Primò proponuntur quædam protheoriæ de emendatione
            - Seruorum, tit.14.
            - Propinquorũ, t.15.
          - Secundò agitur de ipso homicidio, tit.16.
        - Parricidio, tit.17.
        - Maleficio, id est,
          - Veneficio,
          - Magia,
          - Vaticinio, augurio, & similibus imposturis, } tit. 18.
        - Sepulchro violato, tit.19.
        - Plagio, tit.20.
        - Falso commisso in
          - Statu personæ, tit.21.
          - Testamento, tit.22 23.
          - Moneta, tit.24.
          - Nomine, tit.25.
        - Ambitu, tit.26.
        - Repetundis, tit.27.
        - Peculatu, tit.28.
        - Sacrilegio, tit.29.
        - Seditione, & tumultu, tit.30.
      - II. Concursus cum iudiciis ciuilibus, tit.31.
    - Priuata, & extraordinaria, vt de
      - Expilata hereditate, tit.32.
      - Rapina, tit.33.
      - Stellionatu, tit.34.
      - Iniuria, tit.35.36.
      - Abigeatu, tit.37.
      - Aggeribus ruptis, tit.38.
      - Occultatione delinquentium, tit.39.
  - Vitia siue impedimenta & remotæ sunt ex parte
    - Accusati,
      - Si absit, tit.40.
      - Si inficietur, tit.41.
    - Accusatoris, si abolitione
      - Priuata, tit.42. } non interueniente
      - Publica, tit.43. } non interueniente
    - Cunctetur & negligat, t.44.
    - Tergiuersetur, & desistat, tit.45.
  - Effectus est irrogatio pœnæ, de qua sunt tres tractatus:
    - I. Generalis de pœnis irrogandis, tit.46.
    - II. Specialis de confiscatione bonorum, de qua quæritur,
      - 1. Qui possint confiscare, tit.48.
      - 2. Quorum bona confiscentur, vt
        - Damnatorum, tit.49.
        - Eorum, qui sibi mortem consciuerunt, tit.50.
    - III. De restitutione damnatorum, tit.51.

Tituli libri noni Codicis adiunctis breuibus notis.

1 *Qui accusare non possunt.*
2 De *accusationibus & inscriptionibus.* D.lib.48.tit.2.
3 *De exhibendis, & transmittendis reis.* D.lib.48.tit.3.
4 De *custodia reorum.* D.lib.48.tit.3.
5 De *priuatis carceribus inhibendis.*
6 *Si reus, vel accusator mortuus fuerit:* quæritur an accusatio extinguatur.
7 *Si quis Imperatori maledixerit.*
8 *Ad legem Iuliam maiestatis.* D.lib.48.tit.4.
9 *Ad legem Iuliam de adulteriis, & stupro.* D. libro 48. tit.5.
10 *Si quis eam, cuius tutor fuerit, corruperit.*
11 *De mulieribus, quæ se propriis seruis iunxerunt.*
12 *Ad legem Iuliam de vi publica, seu priuata.* D.lib.48. tit.6.7.
13 *De raptu virginum, vel viduarum, vel sanctimonialium.*
14 De *emendatione seruorum.*
15 De *emendatione propinquorum.*
16 *Ad legem Corneliam de sicariis.* D.lib.48.tit.8.
17 *De his, qui parentes, vel liberos occiderunt.* D.lib.48. tit.9.
18 *De maleficis, & mathematicis, & cæteris similibus.* Maleficorum appellatione continentur venefici, & magi. Venefici sunt, qui malum venenum parant, vendūt, adhibent in alicuius necem. Magi, qui susurris magicis vtuntur in hominum perniciem. Mathematici hoc loco vocantur, qui mathematicorum nomine abutentes, diuinandi artem profitentur ex adspectu syderum. His similes sunt somniorum interpretes, harioli, augures, haruspices. Harioli (sic dicti à fando, quasi fatioli, conuersa, vt sæpe fit, litera f, in adspiratione) seu vates vocātur, qui vaticinantur, vt Sibyllinorū carminū, & Delphicorum oraculorum interpretatione. Augures, qui ex auium volatu, cantu, pastu futura coniiciunt. Haruspices, qui ex harugarum inspectione prædicunt futura. Haruga est hostia, sic dicta ab hara, quoniam ad haram agebatur.
19 *De sepulchro violato.* D.lib.47. tit.12. refertur inter crimina extraordinaria: hic inter publica: quia hæc iudicia concurrunt.
20 *Ad legem Fabiam de plagiariis.* D. lib.48.tit.15.
21 *Ad legem Viselliam.* Hæc lex punit libertinos, qui pro ingenuis se venditant, & honores ingenuorum proprios temerè vsurpant.
22 *Ad legem Corneliam de Falsis.* D.lib.48.tit.10.
23 De *his, qui sibi adscribunt in testamento* alieno hereditatem, vel legatum, seu fideicommissum.
24 *De falsa moneta.*
25 De *mutatione nominis,* quæ ita demum pœnam meretur, si in alterius præiudicium dolo malo fiat, l.vnic. Nominis appellatione continetur etiam cognomen, D. de le. Cornel. de fals. l. falsi. 13. in princ. ergo etiam prænomen, & adgnumen; quoniam eadem est ratio.
26 *Ad legem Iuliam de ambitu.* D.lib.48.tit.14.
27 *Ad legem Iuliam repetundarum.* D.lib.48.tit.11.
28 De *crimine peculatus.* D.lib.48.tit.13.
29 *De crimine sacrilegij.* D.lib.48.tit.13.
30 *De seditiosis, & de his, qui audent plebem contra quietem publicam colligere.*
31 *Quando ciuilis actio criminali præiudicet, & an vtraque ab eodem exerceri possit.*
32 De *crimine expilatæ hereditatis.* D.lib.47.tit.19.
33 De actione *vi bonorum raptorum.* Inst.lib.4.tit.2. D. lib.47.tit.8.
34 De *crimine stellionatus.* D.lib.47.tit.20.
35 *De iniuriis.* Inst.lib.4.tit.4. D.lib.47.tit.10.
36 *De famosis libellis.* D.lib.47.tit.10.
37 *De abigeis.* D.lib.47.tit.14.
38 *De Nili aggeribus non rumpendis.* Iudicium est extraordinarium pertinens ad tuitionem Ægypti.
39 *De his, qui latrones, vel aliis criminibus reos occultauerint,* extra ordinem puniendis.
40 De *requirendis reis.* D.lib. 48.tit.17.
41 *De quæstionibus.* D. lib.48.tit.18.
42 *De abolitionibus.* D. lib. 48.tit.16.
43 *De generali abolitione*, quæ generaliter & publicè fit, veluti ob rem prosperè gestam. Superiori titulo egit de abolitione priuata, quam impetrat accusator, ne incidat in pœnam senatusconsulti Turpilliani.
44 *Vt intra certum tempus criminalis quæstio terminetur.* Hoc est intra biennium, l.3
45 *Ad S.C.Turpillianum.* D.lib.48.tit.16.
46 *De calumniatoribus.* Extat eadem rubrica D. lib. 3. tit.6. Sed ibi calumniator dicitur, qui pecuniam accepit, vt per calumniam negotium alicui faceret, vel non faceret. D. illo tit. l.1. in princ. hic autem, qui falsa crimina sciens intendit, D. ad S.C.Turpill. l.1. §.1.
47 *De pœnis.* D.lib.48.tit.19.
48 *Ne sine iussu principis certis iudicibus* (vt rectoribus prouinciarum) *liceat* bona damnatorum expresse *confiscare.* l.vn. sed tantum tacitè, si eam pœnā irrogent, quam bonorum confiscatio tacitè sequitur, vt damnationem in metallum, D. de offic. præsid. l.6. §. pen.
49 *De bonis proscriptorum*, quorum bona expressè per sententiam iudicis confiscantur, & *damnatorum* pœna capitali, quam tacitè sequitur bonorum confiscatio, D. lib.48.tit.20.
50 *De bonis eorū qui mortē sibi consciuerunt.* D.li.48.ti.21.
51 *De sententiam passis, & restitutis.* D.lib.48.tit.23.

Tituli

CODICIS LIBER X.



Libro decimo Codicis agitur de iure
- Fiscali
  - Generaliter, tit. 1.
  - Specialiter, id est, de
    - His, quæ ad fiscum pertinent ex
      - Contractu
        - Intercessionis, tit. 2.
        - Venditionis, tit. 3, 4. 5.
        - Mutui, tit. 6.
      - Delicto, tit. 7.
        - Communiter de his causis consideratur
          - Vsuræ, tit. 8.
          - Sententiæ cōtra fiscum latæ, tit. 9.
      - Eo, quod sunt bona vacantia, vel cōmissa, vel tacita fideicommissa. Hîc agitur de
        - Incorporatione, tit. 10.
        - Delatione, tit. 11.
        - Concessione, id est, an hæc concedantur,
          - Petenti, tit. 12.
          - Se deferenti, tit. 13.
          - Socio liberalitatis imperialis, tit. 14.
      - Thesauri inuentione, tit. 15.
      - Collationib. Hîc agitur de
        - His, quæ cōferuntur, id est, de
          - Annonis, & tributis, de quib. duo cōsiderātur,
            - 1. Indictio, id est,
              - Res, quæ indicuntur, tit. 16.
              - Forma & ratio indicendi, titul. 17. 18.
            - 2. Exactio. Hîc agitur de
              - Personis exigentibus, tit. 19.
              - Quantitate exigenda, tit. 20.
              - Modo exigendi, tit. 21.
              - Apochis faciendis.
              - Personis, à quibus exigitur, — tit. 22.
          - Canone largitionalium titulorum, tit. 23.
          - Operis, tit. 24. 25.
          - Coëmptis, tit. 26. 27.
        - Fundis ex quibus confertur, tit. 28. 29.
    - Rationalibus fiscalibus examinandis à discussoribus, tit. 30.
- Municipali. Hîc tractatur de
  - Decurionibus
    - Generaliter, — tit. 31.
    - Specialiter, id est, de eorum
      - Filiis, — tit. 31.
      - Liberatione à fortuna curiali, — tit. 31.
      - Electione, tit. 32.
      - Prædiis non alienandis, tit. 33.
      - Defunctorum bonis, tit. 34. 35.
      - Decretis, tit. 36.
      - Habitatione, tit. 37.
  - Municipibus, tit. 38.
  - Incolis, tit. 39.
  - Honoribus, & muneribus
    - In genere. Hîc considerantur
      - Diuisio in
        - Personalia, tit. 40.
        - Realia, tit. 41.
      - Indictio, tit. 42.
      - Spontanea muneris susceptio, tit. 43.
      - Immunitatis causa
        - Efficiens. Hîc quæritur an immunitas detur à —
          - Principe, t. 44. 45.
          - Decurionum ordine, tit. 46.
        - Procatarctica, id est, excusatio, tit. 47. 48. vbi quæritur, an quis excusetur propter —
          - Ætatem, tit. 49.
          - Morbum, tit. 50.
          - Liberos, — tit. 51.
          - Paupertatem, tit. 51.
          - Professionem, tit. 52.
          - Medicinam, tit. 52.
          - Athleticam, tit. 53.
          - Dimissionē à militia, tit 54. 55.
          - Conductione vectigaliū, t. 56.
          - Statum, tit. 57.
          - Infamiam, tit. 58.
          - Delationem, tit. 59.
          - Exiliū, & interdictionē, tit. 60.
          - Patriā potestatem, tit. 61. 62.
          - Sexum, tit. 63.
          - Legationem, tit. 64.
          - Artificium, tit. 65.
          - Ordinem nominationis, ti. 66.
          - Inimicitias, tit. 67.
      - Sumptus immunitatis impetrandæ causa facti, tit. 68.
      - Creati mors, tit. 69.
    - Specialiter, id est, de
      - Tabulariis, scribis, logographis, censualibus, tit. 70.
      - Susceptoribus, præpositis, arcariis, tit. 71.
      - Ponderatoribus, tit. 72.
      - Prosecutoribus auri publici, tit. 73. quod non est ab aliquo vsurpandum, vt nec cetera illata ex publica collatione, tit. 74. pertinent enim ad principem, vt aurum coronarium, tit. 75.
      - Irenarchis, tit. 76.
      - Thesaurorum præpositis, quibus pro argento debito potest aurum solui, tit. 77.

Tituli libri decimi Codicis notis illustrati.

1 *De iure fisci*, D. lib. 49. tit. 14.

2 De *conueniendis fisci debitoribus*.

3 De *fide, & iure hastæ fiscalis, & de adiectionibus*. Hasta fiscalis est, sub qua res ad fiscum pertinentes publicè distrahuntur, & plus offerenti addicuntur. Adiectio vel auctio est plus offerentis licitatio.

4 *De venditione rerum fiscalium cum priuatis communiũ*. Fisco concessum est, vt rem, cuius pro parte est dominus, in solidum vendat, quò faciliùs inueniat emptorem: sed pars dominij portione pars pretij in fiscum redigitur, pars socio restituitur, l. vn.

5 *Ne fiscus rem, quam vendidit, euincat*.

6 De *his, qui ex publicis rationibus mutuam pecuniam acceperunt*. Hoc mutuum prohibetur.

7 *Pœnis fiscalibus creditores* priuatos *præferri*. Priuilegium fisci, vt ceteris creditoribus præferatur, de quo suprà lib. 7. tit. 73. non habet locum in pœnis exigendis: alioquin pœnæ non tã nocerent delinquentibus, quàm eorum creditoribus.

8 De *fiscalibus vsuris*, quæ fisco, vel à fisco debentur.

9 De *sententiis aduersus fiscum latis, retractandis*, regulariter intra triennium, interdum etiam post triennium, l. vn.

10 De *bonis vacantibus, & de incorporatione*. Bona vacantia sunt, quæ dominum non habent, quia dominus mortuus est sine herede. Incorporatio est bonorum, seu rerum in corpus fisci redactio.

11 De *delatoribus*. Delator est, qui rem ad fiscum pertinentem, præmij causa denunciat.

12 *De petitionibus bonorum* ad fiscum pertinentiũ *sublatis*. Prohibet, ne quis petat sibi concedi bona ad fiscum pertinentia.

13 De *his qui se deferunt*. Si quis incapax vltrò se deferat fisco, partem aliquam retinet, quæ præmij loco ei relinquitur.

14 *Si liberalitatis Imperialis socius sine herede decesserit*, eius pars non confiscatur, sed socio conceditur.

15 *De thesauris*. Thesaurus est pecunia ante omnem memoriam deposita, ita vt dominum non habeat, D. de acquir. rer. dom. l. nunquam. 31. §. 1.

16 De *annonis & tributis*. Annonæ, & tributa fisco quotannis penduntur à dominis seu cõductoribus prædiorum prouincialium: sed illæ in speciebus consistũt, vt frumento, vino, oleo, pane, carne, sale: hæc in corporibus, vt auro, argento, ære, equis, vestibus. Cuiac. hîc.

17 De *indictionibus*, quibus onus annonarum & tributorum iniungitur possessoribus prædiorum.

18 De *superindicto*, id est, indictionis augmento.

19 *De exactionibus tributorum*, & annonarum, quæ interdum appellatione tributorum continentur. C. Th. lib. 11. tit. 2.

20 De *superexactionibus* prohibitis. Nam superexigere est plus debito exigere.

21 De *capiendis & distrahendis pignoribus, tributorum* exigendorum *causa*.

22 *De apochis publicis, & descriptionibus curialibus*. Apocha est scriptura solutionis fidem faciens in gratiam debitoris. Apocha publica est, qua publicæ functioni satisfactum esse ostenditur. Descriptio curialis est scriptura publica continens singulorum collatorum (id est, tributa & annonas fisco pendentium) nomina, & collationis modum.

23 De *canone largitionalium titulorum*, qui ex more infertur thesauris, vel priuato ærario, ex quo princeps dona & largitiones publicè, priuatimve facit, & necessaria comparat. Cuiac. hîc.

24 *Ne opera à collatoribus exigantur*, præter eas quæ præstari debent. Collatores sunt prouinciales, qui in fiscum conferunt, seu fisco pendunt annonas, tributa, ceteráque onera fiscalia.

25 De *immunitate nemini concedenda*, quò minùs debitæ fisco operæ præstentur.

26 De speciebus, quas fiscus à prouincialibus eas sibi vendere iussis coëmit, *conditis in publicis horreis*, vt vsui publico inseruiant.

27 *Vt nemini liceat in coëmptione specierum se excusare*, quò minùs eas fisco vendat, *& de munere sitonia*, id est, frumenti fisco à prouincialibus emendi.

28 *De collatione* fundorum à principe *donatorum* dempto canone, *vel releuatorum* ab onere tributi, *aut translatorum* ab vna functione in aliam, *seu adaratorum*, id est, ex quibus pro annona æstimatio pendi iubetur. In his omnibus fundis lex vn. iubet seruari dispositionem Antiochi præfecti prætorio, quæ extat C. Th. h. t. l. vlt.

29 De *collatione æris*. Fundi adærati non omnino æs pendũt: quia collatoribus permittitur æris æstimationẽ soluere, & pro viginti libris æris vnũ aureũ pẽdere, l. vn.

30 *De discussoribus*, qui rationes fiscales ab aliis tractatas examinant, discutiunt, &, si opus est, emendant.

31 De *decurionibus, & filiis eorum* (D. lib. 50. tit. 2.) *& qui decuriones habentur, quibus modis a curiali fortuna liberentur*.

32 *Si seruus, aut libertus ad decurionatum adspirauerit*: punitur, nisi libertus vel ius aureorum anulorum impetrauerat, vel natalibus restitutus fuerat, l. 1. & 2.

33 *De prædiis curialium sine decreto non alienandis*.

34 *Quando, & quibus quarta pars debetur ex bonis decurionum, & de modo distributionis eorum*. Si curialis habeat liberos curiales, his quarta pars bonorum paternorum omnino debetur, l. vlt. Si liberis careat, quarta pars debetur curiæ. l. 1. Hoc igitur modo inter curiam, & extraneum curialis heredem bona distribuuntur, vt curia quadrantem, heres dodrantem accipiat: sed iure nouissimo e contrario dodrans debetur curiæ, quadrãs heredi, Nou. 18. cap. 2. Nou. 38. Nou. 89. c. 5.

35 *De imponenda lucratiuis prædiis* (id est, quæ titulo lucratiuo extraneus non curialis à curiali accepit) *descriptione*, secundùm quam quatuor siliquas, id est, quartam aurei partem in singulas iugationes præstant, l. vn. Siliqua est vigesima quarta pars aurei. Iugatio est certus agri modus seu mensura, à iugis animalium, quibus agri coluntur, dicta.

36 *De præbendo salario*. Salarium est annua erogatio, quæ alicui sui tuendi alendique causa præstatur. Hoc decuriones iniussu principis nemini constituere possunt, l. vn.

37 *Si curialis, relicta ciuitate, rus habitare maluerit*: hoc ei non permittitur.

38 *De municipibus, & originariis*. Municeps est genus originarij, & incolæ. Vide notata D. libro 50. titul. 1.

39 De *incolis*, (D. lib. 50. tit. 1.) *& vbi quis domicilium habere videatur, & de his qui studiorum causa in alia ciuitate degunt*. Domicilium est, vbi quis larem, rerúmque ac fortunarum suarum summam constituit: vnde non est discessurus, si nihil auocet: vnde si profectus est, peregrinari videtur: quò si redit, peregrinari destitit, l. 7. Commoratio in aliquo loco studiorum causa non tribuit domicilium, nisi quis decem annis transactis eo loco sedes sibi constituit, quo studuit, l. 2.

40 De *honoribus, & muneribus non continuandis inter patrem & filium, & de interuallis*. De honorib. & munerib. vide D. lib. 50. tit. 4. De eorum interuallis vide l. 21. h. t. & l. 5. D. eo.

41 De

41 De *muneribus patrimoniorum*.

42 *Quemadmodum ciuilia* (id est, publica) *munera indicuntur*.

43 De *his, qui sponte munera susceperunt*, cùm possent se excusare.

44 *De his, qui à principe vacationem acceperunt*.

45 De *vacatione publici muneris*. D. lib.50.tit.5.

46 *De decretis ab ordine* decurionum *faciendis* super immunitate alicui tribuenda.

47 De *excusationibus munerum*. D.lib.50.tit.5.

48 De *quibus muneribus vel præstationibus nemini liceat se excusare*.

49 *Qui ætate se excusant*.

50 *Qui morbo*.

51 De *his, qui numero liberorum, vel paupertate excusationem meruerunt*.

52 De *professoribus* iurisprudentiæ, philosophiæ, rhetoricæ, grammaticæ, *& medicis*.

53 *De athletis*. Athletæ sunt, qui in sacris certaminibus exercentur.

54 *De his, qui non impletis stipendiis* legitimis viginti annorum, *sacramento* militari *soluti sunt*.

55 *Quibus muneribus excusantur hi, qui post impletam militiam vel aduocationem, per prouincias suis commodis vacantes commorantur, & de priuilegiis eorum*.

56 *De conductoribus vectigalium fisci*.

57 De *libertinis*.

58 De *infamibus*. Infames ad honores non admittuntur, & à muneribus non excusantur. l.vn.& infrà de dignitat.l.2. Infamiæ definitionem attuli D.lib.3.tit.2.

59 De *reis postulatis*. Postulatio seu delatio rei accusationem præcedit.

60 *De his, qui in exilium dati, vel ordine moti sunt*. Finito exilij vel interdictionis tempore quæritur, an ad honores admittatur. Vide Centur.2.quæst.20.

61 De *filiisfamilias, & quemadmodum pater pro his teneatur*. Patria potestas exensat filium, ne vnà cum patre onus subeat, ne duo ex eadem familia simul onerentur, l.3. præsertim cùm pater teneatur pro filio, quem in potestate habet, nisi eius nominationi contradicat, l.1.& 2.

62 *De periculo successorum parentis*. Non tantùm pater pro filio obligatur, sed etiam in successorem suum obligationem transmittit.

63 *De mulieribus, in quo loco munera sexui congruentia, & honores adgnoscant*.

64 De *legationibus*. D.lib.50.tit.7.

65 De *excusationibus artificum*.

66 De *potioribus nominandis*. Excusatur à munere, qui ostendit alium potiorem nominari debuisse, l.vn.

67 Si *propter inimicitias creatio facta sit*, excusatio locum habet.

68 De *sumptuum recuperatione*, quos nominatus, qui appellauit, in litem fecit, & à nominatore recuperat, l.vnica.

69 *Si post creationem quis* ante subeundi muneris diem *decesserit*, nullam obligationem ad heredem transmittit, l.vn.

70 De *tabulariis, scribis, logographis, & censualibus*. Tabularij eorum, quæ publico debentur, & inferuntur, rationes conficiunt. Scribæ sunt, qui apud curiam vel magistratum acta conscribunt. Logographi in rationibus scribendis sunt occupati. Censuales operam suam magistro census in rebus censualibus præbent.

71 De *susceptoribus, præpositis, & arcariis*. Susceptores annonis, & tributis recipiendis: præpositi horreis, in quibus species fiscales deponuntur: arcarij his, quæ in arcam præfecti prætorio inferuntur, præpositi sunt.

72 *De ponderatoribus, & auri illatione*. Ponderatores aurum, quod fisco est inferendum, appendunt & examinant.

73 De *auri publici prosecutoribus*, qui aurum sacris largitionibus inferendum exigunt, & transmittunt.

74 *De his, quæ ex publica collatione illata sunt, non vsurpandis*.

75 De *auro coronario*, quod in coronis aureis publicæ gratulationis, vel gratiarum actionis causa, principi offertur.

76 De *irenarchis*, qui paci & tranquillitati publicę per prouincias tuendæ præsunt & inuigilant.

77 De *argenti pretio, quod* sacris *thesauris infertur*. Pro argento debito potest quis aurum inferre, ita vt pro singulis libris argenti quinus aureos inferat, l.vn.

CODICIS LIBER XI.

Libro vndecimo Codicis agitur de

- Corporibus, & vniuersitatibus, vt
  - Negotiatorum, & mercatorum, tit. 1.
  - Nauiculariorum: de quibus hæc considerantur:
    - 1. Officium, tit. 2.
    - 2. Res, tit. 3.
    - 3. Nauibus imponenda, tit. 4. 5.
    - 4. Naufragium, tit. 6.
  - Metallariorum, tit. 7.
  - Murilegulorum, Gynæciariorum, Monetariorum, Bastagariorum, tit. 8.
  - Baphiorum, tit. 9.
  - Fabricensium, tit. 10.
  - Ponderarorum, tit. 11.
  - Artificum palatinorum, tit. 12.
  - Classicorum, tit. 13.
  - Decurialium vrbis Romæ, tit. 14.
  - Corporatorum vrbis Romæ, tit. 15. vt
    - Pistorum, tit. 16.
    - Suariorum, Susceptorum vini, &c. tit. 17.
  - Collegiatorum, Decanorum, Chartopratorum, Nummulariorum, tit. 18.
  - Professorum, tit. 19.
  - Rerum publicarum, & ciuitatum. Hîc considerantur
    - Priuilegia
      - Vrbis Romæ, tit. 20.
      - Constantinopolis, tit. 21.
      - Beryti, tit. 22.
    - Annona
      - Romana, tit. 23.
      - Constantinopolitana, tit. 24. 25. 26.
        - A cuius subuectione non excusatur, qui nauem haber, tit. 27.
      - Alexandrina, tit. 28. 29.
    - Varia iura, tit. 30.
    - Rerum
      - Administratio, tit. 31.
      - Vendirio, tit. 32.
    - Debitores
      - In genere, tit. 33.
      - Ex causa magistratus, vel officij gesti, tit. 34. 35. 36.
    - Actores, tit. 37.
    - Sumptus monerum, tit. 38.
    - Solutiones & liberationes, tit. 39. 40.
    - Spectacula, tit. 41. 42. 43. 44. 45. 46.
    - Arma, tit. 47.
  - Agricolarum. Hic duplex est tractatus
    - 1. Generalis, tit. 48.
    - 2. Specialis.
      - De capitatione, tit. 49.
      - An coloni possint dominos accusare, tit. 50.
      - De colonis
        - Palæstinis, tit. 51.
        - Thracensibus, tit. 52.
        - Illyricianis, tit. 53.
      - Ne conferantur in potentium clientelam, tit. 54.
      - De obsequiis non præstandis, tit. 55.
  - Vicanorum, tit. 56. 57.
- Censibus
  - Generaliter.
  - Specialiter. Hîc cõsiderantur
    - Personæ, quæ cẽsum
      - Agunt, Actum emendant, t. 58.
    - Res, id est,
      - Agri, seu fundi
        - Deserti, vel steriles, tit. 59.
        - Limitrophi, limitanei, & castellani, tit. 60.
        - Publici, vel priuati, tit. 61.
        - Principis,
          - Patrimoniales, t. 62. Hîc agitur etiã de eorum
            - Mãcipiis & colonis
              - Simpliciter coosideratis, ti. 63.
              - Fugitiuis, tit. 64.
            - Collatione, t. 65.
          - Rei priuatæ, tit. 67.
          - Rei dominicæ, ti. 67.
            - Eorúmque agricolis, & mancipiis, tit. 68.
          - Tamiacis, tit. 69.
        - Templorum, Ciuitatis, tit. 70.
        - Cõmuniter de his, & de Augustę pdiis cõsiderãtur
          - Locatio, tit. 71. 72. 73.
          - Collatio, tit. 74. 75.
      - Greges, tit. 76.
      - Ædificia, tit. 77.
      - Arbores, tit. 78.

Tituli libri vndecimi Codicis breuiter explanati.

1 D*E lustralis auri collatione.* Collatio est contributio, qua prouinciales (inde vocati collatores) fisco aliquid certis temporibus pendunt. Aurum lustrale est pensio, quæ in auro singulis lustris à negotiatoribus fisco præstabatur.

2 *De nauicularis seu naucleris publicas species deportantibus.* Nauicularij seu naucleri sunt, qui nauiculariam exercent, ex suis vel per auersionem conductis nauibus quæstum facientes. Species publicæ sunt annonæ fisco inferendæ.

3 De *prædiis, & omnibus rebus nauiculariorum.*

4 De *nauibus non excusandis* à necessitate publicæ annonæ transuehendæ.

5 *Ne quid oneri publico imponatur.* Vetat priuatum onus imponi in naui, quæ publicam annonam vehit.

6 De *naufragiis.*

7 De *metallariis, & metallis, & procuratoribus metallorũ.* Metallum est, quod ex aliqua exhalatione intra terram gignitur: vt aurum, argentum, æs, stannum, plumbum, ferrum, marmor, sulphur. Metallarij sunt, qui metalla eruunt. Procuratores metallorum sunt curiales, qui metallicum canonem exigunt, l.4.

8 *De murilegulis, & gynæciariis, & procuratoribus gynæcij, & de monetariis, & de bastagariis.* Murileguli sunt, qui murices piscantur, & legunt. Murex est genus conchæ, cuius sanguine purpura tingitur. Gynæciarij in gynæcio vestibus texendis sunt addicti. Gynæcium est locus, in quo vestes imperiales & ministeriorum aulicorum texuntur. vnde quod dicitur gynæcium in l. 5. vocatur textrinum in l.6. Procuratores gynæcij præsunt gynæcio & gynæciariis. Monetarij sunt, qui monetis cudendis vacant. Bastagarij vecturæ rerum ad fiscum pertinentium suis iumentis inseruiunt.

9 *De vestibus holoberis,* (id est, holosericis) *& auratis, & de tinctione sacri muricis.* De murice dixi ad tit. præced. Sacrum dicitur, quod ad principem pertinet. purpuram sacro murice tingendi munus ad baphios spectat, aliis interdicitur.

10 De *fabricensibus.* Fabricenses sunt qui in publicis fabricis arma bellica faciunt.

11 De *veteris numismatis potestate.* Vetus vocat, quod veterum principum vultu signatum est. hoc reprobari non potest, dummodò sit iusti ponderis, & probæ speciei, l.1. quæ inspectio pertinet ad ponderatores, suprà de ponderatorib. & auri illat. l.2.

12 *Nulli licere in frenis, equestribus sellis, & in balteis margaritas, & smaragdos, & hyacinthos aptare, & de artificibus palatinis,* qui ornamenta imperialia faciunt, & soli possunt illa aptare, quæ aliis interdicta esse diximus.

13 *De classicis,* qui nauibus amnicis deputati sunt ad flumina purganda, & alias necessitates.

14 De *decurialibus vrbis Romæ,* qui senatus acta excipiebant, perscribebántque, & scrinia seruabant.

15 De *priuilegiis corporatorum vrbis Romæ,* qui in corporibus certis constituti, populi Romani vsibus & necessitatibus destinati sunt.

16 De *pistoribus,* qui conficiebant panes ciuiles distribuendos popularibus, l.1. & scholasticis, infr. de anno. ciuil. l.1.

17 *De suariis, & susceptoribus vini, & ceteris corporatis,* vt boariis, pecuariis, lignorum, frumenti, olei portitoribus, calcis coctoribus.

18 De *collegiatis, & chartopratis, & numulariis.* Collegiati ex diuersis corporibus eligebantur, vt incendia arcerent, & aliis reipublicæ necessitatibus subuenirent. Chartopratæ curam transmittendæ, ac distrahendæ chartæ publicæ gerebant. Numularij sunt mensarij argentariis similes, D. de eden. l. quædam. 9. §. nummularios. Vtrique mensam habent: sunt igitur trapezitæ, quos vulgò vocamus *banquiers,* vt mensam appellamus, *banc.* Fit hoc tit. mentio etiam decanorum, qui etiam copiatæ & lecticarij vocantur, & cadaueribus sepeliendis vacabant, sup. de sacrosanct. eccles. l.4. Nou.43. in princ. Nou.59. c.2.

19 De *studiis liberalibus vrbis Romæ, & Constantinopolitanæ.*

20 *De honoratorum vehiculis.* Carrhucarum vsum in vrbe concedit honoratis, id est, ciuili aut militari dignitate præditis.

21 *De priuilegiis vrbis Constantinopolitanæ.*

22 De *Metropoli Beryto.* Metropolis fuit Syriæ Phœnices. eam Iustinianus vocat legum altricem, in proœmio Digest. §. hæc autem. sed postea terræ hiatu fuit absorpta.

23 De *canone frumentario vrbis Romæ,* id est, frumento annuo, quod populo alendo conferebatur à prouincialibus.

24 De *frumento vrbis Constantinopolitanæ.* Vt populo Romano, ita & Constantinopolitano frumentum gratis præstabatur.

25 De *annonis ciuilibus,* quæ scholasticis viritim dantur, & vocantur etiam panes ciuiles.

26 De *mendicantibus validis.* Annonæ populares dantur mendicis inualidis, non his, qui, cùm validi sint, victum sibi quærere possunt.

27 De *nautis tiberinis,* id est, qui nauem habent in Tyberi, non excusandis à subuectione canonis frumentarij.

28 *De frumento Alexandrino,* quod ex tota Ægypto Alexandriam conuehitur, vt inde canon frumentarius partim Alexandrinis præbeatur, partim Romã & Constantinopolim deferatur.

29 De *Alexandriæ primatibus,* ne teneantur curam suscipere Nili, per quem frumentum Alexandriam aduehitur, repurgandi.

30 De *iure reipublicæ.*

31 *De administratione rerum publicarum,* id est, ad ciuitatem pertinentium.

32 De *vendendis rebus ciuitatis.*

33 De *debitoribus ciuitatum.*

34 *De periculo nominatorum.* Non solùm administratores tenentur reipublicæ, sed etiam qui eos nominarunt, in subsidium conueniuntur.

35 De *periculo eorum* (id est, fideiussorum) *qui promagistratibus interuenerunt.*

36 *Quo quisque ordine conueniatur* ob honorem aut munus ab aliquo gestum.

37 *Ne quis liber inuitus actum gerere cogatur.* Actus est Kalendarij & rationũ, seu pecuniarũ credendarũ & recipiendarũ munus. Actores sunt qui actum gerunt: tales seruos habent homines priuati, habent etiã respublicæ: sed homines liberi non coguntur inuiti hoc onus subire.

38 *Sumptus iniuncti muneris ad omnes collegas pertinere.* Sumptus ab vno muneris exequendi causa factos quilibet collega pro rata portione adgnoscere cogitur.

39 De *his, qui ex officio, quod administrauerunt, conueniuntur.* Administrator, qui pecuniam publicam fœnori dedit, si debitor non sit soluendo, in sortem tenetur reipublicæ, non in vsuras, l. vn.

40 De *solutionibus, & liberationibus debitorum ciuitatis.* Solutionem, & liberationem definiui D. lib 46. tit. 3.

41 De *spectaculis, & scenicis, & lenonib.* Spectacula sunt, quæ populo ad spectandum exhibẽtur. Scenici sunt, qui quæstus causa sui spectaculũ populo in scena præbent. Lenones sunt impudicitiæ ministri & quasi proxenetæ.

42 *De expensis publicorum ludorum.*

43 *De aquaductu* publico per aliquorum prædia trãseunte, qui ad ludorum impensas conferre,& onera extraordinaria subire non coguntur,l.1.

44 *De gladiatoribus penitus tollendis.* Gladiatores sunt, qui in arena inter se commissi, cruentum spectaculum populo exhibent.

45 *De venatione ferarum.* Similes gladiatoribus sunt, qui in arena cum bestiis pugnant. Dissimiles verò sunt, qui extra arenam feras venantur.

46 *De maiuma.* Maiuma (si Suidæ credimus) est festiuitas, quam Romani mense Maio celebrant, sese inuicem ad maritimam vrbem Ostiam inter aquas voluptatis causa inuadentes, vnde Maiumam à mense Maio dictam putat. Alij verò deducunt ab Hebraico verbo מים. *maym,* quod aquas significat.

47 *Vt armorum vsus inscio principe interdictus sit.*

48 *De agricolis censitis,& colonis.* Agricolæ sunt, qui agros colunt. Censiti sunt agricolæ censibus adscripti, qui respectu domini, cui capitationem, id est, capitis tributum pendunt, pro seruis: respectu aliorum pro liberis habentur. Coloni sunt agricolæ annuam pensionem seu reditum domino præstantes pro terra, quam colunt, nec deserere possunt, licèt homines liberi sint.

49 *De capitatione ciuium censibus eximenda,* & à rusticis præstanda. infr.ne rustica ad vlt.obseq l.1. Capitatio est tributum capitis, id est, personale, quod per capita præstatur: nam alia sunt tributa, quæ debentur ex fundis. Censum definiui D.lib.50.tit.15.

50 *In quibus causis coloni censiti dominos accusare possint.* Coloni censiti sunt, qui tit.48. vocati sunt simpliciter censiti. alij sunt coloni, homines liberi, qui simpliciter appellantur coloni, d.tit.48.& tribus titulis, qui hunc sequuntur.

51 *De colonis Palæstinis.*

52 *De colonis Thracensibus.*

53 *De colonis Illyricianis.*

54 *Vt nemo ad suum patrocinium suscipiat rusticanos, vel vicos eorum,* quò minùs tributa publica præstent.

55 *Ne rusticani ad vllum obsequium deuocentur.*

56 *Non licere habitatoribus Metrocomiæ, loca sua ad extraneum transferre,* id est, ad alium, quàm ad eiusdem metrocomiæ incolam. Metrocomia inter pagos est, quod metropolis inter ciuitates, id est, pagorum seu vicorum caput.

57 *Vt nullus ex vicaneis pro alienis vicanorum debitis teneatur.* Prohibet ἐνεχυρασμὸν, id est, pignerationem, quam vulgo vocant repræsalias. Lege, quæ scripsi in auth.habita. sup.ne filius pro patre.

58 *De censibus,* (D.libro 50.titulo 15.) *& censitoribus, & peræquatoribus, & inspectoribus.* Censores seu censitores dicuntur, qui censum agunt. Inspectores & peræquatores vocantur, qui censum ab alio actum, inspectis personis & prædiis examinant, &, si opus est, emendant, ad æqualitatem geometricam redigentes, ne tributis alij nimium, alij parum onerentur.

59 *De omni agro deserto, & quando steriles fertilibus imponuntur.* Deserta prædia sont, quæ à nemine coluntur, sterilia, quæ suapte natura sunt inepta ad fructus ferendos. hæc fertilibus imponuntur, id est, eis ad culturam adiunguntur.

60 *De fundis limitrophis, & terris & paludibus & pascuis limitaneis, vel castellorum.* Fundi limitrophi sunt, ex quibus annona ad imperij limites defertur, vt inde alãtur milites limitanei, qui limites (id est, fines) imperij aduersus Barbaros tuentur. Terræ, & paludes, & pascua limitanea sunt, quæ ad milites limitaneos pertinent. Castellorum autem sunt, quæ ad milites castellanos spectant. Milites castellani sunt, qui præsidij causa in locis munitis stationem habent. Nam castellum hîc accipitur pro castro & loco munito, non pro receptaculo aquæ publicæ, vt sup.de aqua quotid. & æsti. l. 1. §. hoc interdictum necessariò.

61 *De pascuis publicis, vel priuatis.*

62 *De fundis patrimonialibus,& saltuensibus, & emphyteuticis,& conductoribus eorum.* Fundi patrimoniales sunt, qui pertinent ad priuatum patrimonium principis. Ex his, quidam sunt saltuenses, pastioni destinati: alij emphyteutici, in emphyteusim dati.

63 *De mancipiis & colonis patrimonialium, & saltuensium,& emphyteuticorum fundorum.*

64 *De fugitiuis colonis patrimonialibus, saltuensibus, & emphyteuticis.*

65 *De collatione fundorum patrimonialium, & emphyteuticorum.*

66 *De fundis rei priuatæ, & de saltibus diuinæ domus.* Substantia priuata principis est multiplex, & accipit diuersa nomina,& à diuersis regitur. Alij sunt fundi patrimoniales, de quibus hactenus dictum est: alij rei priuatæ, vel diuinæ domus, de quibus hoc titulo agitur: alij rei dominicæ, de quibus dicetur tit.seq.

67 *De fundis,& saltibus rei dominicæ.*

68 *De agricolis, & mancipiis dominicis, vel fiscalibus, siue rei priuatæ.*

69 *De prædiis tamiacis, & de his qui ex colonis dominicis aliisque liberæ conditionis procreantur.* Prædia tamiaca dicuntur ἀπὸ τοῦ ταμιείου, quæ cellario deputantur. Hæc Cuiacius docet fuisse in prouinciis Cappadociæ. Eadem dici possunt dominica. nam & coloni tamiaci vocantur coloni dominici in hac rubr.& in l.1. Vbi datur regula, quòd is, qui alterutrum parentem tamiacum habet, tamiacus est.

70 *De diuersis prædiis vrbanis & rusticis templorum, & ciuitatum,& omni reditu ciuili,* id est, annuo reditu ad ciuitates pertinente.

71 *De locatione prædiorum ciuilium* (id est, quæ ad ciuitatem pertinent) *vel fiscalium, siue templorum, siue rei priuatæ, vel dominicæ.*

72 *De conductoribus & procuratoribus siue actoribus prædiorum fiscalium,& domus Augustæ.*

73 *Quibus ad conductionem prædiorum fiscalium accedere non licet.*

74 *De collatione fundorum fiscalium, vel rei priuatæ, vel dominicæ, vel ciuitatum, vel templorum.*

75 *De priuilegiis domus Augustæ, vel rei priuatæ, & quarum rerum excusationem habeant.*


76 *De grege dominico,* qui pertinet ad rem dominicam principis.

77 *De palatiis,& domibus dominicis.*

78 De *cupressis* ex Antiochiæ *luco Daphnesi* (nam Daphne erat suburbanus locus Antiochiæ, cupressis consitus, de quo vide Sozomenum lib.5.cap.19.) *vel Perseis* arboribus *per Ægyptum non excindendis.*

CODI

CODICIS LIBER XII.



Libro duodecimo Codicis agitur de

- Dignitatibus
  - In genere, tit. 1.
  - In specie. Nã dignitas diuiditur
    - Primò in
      - Senatoriã, titul. 2. qualis est
        - Illustratus: sunt autẽ illustres
          - Consules, Patricij, Præfecti prætorio, Præfectus vrbi, Magister militum, tit. 3. 4.
          - Præpositus sacri cubiculi, tit. 5.
          - Quæstor, Magister officiorum, Comes sacrarum largitionum, Comes rei priuatæ, tit. 6.
        - Spectabilitas: sunt autem spectabiles
          - Primicerij notariorum, tit. 7. 8.
          - Magistri scriniorum, tit. 9.
          - Comites
            - Consistoriani, tit. 10.
            - Scholarum, tit. 11.
            - Rei militaris, tit. 12.
            - Sacri palatij, tit. 13.
            - Qui prouincias regunt, tit. 14.
            - Professores Constantinopolitani, tit. 15.
        - Clarissimatus. Sunt autẽ clarissimi
          - Silentiarij, tit. 16.
          - Domestici, & protectores, tit. 17.
          - Præpositi laborum, tit. 18.
          - Palatini quidam. nam palatinorum appellatione continentur
            - Agentes seu militantes in
              - Literis, tit. 19.
              - Rebus, tit. 20. 21. 22.
            - Apparitores comitum
              - Largitionum, Rerum priuatarum, tit. 23.
            - Stratores, tit. 24.
            - Ministeriani, quorũ considerantur
              - Species, nempe
                - Castrensiani, tit. 25.
                - Decani, tit. 26.
                - Mensores, tit. 27.
              - Priuilegia, tit. 28. 29.
              - Peculium, tit. 30.
      - Equestrem, tit. 31.
      - Perfectissimatum, tit. 32.
    - Secundò in
      - Ciuilem, tit. 33. 34.
      - Militarẽ. Hic agitur de
        - Electione militum, tit. 33. 34.
        - Disciplina militari, tit. 35.
        - Peculio castrensi, tit. 36.
        - Annona militari, tit. 37. 38.
        - Veste, tit. 39.
        - Hospitiis, tit. 40.
        - Salgamo, tit. 41.
        - Commeatu, tit. 42.
        - Tironibus, tit. 43.
        - Litorum & itinerum custodia, tit. 44.
        - Desertoribus, & eorum occultatoribus, tit. 45.
        - Veteranis, tit. 46.
        - Defunctorum filiis, tit. 47.
      - Ciuilibus, & militaribus dignitatib. communia sunt
        - 1. Oblatio votorum, tit. 48.
        - 2. Varia officialium genera, titul. 49.
        - 3. Cursus publicus, tit. 50. 51.
- Apparitoribus
  - Præfectorum prætorio, tit. 52.
  - Perfecti vrbi, tit. 53.
  - Magistri militum, tit. 54.
  - Proconsulis, & legati, tit. 55.
  - Comitis Orientis, tit. 56.
  - Præsidum, & rectorum prouinciarum, tit. 57.
  - Præfecti annonæ, tit. 58.
  - Quibus quædam communia sunt, titul. 59. vt
    - Probatoriæ, d. tit. 59.
    - Munus exigendi, & exequendi, tit. 60.
    - Emolumenta, tit. 61. vt
      - Commoda primipili, tit. 62.
      - Præmia
        - Nunciationum, Insinuationum, tit. 63.

Tituli libri duodecimi Codicis adiunctis notis.

1 *De dignitatibus.* Dignitas est eminentia in argumentum virtutis, beneficio legis aut principis, alicui tributa.

2 *De praetoribus, & honore praeturæ, & gleba, & folli, & septem solidorum functione sublata.* Prætor est iuris disceptator, qui priuata iudicat, iudicariue iubet, & iuris ciuilis custos est. Cic. 3. de legibus. Quod ad honorem attinet, prætor est vir clarissimus: quæ dignitas senatoria est. Gleba est glebalis functio, id est, aliquot follium præstatio, quos prætores prædia possidentes fisco pendebant. Follis erat aurei nummi genus, qui fundis carebant, duos folles: qui verò fundos possidebant, plures folles præstabant. tenuiores tantùm septem solidos soluebant: sed hæc onera sunt abolita, l.2. De officio prætorum dictum est lib.1.tit.39.& D. lib.1.tit.14.

3 *De consulibus, & non spargendis ab his pecuniis, & de præfectis & magistris militum, & patriciis.* De officio cōsulis dictum est D.lib.1. tit.10. Præfectos intellige prætorio, vel vrbi. De officio præfectorum prætorio dictū est supr.lib.1.tit.26.27. & D.lib.1.tit.11.& de eorū sententiis sup.lib.7.tit.42. de eorum apparitoribus dicetur Infr.tit.52. De officio præfecti vrbi dictum est D. libro 1.tit.12.& de eius apparitoribus dicetur infr. tit.53. De officio magistri militum dictum fuit suprà lib.1. tit.29. de eius apparitoribus dicetur infrà tit.54. Patricij hoc loco vocantur, qui erant quasi patres principis, l.vlt.& Inst.quib.mod.ius potest.solu. §. filiusfamilias.

4 *De præfectis prætorio, siue vrbi, & magistris militum in dignitatibus exæquandis.*

5 *De præpositis sacri cubiculi, & de omnibus cubiculariis, & priuilegiis eorum.* Duplex est cubiculum, alterum principis, alterum Augustæ, l.vlt.

6 *De quæstoribus sacri palatij, magistris officiorum, & comitibus sacrarum largitionum, & rei priuatæ.* De officio quæstoris dictum fuit lib.1.tit.30. & D.lib.1.tit.13. De officio magistri officiorum suprà lib.1.tit.31. De officio comitis sacrarum largitionum libro 1.tit.32. De officio comitis rei priuatæ lib.1.tit.33.

7 *De primicerio, & secundicerio* notariorum, & *ceteris notariis.* Primicerius à Suida definitur cuiusque ordinis primus. Sic autem dicitur (vt Alciato videtur) quasi scriptus in prima cera: quia veteres in tabulis ceratis scribebant. Cuiacius verò illud *cerius* putat nihil consignificare, sed esse meram productionem vocabuli, vt *timus* in *finitimus, legitimus.* Primicerius notariorum idē est, qui protonotarius. Secundicerius est, qui secundum locum obtinet: tertiocerius, qui tertium. Notarij sunt scribæ à secretis, in fr. qui mil. non poss. l.5.

8 *Vt dignitatum ordo seruetur.* Hunc quoque titulum pertinere ad primicerium notariorum ostendit Notitia Romani imperij, dum eius dispositioni subiicit omnem dignitatum & administrationum notitiam.

9 *De magistris scriniorum.* Scrinia hoc loco sunt arcæ, in quibus scripturæ & literaria monumenta adseruantur. Magistri scriniorum sunt, qui scriniis præsunt. Sunt autem scrinia quatuor: memoriæ, epistolarū, libellorum, & dispositionum. Alia etiam sunt scrinia sacrarum largitionum, vel rerum priuatarum, infrà de palati. sacrar. largit. l.5.& 7. de quibus hîc non agitur. In scrinio memoriæ adseruabantur adnotationes principis. In scrinio epistolarum recondebantur ciuitatum postulata & legationes. In scrinio libellorum seruabantur libelli supplices. in dispositionum scrinio cognitiones & decreta principis condebantur.

10 *De comitibus consistorianis.* Consistorium est consessus, in quo princeps de quibusdam causis cognoscit. Consistoriani sunt ministri stantes in consistorio. Comites consistoriani sunt consistoriani comitiua primi ordinis dignitate donati.

11 *De comitibus, & tribunis scholarum.* id est, de tribunis scholarum, qui scholis præpositi sunt, comitiua primi ordinis decoratis. Schola est corpus officialium aliquo munere ad principis ministerium pertinente fungentium. Eas fuisse vndecim testatur Imperator in l.vlt. C.de loca. etsi tantùm decem in notitia Romani imperij numerantur. Cuiacius hîc intelligit scholas agentiū in rebus, de quibus dicetur infrà tit.20.

12 *De comitibus rei militaris,* id est, de præpositis militum, comitiua primi ordinis honoratis. Notitia imperij duos ponit Comites in Oriente viros spectabiles: alterum per Ægyptum, alterum per Isauriam.

13 *De comitibus & archiatris sacri palatij,* id est, de archiatris, qui comitiuam primi ordinis meruerunt. Sciēdum est archiatros interdum comitiuam secundi, vel tertij ordinis consecutos esse, supr. de profess. & medic. l.vlt. Nam tres fuisse comitum ordines, primum, secundum, tertium, testatur Eusebius in vita Constantini.

14 *De comitibus, qui prouincias regunt.*

15 *De professoribus, qui in vrbe Constantinopolitana docentes* per viginti annos, hoc tempore elapso, *ex lege meruerunt comitiuam* primi ordinis.

16 *De silentiariis, & decurionibus eorum.* Silentiarij sunt, qui in principis consistorio vel palatio excubias agunt. His proximè præsunt decuriones, supra quos est magister officiorum, qui omnibus scholis & officialibus præest.

17 *De domesticis, & protectoribus.* Domestici protectores, vel præcise domestici sunt, qui domi & in pace latera principis protegunt. Protectores, qui in bello hoc munus subeunt. Horum decem primi, qui primicerium proximè sequuntur, clarissimi sunt, l.2.

18 *De præpositis laborum:* id est (vt Cuiacius exponit) præpositis vexillo, quod *laborum* vocabatur: quoniam vt quæque pars exercitus in acie laborabat: in eam opis ferendæ gratia inferebatur. huic rei (si Eusebio credimus) à Constantino præpositi fuerūt quinquaginta milites ex domesticorum scholis, & erant clarissimi, C. Th.h.t.l.vn.

19 *De proximis sacrorum scriniorum, ceterisq́ue, qui in sacris scriniis militant.* De scriniis, & eorum magistris dixi suprà tit.9. Qui magistros proximè sequuntur, proximi vocantur: quorum nonnulli sunt clarissimi, l.5. alij post confecta legitima viginti annorum stipendia clarissimatum consequuntur, l.3.

20 *De agentibus in rebus,* id est, in actu reipublicæ, vnde à superioribus, qui in seriniis & literis militant, distinguuntur.

21 *De principibus agentium in rebus.*

22 *De curiosis,* siue curagendariis (nam vtroque nomine appellantur C. Th.h.t.l.vn.) qui curam cursus publici gerunt. De cursu publico dicetur infrà tit.50.

23 *De palatinis sacrarum largitionum & rerum priuatarum,* id est, de apparitoribus comitum sacrarum largitionum, & comitum rerum priuatarum: de quorum comitum officiis dictum fuit lib.1.tit.32.33.

24 *De stratoribus:* qui equum freno tenent, & principi vel magistratui equum conscendenti opem ferunt. Vide hîc Cuiacium.

25 *De castrensianis, & ministerianis.* Castrensiani seu ministeriani sunt ministri aulici: vt pincernæ, pistores, & alij sacro ministerio deputati, l.4.

26 *De decanis.* Hi à Suetonio in Domitiano, cap.17. vocantur decuriones cubiculariorum. ex ministerianis sunt, quandoquidem famulationibus principis adhærere dicuntur, l.2. Differunt igitur à decanis, qui corpora humandorum cadauerum gerebant, vt exposui suprà lib. 11.

lib. 11.tit.18. & à decurionibus silentiariorum, de quibus suprà tit. 16.

27 *De mensoribus*. Hi quoque ex ministerianis fuerũt, & dandi atque accipiendi mensuras habebant, ac principi hospitia præparabant. Vide Cuiac.hîc.

28 *De priuilegiis eorum, qui in sacro palatio militant.*

29 *De priuilegiis scholarum*. Vide suprà tit. 11.

30 De *castrensi omnium* filiorumfamilias *palatinorum peculio*, quod habent ex speciali priuilegio sibi à principe indulto.

31 De *equestri dignitate.*

32 De *perfectissimatus dignitate.*

33 *Qui militare possunt, vel non possunt: & de seruis ad militiam vel dignitatem adspirantibus: & vt nemo vel duplici militia, vel dignitate & militia simul vtatur.*

34 *Negotiatores ne militent.*

35 *De re militari*. D.lib.49.tit.16.

36 De *castrensi peculio militum, & præfectianorum*. Præfectiani sunt apparitores præfecti prætorio, infr.de appar.præf.prætor.l.2.& 3.

37 De *erogatione militaris annonæ.*

38 De *excoctione, & translatione militarium annonarum.*

39 De *militari veste.*

40 De *metatis, & epidemeticis*. Metata sunt hospitia, quæ magistratibus, aut militibus, aliisve à prouincialibus præbentur. ad quæ præparanda qui procurrunt, mensores vocantur, de quibus suprà tit.27. Epidemetica sunt adærationes metatorum, id est, pretia, quæ exiguntur vice hospitij præbendi: sed hæc prohibetur, l.vlt.

41 *De salgamo hospitibus* à prouincialibus *non præbendo*. Salgama sunt, quæ condici & adseruari solent, vt carnes, & herbæ. Sed salgami prætextu milites à prouincialibus extorquebant culcitras, ligna, oleum: quod constitutio huius tituli fieri prohibet.

42 De *commeatu*. Commeatus est abeundi licentia militi cōcessa hac lege, vt intra certum tempus reuertatur.

43 De *tyronibus*. Tyro est iunior & gregarius miles: ergo infimus inter milites.

44 *De literum & itinerum custodia*, quæ militibus stationariis incumbit.

45 De *desertoribus, & occultatoribus eorum*. Desertores sunt, qui militiam nō impetrata venia deserunt. Hi puniuntur, & eorum occultatores: præmio autem afficiuntur, qui eos producunt, l.1.

46 De *veteranis*. D.lib.49.tit.vlt.

47 De *filiis officialium, & militarium, qui in bello moriuntur.*

48 De *oblatione votorum*, id est, de muneribus, quæ ineunte anno offeruntur principi, vt vota pro eius salute, D.de verb.signif.l.si caluitur.233.§.1.

49 De *numerariis, actuariis, & chartulariis, & adiutoribus, scriniariis & exceptoribus sedis excelsæ* præfecti prætorio, *cæterorúmque iudicum tam ciuilium, quàm militariũ*. Numerarij qui sint, ex collatione cum tabulariis facilè intelligetur. Similitudo est, I. Quia vt tabularij chartas publicas tractant, sup.de tabul.l. pe. ita etiam numerarij, C.Th.de numer.l.6. II. Quia vt tabularij rationes supputant, suprà de iu.fi l.2.& D.si mens.fals. mod. dix. l.vlt. ita etiam numerarij. Nouel.Valentiniani de offic. & numer.præf. Augustin.2.de libero arbitrio: quod & ipsum nomen indicat. Sed differunt, I. Quia tabularij ciuitatibus & curiis, numerarij magistratuum officio inseruiunt. II. Quia tabularij sunt conditionales, id est, ita tabulariæ conditioni obnoxij, vt eam relinquere, & ad aliam adspirare non possint. numerarij verò non sunt conditionales, exceptis numerariis præsidum & consularium, quos propterea iubent Imperatores in posterum vocari tabularios, l.2. Vide Cuiac. ad l. duos.13. suprà de susceptorib. Actuarij sunt, qui acta perscribunt, Gallicè *greffiers*. Chartularij sunt, qui de cohortalibus officiis largitionales titulos retractant, sup.de cano.largit.tit.l.3. id est, chartas & codices retractant eorũ, quæ priuato principis ærario inferuntur, & magna ex parte in largitiones insumuntur. Gallicè (vt opinor) vocãtur *contrerolleurs*. Hi similes sunt adiutores, l.nulli.10. Scriniarij sacris scriniis inseruiebant, & suberant magistris scriniorum, de quibus dixi suprà tit.9.

50 *De cursu publico, angariis, & parangariis*. Cursus publicus est, quo equi dispositi (Gallicè *postes*) currunt. Angaria est onus transeundi per viam cursui publico destinatam. Parangaria est onus transeundi per aliam viam. Veredi sunt equi cursuales, id est, quibus vtuntur in cursu publico. Parauerediti sunt equi, quibus per aliam viam vtuntur, quorum vsus solis præfectis prætorio conceditur, l.2.

51 *De tractoriis & statiuis*. Tractoriæ sunt diplomata, quæ dantur missis, vel euocatis à principe cursu publico vtentibus. Statiua sunt diuersoria, in quibus hi aluntur sumptu publico.

52 *De apparitoribus præfectorum prætorio, & priuilegiis eorum*. Apparitores sunt magistratuum ministri, qui eorum iussa exequuntur. De præfecto prætorio lege notata suprà tit.3.

53 De *apparitoribus præfecti vrbis*. Vide notata d.t.3.

54 De *apparitoribus magistrorum militum, & eorum priuilegiis*. Vide notata d.tit.3.

55 *De apparitoribus proconsulis & legati*. De officio proconsulis & legati, vide suprà lib. 1.tit.35. & D. lib.1. tit.16.

56 De *apparitoribus comitis Orientis*. De huius comitis officio vide suprà lib. 1. tit.36.

57 De *cohortalibus, principibus, cornicul.riis, ac primipilaribus*. Cohortales sunt apparitores præsidum & rectorum prouinciarum. Principes sunt præcipui inter cohortales. Cornicularij cornibus secretarij præerant, teste Cassiodoro, lib.11. cap. 36. Primipilares primipilo, hoc est, annonæ militari seruiebant, C.Th.h.t.l 6.

58 *De apparitoribus præfecti annonæ*. De officio præfecti annonæ, vide suprà lib.1.tit.42. & D.lib.1. tit.15.

59 De *diuersis officiis, & apparitoribus iudicum, & probatoriis eorum*. Probatoriæ sunt literæ seu diplomata officij apparitoris, quæ emitti debent ex scrinio epistolarum. l.6.& subscribi à principe, l.probatorias.9.

60 De *executoribus & exactoribus*, qui in prouincias mittuntur exequendi, vel exigendi causa.

61 De *lucris aduocatorum, & concussionibus officiorum siue apparitorum*. Aduocatum definiui lib.2.tit.7. Concussionem D.lib.47.tit.13. Aduocatorum hîc obiter mentio fit, cùm præcipuè agatur de apparitoribus.

62 De *primipilo*. Primipilus est cura annonæ militibus distribuendæ.

63 *Publicæ lætitiæ, vel consulum nunciatores, vel insinuatores constitutionum & aliarum sacrarum vel iudicialium literarum, ex descriptione, vel ab inuitis ne quid accipiant immodicum*. Nunciantibus publicam lætitiam, vel creationem consulum, item insinuantes sacras constitutiones vel alias principis aut iudicum literas, modica præmia consequi debent. Sed neque in præmiorum descriptionem plus æquo conferri debet: nec ei, qui nunciat, siue insinuat, plus ab inuitis exigere licet.

DECRETVM.a

Decreti partes sunt tres:

- Prima continet distinctiones 101.
- Secunda cōtinet causas 36. quæ habent adiunctas varias quæstiones:
  - Prima 7.
  - Secunda 8.
  - Tertia 11.
  - Quarta 6.
  - Quinta 6.
  - Sexta 5.
  - Septima 2.
  - Octaua 5.
  - Nona 3.
  - Decima 3.
  - Vndecima 3.
  - Duodecima 5.
  - Decima tertia 2.
  - Decima quarta 6.
  - Decima quinta 8.
  - Decima sexta 7.
  - Decima septima 4.
  - Decima octaua 2.
  - Decima nona 3.
  - Vigesima 4.
  - Vigesima prima 5.
  - Vigesima secunda 5.
  - Vigesima tertia 8.
  - Vigesima quarta 3.
  - Vigesima quinta 7.
  - Vigesima sexta 7.
  - Vigesima septima 2.
  - Vigesima octaua 3.
  - Vigesima nona 2.
  - Trigesima 5.
  - Trigesima prima 3.
  - Trigesima secunda 8.
  - Trigesima tertia b 5.
  - Trigesima quarta 2.
  - Trigesima quinta 10.
  - Trigesima sexta 2.
- Tertia c continet distinctiones 5.

ADNOTATIONES.

a al. *Concordia discordantium canonum*, id est, conciliatio τῶν ἐναντιοφανῶν, quæ prima facie videntur inter se contraria.

b Ex his quinque quæstionibus tertia, quæ est de pœnitentia, subdiuiditur in quinque distinctiones, quæ suo loco proponentur.

c De consecratione.

DECRE

DECRETI PARS I.

In prima decreti parte agitur

- Primò de iure, id est, de
  - Iure diuino seu naturali, & humano seu positiuo, seu constitutionibus, dist. 1.
  - Constitutionum
    - Speciebus. Aliæ sunt
      - Generales
        - Seculares, dist. 2.
        - Ecclesiasticæ,
      - Speciales, id est, priuilegia, dist. 3.
    - Virtutibus siue officiis, dist. 3.
    - Causis, dist. 4.
    - Qualitate, dist. 4.
  - Differentia iuris naturalis, & iuris positiui sûpta ab
    - Origine: quoniam alia est origo iuris
      - Naturalis, distinct. 5. Hîc subiicitur digressio de pollutione nocturna, dist. 6.
      - Positiui, dist. 7.
    - Auctoritate. hîc dâtur plures regulæ.
      - I. Consuetudo iuri naturali cedit, dist. 8.
      - II. Constitutio seu lex iuri naturali cedit, dist. 9.
      - III. Constitutio secularis ecclesiasticæ cedit, dist. 10.
      - IV. Consuetudo cedit legi scriptæ, dist. 11.
      - V. Consuetudo legi non contraria, seruanda est, dist. 12.
      - VI. Dispensatio contra ius naturale non admittitur.
        - Nec in eadem persona, dist. 13.
        - Nec in diuersis personis, dist. 14.
      - VII. Dispensatio contra consuetudinē vel legem admittitur, dist. 14.
  - Origine & auctoritate constitutionũ ecclesiasticarũ, dist. 15. vt
    - Canonum Apostolicorum, dist. 16.
    - Conciliorum
      - Vniuersalium, dist. 16. Quorũ cõuocandorum auctoritas est penes sedem Apostolicã, dist. 17.
      - Episcopalium, dist. 18.
    - Decretalium epistolarum, dist. 19.
    - Interpretationis sacrarum scripturarum, dist. 20.
- Secũdò de clericis, qui sũt ministri ecclesiastici. Hîc multa & varia declarantur, nempe
  - Origo, institutio, & distinctio clericorum, dist. 21.
  - Ordo patriarcharum, dist. 22.
  - Qualiter quisque ordinetur, dist. 23.
  - Qualiter ordinandus examinetur, dist. 24.
  - Officium clericorum, dist. 25.
  - Requisita, vt ordinatio valeat. Hîc spectatur
    - Qualis debet esse, qui ordinatur. A
    - Ex quibus ordinibus, in quos gradus sunt promouendi, dist. 60. & an laici possint ordinari, dist. 61.
    - A quibus sint eligendi & consecrandi
      - Clerici in genere. Hîc dantur duæ regulæ:
        - 1. Eliguntur à clericis, dist. 62.
        - 2. Non eliguntur à laicis, dist. 63.
      - Episcopi. Hi requiritur consensus cõprouincialium, dist. 64. vel maioris partis, dist. 65.
      - Archiepiscopi, dist. 66.
      - Presbyteri, dist. 67.
        - Communiter de his quæritur, an semel ordinati possint iterũ ordinari, d. 68.
      - Clerici minorum ordinum, dist. 69.
    - Titulus, sine quo nemo potest ordinari, dist. 70.
    - Consensus episcopi, cui subiectus est clericus ab alio episcopo ordinandus. Hic consensus declaratur literis dimissoriis, de quib. quæritur,
      - An sint necessariæ, dist. 71.
      - An sint dandæ, dist. 72.
      - Qua forma sint dandæ, dist. 73.
    - Consensus ordinati, dist. 74.
    - Tempus ordinum conferendorum, dist. 75. & ieiuniorum, dist. 76.
    - Interualla ordinationum, dist. 77.
    - Ætas ordinandi presbyteri, dist. 78.
  - Electio summi pontificis, dist. 79.
  - Quibus locis prælati ecclesiæ præficiuntur, dist. 80.
  - Officium episcopi, legati, & presbyteri. B
  - De laicis,
    - Eorum statuta de causis ecclesiasticis non valere, dist. 96. nisi à sede Apostolica confirmentur, dist. 97.
    - An peregrini sint ordinandi, dist. 98.
  - Distinctio patriarcharum seu primatum, & archiepiscoporum seu metropolitanorum, dist. 99.
  - De pallij vsu, & auctoritate, dist. 100.
  - Ne plures metropolitani sint in vna prouincia, dist. 101.

A Ordi

- A Ordinandus debet esse secũdùm præcepta
  - Apostoli 1. Timot. 3. & Tit. 1.
    - Vnius vxoris vir. Hîc multa tradũtur,
      - 1. Sit talis
        - Post baptismum, dist. 26.
        - Ante ordinationem, dist. 27.
      - 2. Castitatem voueat, dist. 28.
      - 3. Obiectionis
        - Soluendæ fundamentum, quod plerumque capitula ex causa, loco, tempore, persona considerantur, dist. 29.
        - Solutio ex
          - Causa, dist. 30.
          - Tempore, dist. 31.
      - 4. Continentiam seruet, dist. 32.
      - 5. Non habuerit vxorem & concubinam, dist. 33.
      - 6. Mulierum nimiam familiaritatem, & (quod obiter additur) venationem vitet, dist. 34.
    - Sobrius, dist. 35.
    - Prudens. Hîc consideratur peritia
      - Literarum, dist. 36.
        - Secularium, dist. 37.
        - Sacrarum, dist. 38.
      - Negotiorum, dist. 39.
    - Ornatus
      - Motibus, dist. 40.
      - Habitu, & incessu, dist. 41.
    - Hospitalis, dist. 42.
    - Pudicus, Doctor, } dist. 43.
    - Non vinolentus, dist. 44.
    - Non percussor, dist. 45.
    - Non litigiosus, dist. 46.
    - Non cupidus, Domui suæ bene præpositus, } dist. 47.
    - Non neophytus, dist. 48.
    - In summa immunis à vitiis, dist. 49. & quid si pœnitentiam egerit, 50.
  - Ecclesię, non fit
    - Curialis, Militans, In foro decertans, } dist. 51. 53.
    - Per saltum promotus, dist. 52.
    - Seruus, dist. 54.
    - Corpore vitiatus, dist. 55.
    - Presbyteri filius incontinens, dist. 56.
    - Baptizatus in ægritudine, dist. 57.
    - Monachus consensu sui abbatis destitutus, dist. 58.
    - Rudis, & temporis approbationem non habens, dist. 59.

- B Officium est
  - Episcopi
    - Pauperibus prospicere, dist. 82.
    - Delinquentibus non consentire, dist. 83.
    - Solicitum & vigilantem esse circa defensionem pauperum, & releuationem oppressorum, & tuitionem monasteriorum, dist. 84.
    - Hospitalem esse, dist. 85.
    - Docere, dist. 86.
    - Viduas, & orphanos protegere, dist. 87.
    - Secularia negotia non curare, dist. 88.
    - Domum suam, & ecclesiam bene gubernare, Nemini duo officia ecclesiastica committere, Laico res ecclesiasticas gubernandas non committere, } dist. 89.
    - Litigiosum non esse, dist. 90.
    - Ita, si opus sit, laborare, vt cultum ecclesiasticum non deserat, dist. 91.
    - Corde magis, quàm voce Deo canere, dist. 92.
    - Obedientiam
      - Superioribus præbere, } dist. 93.
      - Ab inferioribus accipere, } dist. 93.
  - Legati apostolici, dist. 94.
  - Presbyteri, dist. 95.

DECRE

Secunda pars Decreti tractat de personis: & complectitur

Episcopū,

Ordinatum per simoniam paternam ignoranter, qui alios simoniacè, alios gratis ordinauit, condemnatum à metropolitano, causa 1.

Notorio crimine accusatum, & tribus ex quinque testibus in testificatione deficientibus spoliatum, c. 2.

Spoliatum, restitutum, & ab accusatoribus ac testibus patum idoneis insimulatum, c. 3.

Quem excommunicatus accusauit, impubere teste producto, deinde ab accusatione deiectus, impuberi illi accusatoris, sibi verò testis personam tribuit, sua die non comparentem, c. 4.

Occulta scriptura diffamatum, deinde à scripturæ auctore accusatum, qui per procuratorem se præsentauit, & absque synodali audientia damnatus appellauit, ac de inimicitia accusatoris in probatione deficientis conqueritur, c. 5.

Ab infamibus accusatum, qui alterius prouinciæ archiepiscopi iudicium expetit, accusatore in probatione deficiente, c. 6.

Qui propter morbum impetrauit à Papa, vt alius in suum locum substitueretur, & sanitate recuperata cathedram repetit, c. 7.

Primùm decessoris sui testamento, postea patrocinio amicorum electum, qui pro indemnitate ecclesiæ canonicis iuramentum præbuit, & ob eam causam accusatus simoniæ, lite pendente à clericis suis derelictus, ad ecclesiam suam sine literis apostolicis rediit, c. 8.

Metropolitanum, excommunicatum, qui clericos alterius metropolitani ordinauit, & capellanum sui suffraganei deposuit, aliúmque eius loco ordinauit, c. 9.

Qui basilicam à laico factam, cum omni sua dote cuicit, ciúsque res vsurpare contendit, c. 10.

Clericos

Alium clericum ad laicum forum trahentes ac spoliantes, ideóq; suspensos, & ob contumaciam damnatos ab episcopo sine spe restitutionis, c. 11.

De suis, & de ecclesiæ rebus testatos, c. 12.

Diuersarum diœcesium inter se contendentes de decimis, c. 13.

De prædiis quæstionem mouentes, ac testes ex suo collegio producentes, negotiatoribúsque pecuniam tradentes, vt ex eorum mercibus emolumenta capiant, c. 14.

Qui ante sacerdotium crimen carnis cômisisse dicuntur, & in sacerdotio aliquem per furorem interfecerunt, deinde recuperata sanitate accusantur ab ea, cum qua lapsi dicuntur, & episcopo causam die dominica examinante, crimen inficiati, clericis pro patrocinio pecuniam dederunt, & confessione per quæstionem extorta à solo episcopo damnati sunt, c. 15.

Monasteria. Hic agitur de

Contentione inter clericos ecclesiæ baptismalis, & abbatem qui in parœciali ecclesia monachum diuinis præfecit, cámque per 40. annos possedit, c. 16.

Presbytero, qui morbo laborans, monachismum vouit, & beneficio ecclesiæq; in manu aduocati renunciauit, postea sanitate recuperata monachatum respuit, & ecclesiam ac beneficium reposcit, c. 17.

Abbate consecrato in episcopum, qui prius monasterio multa contulit, postea in episcopatu plura acquisiuit, & inuitis fratribus vult abbatem in monasterio ordinare, c. 18.

Duobus clericis ad monasterium transeuntibus, quorum alter ecclesiam inuito episcopo, alter canoniam reliquit, c. 19.

Duobus pueris, altero inuito, altero volente, traditis monasterio, quorum ille ad secularem militiam rediit, hic districtius monasterium petit, c. 20.

Archipresbyterum alterius ecclesiæ præposituram, & secularium negotiorum procurationem suscipientem, & fulgidis vestibus sese exornantem, ab episcopo correptum, & officio suo relicto confugientem ad iudicem secularem, c. 21.

Periurium, c. 22.

Hæresim. Hic agitur de

Hæreticis vi & bello ad vnitatem ecclesiæ redire coactis, c. 23.

Episcopo in hæresim lapso, qui sacerdotes deposuit, & excommunicauit, post mortem suam damnato hæreseos cum sequacibus & tota familia, c. 24.

Priuilegia super decimis exigendis, vel non soluendis, c. 25.

Sortilegium, c. 26.

Matrimonium. A

A Ad matrimonium pertinent sequẽtes causæ, circa quas agitur de impedimẽtis matrimonij: vt

De voto castitatis, cui obnoxius aliquam desponsauit, quæ postea alteri nupsit, c.27.
De infidelis mulieris diuortio à viro fidem amplexo, & huius secundis nuptiis, qui postea secunda vxore mortua clericus, deinde episcopus electus est, c.28.
De muliere, quæ alicuius proci petitioni adsensa, à seruo nomen illius ementito decepta, & in vxorem ducta est, c.29.
De spirituali, & legali cognatione, c.30.
Si quis eam, quam adulterio polluit, vxorem ducat, & filiam ex ea susceptam alicui se nuptui daturum iuret, deinde, quòd ea nubere illi nolit, alij elocet, c.31.
De eo, qui meretricem, eius auo, sine consensu patris, nuptui dante, vxorem duxit; deinde ex ancilla filios suscepit; postea damnatus adulterij curauit vxorem suam vi opprimi, vt posset eam dimittere; quo facto, infidelem sibi copulauit hoc pacto, vt ad Christianam religionem transiret, c.32.
Si vxor maleficiati ab alio corrupta, deinde à viro separata corruptori nubat, eidem corde tantùm Deo confessa: postea vir prior sanitate recuperata eam recipiat, & sine eius consensu castitatem voueat, c.33.
De muliere, quæ falsò putans virum in captiuitate defunctum, alij nupsit, c.34.
De eo, qui prima vxore mortua, alteram duxit, ignorans eam defunctæ quarto, sibi sexto cognationis gradu iunctam esse, c.35.
De puella, quæ ignorante patre ad conuiuium illecta & stuprata, contra voluntatem parentum stupratori nupsit, c.36.

SINGVLARVM CAVSARVM QVÆSTIONES,
ADIVNCTIS BREVIBVS RESPONSIONIBVS.

I. De simonia, & eo qui hæresi renunciauit.

Causæ primæ quæst.7.

1. An sit peccatum emere spiritualia. Ita.
2. An pro ingressu ecclesiæ sit exigenda pecunia, vel, si exacta fuerit, an sit persoluenda. Sponte offerri, non exigi potest.
3. An ingressum, vel præbendas ecclesiæ emere sit simoniacum. Est.
4. An filius sit reus simoniæ, quam pater admisit. Non est.
5. An filio liceat esse in ecclesia, vel fungi ea ordinatione, quam paterna pecunia est assecutus. Non licet.
6. An à simoniaco ignoranter ordinati, abiiciendi sint. Distinguitur.
7. An renuncians suæ hæresi, sit recipiendus in episcopali dignitate. Distinguitur.

II. De ordine iudiciario.

Causæ secundæ quæst.8.

1. An in manifestis iudiciarius ordo sit requirendus. Distinguitur.
2. An spoliatus sit ab aliquo iudicandus. Non, antequam restituatur.
3. Qua pœna sint feriendi, qui in accusatione, vel testificatione defecerint. Accusatores pœna talionis, & infamia plectuntur, nisi abolitionem impetrauerint. De testibus nihil respõdetur.
4. An episcopus duorum testimonio sit condemnandus. Ad hanc quæstionem post sequentem respondetur per distinctionem.
5. An deficientibus accusatoribus reus sit cogendus ad purgationem. Ad hanc quæstionem post tertiam ante quartam, respondetur per distinctionem.
6. An causa vitiata subleuari possit, & quo remedio. Subleuari potest per appellationem.
7. An laici, monachi, vel inferiorum ordinum clerici possint maiores accusare. Possunt, dummodò sint integræ existimationis.
8. Quomodo fieri debeat accusatio, vtrùm in scriptis, an sine scriptis. Fieri debet in scriptis, & cum inscriptione accusatoris.

III. De restitutione, induciis, accusatoribus, testibus, & iudice.

Causæ tertiæ quæ.11.

1. An restitutio danda sit quibuslibet spoliatis. Danda est.
2. De induciis spoliato concedendis post restitutionem, antequã ad iudiciũ vocetur. Disting.
3. De induciis eidem concedendis, postquam ad iudicium vocatus est. Distinguitur.
4. An infames, & non legitimè coniuncti ad accusandum admittantur. Distinguitur.
5. An testes de domo accusatorũ sint producendi, vel inimicorũ vox sit audienda. Nullo modo.
6. An reus sit producendus extra prouinciam. Minimè.
7. An iudex esse possit is, quem eum reo par aut maior macula inficit. Non potest.
8. An ab vno tantùm episcopus sit audiendus, vel iudicandus. Nequaquam.
9. An accusatores, vel testes in absentem, vocem accusationis vel testificationis exhibere valeãt. Non valent.
10. An accusatores deficientes in primi articuli probatione, sint admittendi ad sequentia. Non admittuntur.
11. An accusato liceat crimen in accusatorem retorquere. Distinguitur.

IV. Iterum

IV. Iterum de accusatoribus & testibus.

Causæ quartæ quæst.6.

1. An excommunicatus possit alium accusare. Non potest.
2. An minor quatuordecim annis possit esse testis in causa criminali. Non potest.
3. An ab accusatione deiectus possit esse testis in eadem causa. Non potest.
4. An idem possit esse accusator & testis. Non potest.
5. An die constituta se iudicio non sistens, à communione sit remouendus. Vtique, nisi iusta de causa excusetur.
6. An suo vitio ab accusatione repulsus possit suam causam agere. Potest.

V. De famosis libellis, episcopo, qui procuratorem misit, quasi per contumaciam absente, sine synodali audientia damnato, & accusatore inimico, vel crimen non probante.

Causæ quintæ quæst.6.

1. Qua pœna sit feriendus, qui famosum libellum clam scribens, in probatione deficit. Variæ pœnæ infliguntur.
2. Quoties reus sit vocandus, antequam condemnetur. Non semel tantùm, sed secundò, & tertiò congruis interuallis interiectis.
3. An reus possit mittere procuratorem, si ipse adesse causæ non possit. Distinguitur.
4. An absque synodali audientia episcopus sit damnandus. Non est.
5. An ideo aliquis inimicus sit habendus, quia crimen alterius indicat. Distinguitur.
5. Quomodò sit plectendus, qui crimen illatum non probat. Variis pœnis afficitur.

VI. De accusatore non idoneo, vel non probante, & de iudice competente.

Causæ sextæ quæst.5.

1. An criminosi, vel infames accusare possint. Non possunt.
2. Si episcopus in suos accusatores accusationem conuertat, an sit eius assertioni credendum. Non est credendum sine probatione.
3. An liceat expetere iudicium archiepiscopi alterius prouinciæ. Non licet.
4. Cuius iudicium sit expetendum, si prouinciales episcopi in iudicando dissentiant. Adiungendi sunt episcopi vicinæ prouinciæ.
5. An accusatore non probante reus cogatur innocentiam suam probare. Non cogitur, præterquam quòd publica fama grauatus iuramento innocentiam suam purgare debet.

VII. Si quis repetat episcopatum, cui renunciauit.

Causæ septimæ quæst.2.

1. An viuente episcopo alius possit in eadem ecclesia ordinari. Non potest.
2. An episcopus, cuius intercessione alius cathedram accepit, eam reposcere possit. Non potest.

VIII. De episcopo ex testamento decessoris, & patrocinio amicorum electo, qui simoniæ accusatus, & à clericis desertus s ad ecclesiam sine literis apostolicis rediit.

Causæ octauæ quæst.5.

1. An liceat episcopo sibi successorem instituere. Non licet.
2. An amicorum patrocinia in electione valere debeant. Nullo modo.
3. An sit habendus simoniacus, qui post electionem pro indemnitate ecclesiæ canonicis iuramentum præbuit. Minimè.
4. An liceat clericis episcopum accusatum ante sententiam deserere. Non licet.
5. An pendente accusatione episcopus sine literis apostolicis ad ecclesiam redire possit. Non potest.

IX. De ordinatione facta ab excommunicato, vel clericorum alterius prouinciæ, & de sententia archiepiscopi in clericos sui suffraganei.

Causæ nonæ quæst.3.

1. An ordinatio ab excommunicato facta valeat. Non valet.
2. An liceat episcopo, archiepiscopo, primati seu patriarchæ clericos alterius prouinciæ sine literis episcopi, cui subsunt, ordinare. Non licet.
3. An archiepiscopus clericos sui suffraganei illo inconsulto damnare, vel damnatos absoluere possit. Distinguitur.

X. De episcopo ecclesiam à laico factam cum sua dote euincente, & res ecclesiæ vsurpante, & de cathedratico.

Causæ decimæ quæst. 3.
1. An basilica à laico facta, cum omni sua dote ad episcopi ordinationem pertineat. Omnino.
2. An res ecclesiarum episcopis vsurpare liceat. Dispensandi episcopus potestatem habet, non distrahendi seu dilapidandi.
3. Quid nomine cathedratici à suis sacerdotibus episcopus exigere valeat. Duos solidos, & pro luminaribus, & ecclesiæ reparatione tertiam oblationum partem.

XI. De clerico clericum ad secularem iudicem trahente, & eius auctoritate de possessione deiiciente, suspenso, & irreparabiliter deposito, & de excommunicatione.

Causæ vndecimæ quæst. 3.
1. An clericus ad secularem iudicem trahi possit. Non potest.
2. An trahens clericum ad iudicem secularem, sit suspendendus. Vtique.
3. An ob eam causam suspensus, si officia celebret, irreparabiliter deponi debeat. Vtique. Hic multa adiiciuntur de excommunicatione.

XII. De clericis, qui de suis, & de ecclesiæ rebus testantur, & de rebus ecclesiæ nonnulla largiuntur.

Causæ duodecimæ quæst. 5.
1. An liceat clericis proprium habere. Distinguitur.
2. An res ecclesiæ possint à clericis firmiter alienari. Non possunt, nisi ex iusta causa.
3. An is, qui ante ordinationem nihil habuit, de his, quæ ordinationis tempore acquisiuit, disponere possit. Distinguitur.
4. Si clericus de suis & ecclesiæ rebus aliqua acquirat, ad quem hæc pertineant. Ad clericum, & ecclesiam pro rata portione.
5. An clerici testari possint. De rebus suis possunt, non de rebus ecclesiæ.

XIII. De decimis, & exequiis.

Causæ decimæ tertiæ quæst. 2.
1. An illi, qui possessionibus retentis domicilia sua transtulerunt in aliam diœcesim, ibique sepulturam elegerunt, debeant persoluere decimas ecclesiæ, quam reliquerũt, & apud eam celebrare suas exequias. Decimæ prædiorum in diœcesi relicta constitutorum clericis eius diœcesos debentur.
2. An præscriptione temporis ius percipiendi decimas, & funerandi tollatur. Ius decimandi longissimo tempore præscribitur. Noua sepultura eligi iusta de causa potest. Multa hic adduntur de sepulturis, & quædam de mortuorum scientia.

XIV. De testibus, & de vsuris.

Causæ decimæ quartæ q. 6.
1. An clericis liceat sua repetere. Licet.
2. An clerici producere testes de suis fratribus possint. Non possunt.
3. An emolumenta ex mercibus debitorum capiens, dicatur vsuras exigere. Vtique.
4. An liceat clericis vel laicis à quolibet vsuras exigere. Non licet.
5. An eleemosynæ de vsuris fieri possint. Non possunt.
6. An vsurarij pœnitentiam agere possint eo non restituto, quod malè acceperunt. Non possunt.

XV. De commissis in furore, clericis pro patrocinio munera accipientibus, confessione mulieris contra clericum, tempore iudicij, purgatione canonica, quæstionibus, episcopo sine synodali audientia non damnando, & de commissis ante ordinationem.

Causæ decimæ quintæ q. 8.
1. An ea, quæ mente alienata fiunt, sint imputanda. Distinguitur.
2. An clericis liceat pro præstito patrocinio munera exigere. Secularibus licet, regularibus non licet.
3. An ex mulieris, quæ stuprata dicitur, confessione, clericus sit condemnandus. Minimè.
4. An iudicium die dominica factum valeat. Non valet.
5. An crimen inficianti sit purgatio indicenda. Non, nisi iusta suspicio subsit.
6. An clericus sit torquendus, vt crimen fateatur. Nequaquam.
7. An episcopus sine synodali audientia sacerdotem damnare possit. Non potest.
8. An ei, qui crimen ante ordinationem commisisse confessus vel conuictus est, suscepti ordinis officium exequi liceat. Non potest sacrificium offerre, sed aliis officiis fungi.

XVI. Si

XVI. Si inter abbatem & clericos ecclesiæ baptismalis controuersia sit de Ecclesia parochiali in horum diœcesi ab abbate per 40. annos possessa, in qua idem abbas monachum diuinis præficit.

Causæ decimæ sextæ q.7.

1. An monachi possint officia populis celebrare. Possunt.
2. Vtrùm sint ab abbate, an ab episcopo instituendi. Distinguitur.
3. An iura ecclesiarum præscriptione tollantur. Tolli possunt.
4. An monasterium aduersus ecclesiam præscribere valeat. Quadraginta annis præscribit.
5. An episcopus capellam in suo territorio ædificatam, iure territorij sibi vindicare valeat. Vtique. Huic quæstioni Gratianus post secundam, ante tertiam respondet.
6. Si archipresbyter, vel episcopus sua auctoritate, non iudiciaria sententia capellam illam irrepserit, an causa cadat, & ecclesia cui præsidet, non habeat amplius ius reposcendi, quod suus pastor illicitè vsurpauit. Vsurpator causa cadit, sed ecclesiæ non nocet.
7. Si laici capellam illam tenentes, in manibus abbatis eam refutauerint, & ordinandam tradiderint, an rectè abbas de manu laicorum eam accipiat. Nemo debet ecclesiam vel capellam ab alio recipere, quam ab episcopo.

XVII. De voto, & beneficij renunciatione.

Causæ decimæ septimæ q.4.

1. Qui in infirmitate dixit se velle fieri monachum, vtrùm reus voti teneatur, an ei liceat à proposito sui cordis discedere. Reus voti non habetur, licèt monachus non fiat.
2. An eidem ecclesia & beneficium reddenda sint, quæ in infirmitate prædicta in manibus aduocati renunciauit. Reddenda sunt, quia re integra eum pœnituit.
3. Si se & sua monasterio tradidisset, an licentia abbatis ei liceret ad propria redire. Non liceret.
4. Si sine licentia abbatis de monasterio discessisset, an ei restituenda essent quæ monasterio tradidit. Non essent reddenda, sed scandali vitandi causa posset permitti vt ea auferret.

XVIII. De acquisitis per abbatem siue episcopum, & de electione abbatis.

Causæ decimæ octauæ q.2.

1. Si abbas consecretur in episcopum, vtrùm per eum quæsita pertineant ad monasterium, an ad ecclesiam. Ante episcopatum quæsita spectant ad monasterium: postea quæsita potius ad ecclesiam.
2. Vtrùm abbas sit ab episcopo, an à fratribus eligendus. A fratribus eligitur: ab episcopo electio confirmatur.

XIX. De clericis ad monasterium transeuntibus.

Causæ decimæ nonæ quæst. 3.

1. An episcopus debeat permittere, vt clericus relicta propria ecclesia monasterium ingrediatur. Debet.
2. An inuito episcopo clerici possint ad monasterium transire. Possunt.
3. An canonicis regularibus liceat monasterium ingredi. Non licet nisi cum patris sui licentia.

XX. De pueris monasterio traditis.

Causæ vigesimæ quæst. 4.

1. An in pueritiæ annis monasterio traditi cogantur religionis propositum tenere. Non coguntur, sed, cùm adoleuerint, liberum habent manendi vel discedendi arbitrium.
2. An ei, qui in pueritia tonsuram aut religionis vestem præter voluntatem parentum accepit, detrahi possit. Vtique, nisi parentes expresse vel tacite ratum habeant.
3. Qui inuitus cucullam induit, an cogatur eam retinere. Non cogitur.
4. An ab vno monasterio in aliud districtius transire liceat. Licet.

XXI. De clerico duarum ecclesiarum, secularium negotiorum curam suscipiente, splendidis vestibus ornato, qui ab episcopo correptus, ad secularem iudicem confugit.

Causæ vigesimæ primæ quæst. 5.

1. An clericus in duabus ecclesiis possit conscribi. Distinguitur.
2. An clericus possit, relicta sua ecclesia, ad aliam transire. Non aliter potest, quam cum dimissoriis literis sui episcopi.
3. An procurationes secularium negotiorum clericis liceat suscipere. Non licet.
4. An clericis liceat vti fulgidis & claris vestibus. Non licet.
5. An correptus ab episcopo, suum officium deserere, & ad secularem iudicem confugere possit. Non potest.

XXII. *De periurio.*

Causæ vigesimæ secundæ qu. 5.

1. An liceat iurare. Licet.
2. An sit periurus, qui iurat falsum, quod putat verum. Non peierat. Hic multa traduntur etiam de mendaciis, & de mentientibus.
3. An rectè Archidiaconus iuret se non obtemperaturum Episcopo, quem putat peierasse. Nequaquam.
4. An illicita iuramenta sint seruanda. Nullo modo.
5. Si licitum esset, quod archidiaconus iurauerat, an episcopus eum peierare cogens, esset reus periurij. Omnino.

XXIII. *De hæreticis vi & bello à catholicis ad vnitatem ecclesiæ redire coactis.*

Causæ vigesimæ tertiæ quæst. 8.

1. An militare sit peccatum. Non est.
2. Quod bellum sit iustum, & quomodo iusta bella essent, quæ filij Israël gerebant. Iustum est, quod ex edicto geritur rerum repetendarum, vel hostium propulsandorum causa. Filij Israël iusta bella gerebant, quia transitu innoxio prohibebantur.
3. An iniuria sit armis sociorum propulsanda. Est.
4. An vindicta sit inferenda. Distinguitur.
5. An sit peccatum iudici vel ministro reum occidere. Non est.
6. An mali sint cogendi ad bonum. Ita.
7. An hæretici suis & ecclesiæ rebus sint spoliandi: & qui possident hæreticis ablata, an dicantur possidere aliena. Hæretici iniustè possident; & eis auferentes catholici non dicuntur possidere aliena.
8. An episcopis, & ceteris clericis liceat sua auctoritate, vel Apostolici aut Imperatoris præcepto arma mouere. Non licet propria manu arma capere, sed licet hortari alios ad arma capienda, vt oppressi defendantur, & hostes Dei oppugnentur.

XXIV. *De hæreticis, & excommunicatione.*

Causæ vigesimæ primæ q. 3.

1. An lapsus in hæresim possit aliquos officio priuare, vel sententia notare. Non potest.
2. An mortuus possit excommunicari. Regulariter non potest: sed de hæresi potest.
3. An pro peccato alicuius tota familia sit excommunicanda. Non est. Obiter declaratur differentia inter schisma & hæresim.

XXV. *De decimis.*

Causæ vigesimæ secundæ q. 2.

1. An clerici baptismalis ecclesiæ, auctoritate priuilegij omnes decimas suæ diœcesis in solidum vindicare possint. Possunt.
2. An dicto clericorum priuilegio derogetur per sequens monasterij priuilegium non soluendarum decimarum. Distinguitur.

XXVI. *De sortilegio, excommunicati reconciliatione, & pœnitentia.*

Causæ vigesimæ tertiæ q. 7.

1. Qui sint sortilegi. Qui sub nomine fictæ religionis per quasdam sortes diuinandi licentia profitentur, aut scripturarum inspectione futura promittunt.
2. An sortes exquirere sit peccatum. Est.
3. A quibus genus diuinationis sumpsit exordium. A Persis.
4. Quot sint genera diuinationis. Duo. ars, & furor.

   (3–4:) Hæ duæ quæstiones coniunguntur, & obiter additur de natura & scientia dæmonum.
5. An sortilegi seu diuini sint excommunicandi, nisi desistant. Etiam.
6. An ab episcopo excommunicatus, eo inconsulto possit à presbytero reconciliari. Distinguitur.
7. An tempus satisfactionis sit imponendum morituro. Nequaquam.

XXVII. *De voto castitatis, desponsatione, & repudio.*

Causæ vigesimæ quartæ q. 2.

1. An coniugium possit esse inter voventes. Distinguitur. Coniun. dist. 27.
2. An sponsa possit à sposo recedere, & alij nubere. Hic duo quæruntur:
   1. An sponsi sint coniuges. Non sunt.
   2. An sponsalibus renunciare liceat. Ante benedictionem licet, postea non licet.

XXVIII. *De coniugio inter infideles, & diuortio, & bigamis.*

Causæ vigesimæ octaue q. 3.

1. An coniugium sit inter infideles. Est.
2. An infideli discedente, liceat coniungi ad fidem conuerso aliam vxorem ducere. Licet.
3. An sit reputandus bigamus, qui ante baptismum habuit vnam, & post baptismum alteram. Ita.

XXIX. *De errore in persona an impediat matrimonium.*

Causæ vigesimæ nonæ quæst. 2.

1. Si mulier decepta nupsit seruo nomen emeotito hominis nobilis, ao sit coniugium. Non est.
2. An mulieri liceat discedere ab eo quem deprehendit esse seruum, cùm nuptiarum tempore haberet eum pro ingenuo. Licet.

XXX. *De cognatione spirituali vel legali.*

Causæ trigesimæ quæst. 5.

1. An vxori suæ debitum reddere valeat, qui proprium vel vxoris filium de sacro baptismate suscepit. Non est propterea separandus ab vxore.
2. An sponsalia contrahantur inter infantes. Ante septennium contrahi non possunt.
3. An spirituales vel adoptiui filij naturalibus copulari valeant. Non debent copulari, sed copulati non debent separari.
4. An liceat duas commatres successiuè vxores habere. Distinguitur.
5. An clandestina desponsatio posteriori manifestæ præiudicet. Clandestina coniugia fieri prohibentur, sed facta non dissoluuntur. idcirco posteriori copulæ præiudicant, modò de eis constet.

XXXI. *Si quis vxorem duxit, quam polluit per adulterium, & filiam inuitam alicui se nuptui daturum iurauit.*

Causæ trigesimæ primæ q. 3.

1. An possit aliquis io vxorem ducere eam, quam priùs polluerat per adulterium. Distinguitur.
2. An inuita filia sit tradenda alicui. Nequaquam.
3. An filia post sponsionem parentis possit alij nubere. Distinguitur.

XXXII. *De nuptiis cum meretrice, vel incontinentiæ causa contractis, & de consensu parentum, & de filiis ab vxorato ex ancilla susceptis, & de vim passa, & de dimissione adulteræ, & de conditione transeundi ad fidem Christianam nuptiis apposita.*

Causæ trigesimæ secundæ q. 8.

1. An meretrix licitè ducatur in vxorem. Distinguitur.
2. An ea, quæ causâ incontinentiæ ducitur, sit coniux appellanda. Etiam.
3. Vtrùm in puella elocanda præualeat auctoritas aui liberi, an patris originarij. Aui præualet.
4. An viua vxore sterili liceat ex ancilla liberos procreare. Noo licet.
5. An ea, quæ vim patitur, pudicitiam amittat. Non amittit.
6. An maritus adulter vxorem adulteram dimittere possit. Non potest.
7. Ao viuente dimissa aliam ducere liceat. Non licet.
8. An viuente vxore dimissa liceat saltem ducere infidelem hac cooditione, vt ad fidem conuertatur. Non licet.

XXXIII. *De maleficiato, & vxore eius corrupta, & à viro separata, & corruptori nubente, & priori viro restituta, & de viri voto.*

Causæ trigesimæ tertiæ q. 5.

1. An propter impossibilitatem coëundi à viro suo aliqua sit separanda. Distinguitur.
2. An mulier, à viro propter impossibilitatem coëundi separata, ei nubere valeat, cum quo priùs fornicata est. Distinguitur. Adduntur digressiones quædam.
3. An sola confessione cordis crimen deleri possit. Hîc habentur de pœnitentia distinctiones septem: &
   - Primò ad dictam quæstionem per distinctionem respondetur, dist. 1.
   - Deinde adduntur digressiones de
     - Charitate, dist. 2.
     - Iteratione pœnitentiæ, dist. 3.
     - Peccatis, an dimissa redeant, dist. 4.
     - His, quæ peccatorem considerare oportet, dist. 5.
     - Cui debeat fieri confessio, & qualem hunc esse oportet, dist. 6.
     - Tempore pœnitentiæ, dist. 7.
4. An orationis tempore coniugali operi vacare liceat. Nec oratioois causa continentia seruanda est, nisi ex mutuo consenso.
5. Ao sine consensu vxoris vir continentiam vouere possit. Non potest.

XXXIV. De ea, quæ viuente viro captiuo, quem mortuum putabat alteri nupsit.

Causæ trigesimæ quartæ q.2.
1. An adulterij rea sit, quæ viuente marito captiuo, quem mortuum putabat, alteri nupsit. Non est rea, si iustam opinionis suæ causam habeat.
2. An redeunte primo sit cogenda recedere à secundo, & redire ad primum. Cogenda est.

XXXV. De eo qui prima uxore mortua, alteram duxit, quam ignorabat uxori defunctæ sexto, sibi quarto cognationis gradu iunctam esse.

Causæ trigesimæ quintæ q.10.
1. An liceat aliquam ex propria cognatione ducere in vxorem. Non licet.
2. An ex consanguinitate vxoris aliqua possit in vxorem duci. Non potest.
3. Vsque ad quem gradum abstinere oporteat à propriis, vel vxoris consanguineis. Vsque ad sextum vel septimum gradum hoc iure: sed nouissimo iure vsque ad quartum duntaxat. extr. de consangu. & affin. c. pe. & vlt.
4. Cur vsque ad sextum gradum consanguinitas computetur. Quia sex sunt ætates mundi.
5. Quomodo gradus consanguinitatis computandi sint. Distinctio & numerus graduum distinctione & numero generationum sumitur.
6. Quibus accusantibus, vel testificantibus, consanguineorum coniunctio dirimenda sit. Audiendi sunt propinqui & senes adhibito iureiurando.
7. An illi qui de incestuosis nascuntur, filij reputentur. Nequaquàm.
8. Per ignorantiam ducta à consanguineo, vel affini, an per dispensationem illi adhærere possit. Distinguitur.
9. Si coniuges ab ecclesia per fraudem vel ignorantiam testium decepta separati, ad alia coniugia transierint, an hæc sint dissoluenda, & prius redintegrandum. Etiam.
10. Si mulier ad secundas nuptias transierit, an nati ex secundo matrimonio possint copulari consanguineis prioris mariti. Non possunt.

XXXVI. De raptu.

Causæ trigesimæ sextæ q.2.
1. An ille, qui puellam patre eius ignorante muneribus illexit, ad conuiuium perduxit, & post conuiuium oppressit, raptum admiserit. Etiam.
2. An rapta raptori nubere possit, patre adsensum præstante. Post pœnitentiam peractam potest.

DECRETI PARS III.

De consecratione sunt quinque distinctiones
1. De ecclesia ritè consecranda.
2. De sacra synaxi.
3. De diebus festis, & sanctorum imaginibus.
4. De sacramento baptismi.
5. De sacramento confirmationis, & ieiunio.

DECRETALES.

In decretalibus exponuntur
- I. Iuris primordia, quæ à Iustiniano appellantur τὰ πρῶτα, lib. 1.
- II. Iudicia, lib. 2.
- III. Causæ, ex quibus iudicia oriuntur
  - Propriæ
    - Clericorum, & regularium, & monachorum, lib. 3.
    - Laicorum, vt matrimoniales, lib. 4.
  - Communes clericis & laicis, vt delicta, lib. 5.

DECRE

DECRETALIVM LIBER I.

Libro primo Decretalium agitur de

- Deo, & fide, tit. 1.
- Iure
  - Scripto
    - Vniuersali, tit. 2.
    - Particulari, tit. 3.
  - Non scripto, tit. 4.
- Prælatis, qui promouêtur per
  - Postulationem, tit. 5.
  - Electioné. Electus habet potestatem, tit. 6. quæ limitatur propter
    - Translationem, tit. 7.
    - Non receptum pallium, tit. 8.
    - Renunciationem, tit. 9.
    - Negligentiam, tit. 10.
    - Cõsecrationem non secutam. Hic de consecratione sunt tres tractatus
      - Primus generalis, vbi quæritur
        - 1. Quo tempore aliquis ordinari possit.
        - 2. Qualis debeat esse, qui ordinatur. (1–2: tit. 11.)
        - 3. Quomodo cognoscatur, an talis sit, t. 12.
        - 4. An ordinatio valeat facta ab episcopo, postquam renunciauit episcopatui, titul. 13.
      - Secũdus proprius prælatorum, de quibus quæritur
        - 1. Qui sint præficiendi, tit. 14.
        - 2. Quomodo præficiuntur. Hîc dantur duo præcepta:
          - 1. De sacra vnctione, tit. 15.
          - 2. De ordinatione non iteranda, tit. 16.
      - Tertius de his, de quib. dubitatur, an promoueri possint, id est, de
        - Filiis presbyterorum, tit. 17.
        - Seruis, tit. 18.
        - Obligatis ad rationes reddendas, tit. 19.
        - Corpore vitiatis, tit. 20.
        - Bigamis, tit. 21.
        - Extraneis, tit. 22.
    - Distinctionem officiorum separata namq; sunt officia
      - Archidiaconi, tit. 23.
      - Archipresbyteri, tit. 24.
      - Primicerij, tit. 25.
      - Sacristæ, tit. 26. seu custodis, tit. 27.
      - Vicarij, tit. 28.
      - Iudicis. Hîc agitur de
        - Iudice delegato, tit. 29.
        - Legato, tit. 30. & omni iudice ordinario, tit. 31.
        - Iudice in genere, tit. 32.
      - Superiorum erga inferiores, & inferiorũ erga superiores, tit. 33.
- Pactis
  - Publicis, tit. 34.
  - Priuatis, tit. 35.
- Transactionibus, tit. 36.
- Litigantibus, quales sunt
  - Postulantes, tit. 37.
  - Procuratores, tit. 38.
  - Syndici, tit. 39.
- Restitutionibus in integrum propter
  - Vim vel metum, tit. 40.
  - Varias causas, tit. 41.
  - Alienationem iudicij mutandi causa factam, tit. 42.
- Arbitris compromissariis, tit. 43.

Tituli libri primi Decretalium, & in eos breues notæ.

1 DE *summa Trinitate, & fide Catholica.* C. libro 1. tit.1.

2 De *constitutionibus.* Constitutio hoc loco est ius positiuum scriptum, quod distinguitur à iure naturali, & à consuetudine non scripta, vt dist.8.in princ. In alio sensu angustiori accipitur constitutio D. lib.1. tit. 4. & C.lib.1. tit.14.

3 *De rescriptis.* C.lib.1.tit.23.

4 De *consuetudine.* D.lib.1.tit.3.

5 De *postulatione prælatorum.* Postulatio est concors capituli petitio, vt is promoueatur siue adsumatur, qui non propter animi vel corporis vitium, sed ob alium defectum eligi nequit, propter quem non est inhabilis ad prospiciendum ecclesiæ: vt quia est laicus, aut minor triginta annis.

6 *De electione & electi potestate.* Electio est alicuius personæ idoneæ ad prælationem vel fraternam societatem canonicè facta vocatio. Hostiens. hîc in §.1. & glo.in c. 1.in verbo vera postulatio.de postulat.lib.6.

7 De *translatione episcopi*: qua episcopus liberatur à vinculo, quo priori ecclesiæ iunctus est, & cum alia ecclesia coniungitur, suprà tit.prox.c.in causis. 30. in fi.& de postulat.prælat.c.2. in fin.& c.4.in fi.Eadem vocatur etiam mutatio.vij.q.1.c.mutationes.35.

8 De *auctoritate & vsu pallij.* Pallium est insigne archiepiscopale de beati Petri corpore sumptum, suprà de elect.c.4.quo à sede apostolica officij pontificalis plenitudo cum archiepiscopalis nominis appellatione confertur, c.3.& infrà de priuilegiis.c.antiqua.23. Auctoritas pallij est potestas, quæ per traditionem pallij confertur in archiepiscopum, vt synodum conuocandi, consecrandi, &c.

9 De *renunciatione.* Renunciatio est iuris proprij spontanea refutatio. Lancellotus Institut. canonic. lib.1.tit. 19.in princ.

10 De *supplenda negligentia prælatorum.* Negligentia est eius, quod fieri potest ac debet, omissio. Hostiens. hîc.

11 *De temporibus ordinationum, & qualitate ordinandorum.* Ordinatio est personæ ecclesiasticæ consecratio, per quam gratia & potestas obeundorum ecclesiasticorum munerum confertur. Tempus ordinationis est, quo aliquis consecrari potest. Qualitas ordinandorum est, quæ in iis requiritur, qui sunt consecrandi.

      - *Dignitate filij*, veluti si Patricius factus sit. vide Nou. 81.
      - *Emancipatione*: de qua sciẽdum,
        - 1. *Quid sit.* Definiri potest, actus legitimus, quo parens liberos suos de sua potestate dimittit.
        - 2. *Quotuplex sit.* Triplex est:
          - 1. *Legitima*. i. ex l. xij. tab. per imaginarias venditiones & manumissiones. hæc in desuetudinẽ abiit.
          - 2. *Anastasiana* ex rescripto principis.
          - 3. *Iustinianea*, voluntate emancipantis apud competentem iudicem declarata.
        - 3. *Quem effectum habeat.* Effectus duplex est:
          - 1. Pater filio intestato est heres legitimus.
          - 2. Si impubes emancipetur, pater fit legitimus eius tutor.
        - 4. *Qui possint emancipari.* Pro libitu emancipantur vel solus filius, vel solus nepos, vel vterque. Eadem est ratio vlteriorũ liberorũ.
        - 5. *In cuius potestate nascatur nepos ex filio emancipato, vel in adoptionem dato.* Distinguitur. nam si nepos conceptus sit
          - Ante emancipationem patris sui, nascitur in potestate aui naturalis.
          - Post emancipationem patris sui, nascitur in potestate patris.
          - Post adoptionem patris sui, nascitur in potestate aui adoptiui.
    - *Suspenditur* captiuitate patris vel filij. nã si captiuus
      - Apud hostes moriatur, primo captiuitatis momento mortuus fingitur lege Cornelia.
      - Ab hostibus redeat, iure postliminij fingitur semper fuisse in ciuitate.
    - *Transfertur ad alterum*, si filius detur in adoptionem.

VII. De nuptiis.

De nvptiis sciendũ,

- I. *Quid sint.* Nuptiæ seu matrimonium (nam his duobus vocabulis eadem res significatur) est viri & mulieris coniunctio, indiuiduam vitæ consuetudinem continens.
- II. *Quæ sint iustæ nuptiæ.* Iustæ nuptiæ sunt, quas ciues Romani inter se contrahunt, qui secundùm præcepta legum coëunt.
- III. *Qui sint nuptiarum capaces.* Hîc spectatur
  - 1. *Sexus contrahentium.* Nam masculi cum feminis nuptias contrahunt.
  - 2. *Ætas.* Masculi namque debent esse puberes, id est, maiores 14. annis: feminæ viri potentes, id est, maiores 12. annis. Sed iure pontificio spectatur potestas coëundi; quia interdum malitia supplet ætatem, extr. de desponſ. impuh. c. 3.
  - 3. *Ius potestatis.* Tam filij, quàm patres familiarum possunt nuptias contrahere. sed illi debent habere consensum parentum, in quorum potestate sunt, nisi parentes sint furiosi: quo casu loco consensus parentis adhibere oportet auctoritatem magistratus vel episcopi, & eius qui curam furiosi gerit, & præsentiam nobiliorum ex genere ipsius furiosi.
- IV. *Quas vxores ducere liceat, vel non.* Hîc spectatur
  - *Cognatio inter*
    - *Parentes & liberos.* Inter quos nuptias indistinctè prohibentur quocumq; gradu, & quocumque tempore, etiamsi per adoptionem aliqua cœperit esse filia, & adoptio per emancipationem sit dissoluta.
    - *Transuersales.* Etenim nuptię cum
      - Sorore prohibentur, nisi sit soror adoptiua, & alteruter sit emancipatus à patre.
      - Fratris filia vel nepte prohibentur.
      - Sororis naturalis filia vel nepte prohibentur.
      - Sororis adoptiuæ filia vel nepte permittuntur.
      - Patrueli, vel amitina, vel consobrina permittuntur.
      - Amita licèt adoptiua prohibentur.
      - Matertera prohibentur.
      - Amita magna, vel matertera magna prohibentur.
  - *Affinitas.* Hîc nuptiæ cum
    - Nuru, Priuigna, Socru, Nouerca — prohibentur.
    - Compriuigna permittuntur.
    - Filia vxoris post diuortium ex alio viro suscepta, Sponsa filij, vel patris — prohibentur.
- V. *Qui sint effectus nuptiarum*
  - *Iustarum.* Hîc distinguimus. aut enim nuptiæ liberorum procreationem
    - Præcedunt: túncque liberi sunt legitimi, & in patris potestate nati.
    - Sequuntur: & liberi per has nuptias legitimantur, dummodò ex ea procreati sint, quæ vxor esse poterat.
  - *Iniustarũ.* His nuptiis irrogantur pœnæ
    - Partim generales. Nam
      - 1. Nec nuptiæ, nec matrimonium, nec dos esse intelligitur.
      - 1. Liberi non sunt in potestate patris, sed habentur pro spuriis.
      - 3. Coniunctione dissoluta, non est locus exactioni dotis.
    - Partim propriæ earum nuptiarum, quæ contra ius diuinum aut naturale contractæ sunt.
      - 1. Contrahentes notantur infamia, Nou. 12. ca. 1. & iij. q. 4. c. consanguineorum. & xxxv. q. 2. c. coniunctiones.
      - 2. Contrahentes mittuntur in exilium, d. Nou. 12. c. 1.
      - 3. Si sint viles personæ, verberib. afficiũtur, d. Nou. 12. c. 1.
      - 4. Bona confiscantur, nisi extent filij legitimi, quib. applicantur, ita vt parentem alere debeant, d. Nou. 12. c. 1.
      - 5. Si liberi legitimi extent, patria potestate liberantur, d. Nou. 12. c. 2.
      - 6. Liberi incestuosi non succedunt patri, nec sunt ab eo alendi iure ciuili, Nou. 89. c. vlt. ex æquitate tamen canonica eis debentur alimenta, extr. de eo qui du. in matr. quam poll. per adulter. c. 5. in fi.

VIII. De adoptionibus.

De adoptione sciẽdum

- I. *Quid sit.* Definitur
  - *A Theophilo* Actus legitimus, naturam imitans, ad eorum qui liberos non habent, solatium inuentus.
  - *A Caio* libro 1. Instit. tit. 5. Naturæ similitudo, vt aliquis filium habere possit, quem non generauit.
- II. *Quotuplex sit.* Duplex est,
  - 1. *Adoptio specialis*, qua filiusfamiliâs adoptatur imperio magistratus.
  - 2. *Arrogatio*, qua paterfam. arrogatur ex rescripto principis.
- III. *An valeat.* In hac quæstione spectamus
  - *Adoptantem & adoptatum.* Nam impedimentum est
    - *Quandoque in adoptato:* vt quia impubes non potest arrogari, nisi tria concurrant:
      - 1. *Causa cognita*, vt constet causam arrogandi esse honestam, & pupillo vtilem.
      - 2. *Permissio magistratus* causam arrogandi cognoscentis, & probantis.
      - 3. *Satisdatio*, qua arrogator tabulario cauet de bonis per pupillum ad se translatis restituendis, si is in pupillari ætate decesserit.
    - *Quandoque in adoptante*, veluti si sit
      - *Castratus.* nam spadonibus adoptare licet, exceptis castratis.
      - *Femina*, quæ adoptare non potest, nisi ex permissu principis ad solatium liberorum amissorum.
    - *Quandoque in vtraque persona simul considerata*, veluti si adoptare velit
      - Filiumfam. extraneus, id est, qui non est eius parens naturalis.
      - Minorem natu maior. Nam opus est, vt adoptaus sit octodecim annis maior adoptato.
  - *Dantem in adoptionem.* Hic dantur duæ regulæ
    - 1. Tam adoptiui quàm naturales parentes possunt liberos suos, quos in potestate habent, in adoptionem dare.
    - 2. Cùm nepos in adoptionem datur ab auo, sufficit aui consensus, nec est necesse vt etiam filius consentiat.
  - *Gradum, in quem aliquis adoptatur.* Hic dantur tres regulæ
    - 1. In locum nepotis, vel pronepotis, vel vlteriorem adoptare potest etiam is qui filium non habet.
    - 2. Tam filium alienum adoptare licet in locum nepotis, quàm nepotem in locum filij.
    - 3. Cùm in locum nepotis quasi ex filio naturali vel adoptiuo aliquis adoptatur, filij consensus requiritur, ne ei inuito suus heres adgnascatur, quia in eius potestatem nepos morte aui est recasurus.
- IV. *Quos effectus pariat.* Effectus est
  - *Adoptionis in genere*, vt adoptatus subiiciatur potestati adoptantis.
  - *Adoptionis specialis*, vt patria potestas transferatur à dante in adoptionem, ad eum qui adoptat.
  - *Arrogationis* multiplex
    - 1. Bona arrogati transeunt ad arrogatorem.
    - 2. Si arrogatus liberos habebat in potestate, hi quoque subiiciuntur potestati arrogantis quasi nepotes.
    - 3. Si impubes arrogetur, deinde emancipetur, vel exheredetur
      - Ex iusta causa: bona sua recipit, quæ ad arrogatorem transtulerat.
      - Sine iusta causa: arrogator non solùm eius bona, sed etiam quartam suorum bonorum partem ei restituit.
  - *Quasi adoptionis*, vt si seruus adoptetur, vel nominetur filius apud acta, libertatem quidem consequatur: sed ius filij non acquirat.

IX. *De tutelis.*

De tutela hæc explicantur:

- I. *Quid sit.* Est vis ac potestas in capite libero ad tuendum eum, qui per ætatem se defendere nequit, iure ciuili data ac permissa. Tutores autem sunt, qui eam vim ac potestatem habent.
- II. *Vnde dicatur.* A tuendo: quia tutoris officium est tueri pupillum.
- III. *Quotuplex sit.* Triplex est, nẽpe
  - *Testamentaria*, de qua scien-
    - I. *Qui & quibus dent tutores.* Parẽtes tutorẽ dare
      - Possunt
        - Liberis impuberibus, quos in potestate habent, in alterius potestatem non recasuris.
        - Postumis, qui si viuo parente nascerentur, sui heredes nascerentur.
      - Non possunt emancipatis. Si tamen eis tutorem dent, ea datio confirmabitur à magistratu sine inquisitione.
    - II. *Qui possint dari tutores.* Hîc ponũtur plures regulæ.
      - 1. *Tam filiusfam. quàm paterfam.* tutor dari potest.
      - 2. *Seruus testatoris*
        - *Purè* dari potest
          - *Vel cum libertate.*
          - *Vel sine libertate*: quia tacitè libertas relicta videtur (nisi per errorem datus sit, cùm falsò haberetur pro homine libero) vel directa, vel fideicommissaria; prout hanc, vel illam seruus elegerit.
        - *Sub conditione*, Cùm liber erit, dari non potest.
      - 3. *Seruus alienus*
        - *Purè* tutor constitui non potest.
        - *Sub conditione*, cùm liber erit, tutor dari potest.
      - 4. *Furiosus, vel minor 25. annis*, tutor testamẽto datus, tunc erit tutor, cùm mentis compos, aut maior 25. annis fuerit factus.
    - III. *Quomodo tutores dentur.* Hîc traduntur tres regulæ:
      - 1. Vsque ad certum tempus, vel ex certo tempore, vel sub conditione tutor dari potest.
      - 2. Ante heredis institutionem tutor dari potest.
      - 3. Certæ rei, vel causæ tutor dari non potest.
    - IV. *Quibus intelligatur datus tutor.* Hîc dissoluuntur sequentes quæstiones:
      - 1. An appellatione liberorum contineantur postumi. Respondetur, contineri.
      - 2. An appellatione filiorum contineantur nepotes. Respond. non contineri.
      - 3. An appellatione liberorũ contineantur nepotes. Resp. cõtineri.
      - 4. Postumorum appellatione qui contineantur. Resp. cõtineri postumos cuiuscũq; grad⁹: siue sint filij, siue nepotes, siue vlteriores.
  - *Legitima*: vide tab. seq.
  - *Datiua*: cùm testamentario & legitimo tutore deficiente, magistratus tutorem dat.
- IV. *Cur sit introducta.* Vt is, qui per ætatem se tegere nequit, alterius cura regatur.
- V. *Effectus*: qui duo præcipui sunt:
  - 1. *Tutoris administratio*, cuius rationem reddit post tutelam finitam.
  - 2. *Tutoris auctoritas*, quæ modò est modò nõ est necessaria. nã pupillus
    - Conditionem suam deteriorem facere sine tutore non potest.
    - Conditionem suam meliorem sine tutore facere potest.
    - Hereditatem adire, vel bonorum possessionem petere nõ potest, nisi tutore auctore.
    - Cum vno ex tutoribus litigat altero tutore auctore, D. de testam. tut. l. si plures. 24. & C. de in li. dan. tu. vel cura. l. 1. Si verò vnum tutorem habeat, curatorem hoc iure accipit ad litem cum eo tutore exercendam. Sed ex Nou. 72. alius tutor, vel curator adiungitur.
- VI. *Quibus modis finitur.* Vide tab. 11.

X. *De legitima tutela.*

Legitima tutela defertur

- *Vel ex lege xij. tabularum*, id est,
  - *Vel ex verbis legis.* Hinc, si ex testamento nullus tutor sit, tutela defertur adgnatis proximis. ¶ *Adgnatio* est per virilis sexus personas cognatio, quæ nõ est per capitis deminutionẽ dissoluta. ¶ *Capitis deminutio* est prioris status mutatio, & est triplex, videlicèt
    - *Maxima*, cùm libertas & ciuitas amittitur. Quod accidit
      - Seruis pœnæ.
      - Libertis, qui ob ingratitudinẽ erga patronos reuocantur in seruitutem.
      - Maiorib. 20. annis, qui ad pretium participandum sese venundari patiũtur.
    - *Minor seu media*, cùm ciuitas amittitur, libertas retinetur. Quod accidit
      - His, quibus aqua & igni interdicitur.
      - Deportatis.
    - *Minima*, cùm retenta libertate & ciuitate, status hominis commutatur. Quod accidit
      - Arrogatis.
      - Emancipatis.
  - *Vel ex sententia & interpretatione legis.* Hinc defertur
    - Patrono tutela liberti, quem impuberem manumisit.
    - Parenti tutela filij, vel nepotis, quẽ impuberem emancipauit.
- *Vel ex nouo iure.* Hinc post mortem parentis, qui tutor legitimus fuerat, in tutelam succedunt liberi eius, qui virilis sexus sunt, & perfectæ ætatis.

XI. Quibus

XI. *Quibus modis tutela finitur.*

Tutela finitur
- *Ex persona pupilli*, si
  - *Pubes fiat*, id est, si masculus fiat maior 14. annis, aut femina fiat maior 12. annis.
  - *Capite minuatur.*
  - *Moriatur.*
- *Ex persona tutoris*, si
  - *Moriatur.*
  - *Capite minuatur.* Sed hîc distinguitur, nam capitis deminutio tutoris
    - Maxima, Media: quamcumque tutelam perimit.
    - Minima
      - Iure institutionum tantùm legitimam adgnatorum tutelam tollit.
      - Iure nouissimo nullam tutelam perimit, vt colligitur ex Nou. 118. cap. 5.
  - *Excusetur.*
  - *Remoueatur vt suspectus.*
- *Ex euentu extrinseco*, si
  - *Conditio exstat*, vsque ad quam tutor datus est.
  - *Dies veniat*, vsque ad quem tutor datus est.

XII. *De curatoribus.*

De curatoribus sciendum est
- I. *Quibus dentur.* Dantur
  - *Adolescentibus*: non tamen inuitis, præterquàm ad litem. curator enim ad certam causam dari potest.
  - *Furiosis, Prodigis, Mente captis,* Surdis, *Mutis, Perpetuo morbo laborantibus*, qui sunt maiores 25. annis.
  - *Pupillis* interdum: veluti si tutor
    - Non sit idoneus, dolo tamen careat.
    - Ad tẽpus sit excusatus
    - His casibus non datur alius tutor: quia tutorem habenti tutor dari non potest.
    - Si verò tutor aduersa valetudine, vel alia necessitate impediatur, quominùs negotia pupilli gerat, & pupillus vel absit vel infans sit, magistratus tutorem periculo tutoris constituet, quem ipse tutor velit.
- II. *A quibus dentur.*
  - Dantur ab iisdem magistratibus, à quibus dantur tutores. Quanquam furiosi & prodigi ex lege 12. tabularum sunt in proximorum adgnatorum curatione.
  - Non dantur testamento.

XIII. *Communia de tutoribus & curatoribus.*

Communia tutoribus & curatoribus sunt,
- *Satisdatio*: de quo vide tab. seq.
- *Excusatio*: de qua vide tab. 15.
- *Remotio ob crimen suspecti*: de qua vide tab. 16.

XIV. *De satisdatione tutorum, vel curatorum.*

De satisdatione tutorum, & curatorum videndum est,
- I. *Qui satisdet.* Satisdare coguntur tutores & curatores, nisi sint testamẽto vel ex inquisitione dati. Verùm si duo testamento vel ex inquisitione dati sint: vnus alteri optionem deferre potest, vtrùm malit satisdare & solus administrare, an satis accipere & administrationem relinquere. Nemine autem satisdationem offerente, ille geret, cui testator vel maior tutorũ seu curatorum pars administrationem commisit. his verò circa eligendum eum, vel eos, qui gerere debent, dissentientibus, prætor auctoritatem suam interponet.
- II. *Qui ex hac satisdatione teneantur.*
  - Tenentur
    1. Tutores, vel curatores.
    2. Heredes tutorum, & curatorum.
    3. Fideiussores à tutoribus vel curatoribus dati.
    4. Heredes fideiussorum.
    5. Qui satisdationem exigere solent: vt magistratus municipales, & scribæ. Aduersus hos datur actio subsidiaria, siue nullos, siue non idoneos fideiussores acceperint.
    6. Heredes eorum, qui satisdationem exigere solent.
  - Non tenentur maiores magistratus, qui tantùm dare tutores, non etiam satisdationem ab eis exigere solent: vt præsides prouinciarum.
- III. *Quid faciendum si tutores vel curatores satisdare nolint.* Pignoribus captis coërcentur.

XV. *De excusationibus.*

DE EXCVSATIONIBVS tutorum vel curatorū hæc declarantur:

- I. *Causa excusationū:* quæ sunt
  - *Vel iusta, vera & probata.* atq; hæ excusant
    - *Vel à tota tutela, siue curatione,* vt
      - 1. *Numerus liberorum.* Hîc dâtur quinque regulæ:
        - 1. Nihil refert, vtrùm liberi sint in potestate, an emancipati.
        - 2. Oportet esse tres liberos Romæ, vel quatuot in Italia, vel quinque in prouincia.
        - 3. Adoptiui liberi non prosunt, naturales, licèt in adoptionem dati, prosunt.
        - 4. Nepotes ex filio prosunt, quia in locum patris sui succedunt, & eum repræsentant: ex filia non prosunt.
        - 5. Debent esse liberi superstites, vel in acie defuncti.
      - 2. *Administratio rerum fiscalium.* Hæc quamdiu durat, tamdiu excusat.
      - 3. *Absentia reipub. causa.* Hinc aliquis excusatur, quamdiu abest: & interim in eius locum curator datur. cùm autem reuersus erit, siquidem tutela sit antiquior quàm absentia, statim eam recipiet. si verò absentiæ tempore tutela delata sit, anni vacatio post reditum indulgetur.
      - 4. *Potestas,* id est, imperium. Hinc excusatur quis a tutela suscipienda, non à suscepta.
      - 5. *Lis cum pupillo vel adulto* de omnibus bonis, vel de hereditate.
      - 6. *Tria onera tutelæ vel curæ.* Hîc plura sunt notanda.
        - 1. Tutela vel cura affectata nō prodest volenti se excusare.
        - 2. Hinc datur excusatio, quamdiu tutelæ vel curæ administrantur.
        - 3. Non tam tutelarum vel curationum, quàm onerum numerus spectatur. Nam tres tutelæ vel curæ vnum onus facere possunt. cùm patrimonium pupillis vel iis qui in curatione sunt, commune est & indiuisum. contra vna tutela valde diffusa & negotiosa excusationem præbet. D.h.t.l.si is qui.31.§.vlt.
        - 4. Tutela honoraria (i. cùm quis honoris causâ, non vt gerat, tutor datur) ad excusandum non valet. D. eod. l. σπάδοντα.15.§.ἐὰν ἐτῆς πόλεως.
      - 7. *Paupertas,* qua oppressus non potest tutelam gerere.
      - 8. *Imperitia literarum,* nisi rerum experientia hunc defectum suppleat.
      - 9. *Si tutor datus sit propter inimicitias,* id est, non fauore pupilli, sed odio ipsius tutoris, vt huic oneri subiaceat, & tutelæ iudicio vexetur.
      - 10. *Inimicitia capitales* cum patre pupilli, vel adolescentis, nisi reconciliatio secuta sit.
      - 11. *Si quis status controuersiam à patre pupillorum passus sit.*
      - 12. *Ætas maior septuaginta annis.* Minores autem viginti quinque annis ne quidem volentes ad tutelam vel curam gerendam admittuntur, quemadmodum nec milites.
      - 13. *Ars grammatica, vel rhetorica, vel medica;* si quis eam Romæ, vel in patria sua exerceat, & intra statutum numerum sit. De quo numero vide l.6.§.1.D.h.t.
    - *Vel à parte tutelæ.* Quod non regulariter obtinet, sed eo tantùm casu, quo pars patrimonij pupillaris est in alia prouincia vltra centesimum miliare, D. eod. l. propter litem.21.§.licèt.
    - *Vel à curatione, non à tutela:* veluti
      - Si quis ei curator detur, cuius tutelam gessit.
      - Si maritus vxori curator detur.
  - *Vel iniusta.* Hæ non excusant: veluti si quis asserat se fuisse ignotum patri pupillorum.
  - *Vel falsa.* Hæ non liberant ab onere tutelæ, licèt iudex eas admiserit.
  - *Vel non probata.* Hæ non obstant, quo minùs aliæ causæ intra statuta tempora proponantur.
- II. *Tempus, intra quod excusationes propons debent.* Sic distinguitur: Is qui ad tutelam vel curam vocatur, habitat
  - Vel intra centesimum miliare.
  - Vel vltra centesimum miliare vsque ad quadringentesimū.
    - His duobus casibus præstituitur tempus quinquaginta dierum.
  - Vltra quadringentesimum miliare. Hoc casu dantur triginta dies vltra dies singulos in singula vicena miliaria ad iter conficiendum tributos.
- III. *An appelletur à datione tutelæ, vel curæ.* Respond. non appellari, sed absque appellatione excusationem proponi.

XVI. De suspectis tutoribus & curatoribus.

De suspectis tutoribus & curatoribus dissoluuntur hæ quæstiones:

- I. *Quo iure constituta est suspecti accusatio?* Resp. Lege xij. tabularum.
- II. *Quinam accusari possunt?* Resp. Omnes tutores, & curatores, etiamsi sint patroni, dummodò horum famæ parcatur, licèt vt suspecti remoueantur.
- III. *Qui possunt accusare?* Hic dantur 4. regulæ:
  1. Omnes ferè possunt accusare.
  2. Etiam mulieres accusare possunt, si pietate moueantur.
  3. Impubes non potest tutorem suum suspectum facere.
  4. Pubes ex consilio necessariarū personarū potest curatorē suum suspectum arguere.
- IV. *Quibus ex causis remouetur, vt suspectus?*
  - Remouetur, si
    - Non ex fide tutelam gerat.
    - Moribus talibus sit, vt tutelam fraudulosè gesturus videatur.
    - Nec prodest ei satisdationis oblatio, quominùs remoueatur.
  - Non remouetur ob paupertatem quasi suspectus, si sit fidelis ac diligens.
- V. *Quis est effectus remotionis?* Distinguitur. nam remotus
  - Ob dolum, notatur infamia iuris.
  - Ob culpam
    - Latam notatur infamia facti.
    - Leuem nulla infamiæ nota adspergitur.
- VI. *Quis est effectus accusationis pendentis?* Resp. Interim accusato interdicitur administratione tutelæ vel curæ.
- VII. *Quomodo iudicium extinguitur?* Resp. Morte accusati.
- VIII. *Quibus casibus non solum remouetur quis vt suspectus, sed etiam alia ratione punitur?*
  1. Si tutor copiam sui non faciat, vt alimenta pupillo decernantur. Hoc casu in possessionem bonorum eius pupillus mittitur: & quæ tempore corrumpuntur, dato curatore distrahuntur.
  2. Si præsens tutor per mendacium neget alimenta posse pupillo decerni.
  3. Si quis data pecunia tutelam redemerit.
  4. Si libertus fraudulenter tutelam gerat filiorum, vel nepotum patroni sui.

  (2.–4.) His casibus tutor ad præfectum vrbi puniendus remittitur.

LIBER II.

XVII. De rebus.

Rerum attributa duo in Institutionibus considerantur:

- I. *Dominiū.* Hîc explicantur tres rerum diuisiones
  - I. Res sunt
    - Vel in patrimonio nostro.
    - Vel extra patrimonium nostrum.
  - II. Quinque sunt rerum genera.
    - 1. *Iure naturali communes*: vt
      - Aër.
      - Aqua profluens.
      - Mare.
      - Litus maris, id est, quatenus hybernus fluctus maximus excurrit
      - (Mare, Litus) Intellige hæc esse communia quoad vsum. nam proprietas est nullius.
    - 2. *Publica*: vt
      - Flumina.
      - Portus.
      - (Flumina, Portus) Ideóque ius piscandi omnibus commune est in portu, & fluminibus.
      - Riparum vsus. Sed earum proprietas est illorum, quorum prædiis hærent.
    - 3. *Vniuersitatis*: vt
      - Theatra.
      - Stadia.
    - 4. *Nullius*: vt res diuini iuris: quales sunt
      - *Sacræ*: quæ ritè per Pontifices Deo sunt consecratæ. Nam si quis sua auctoritate sacrum sibi constituerit, sacrum non est, sed profanum. ¶ Nota ædibus sacris dirutis locum sacrum manère.
      - *Religiosa*. Religiosus locus fit illatione mortui, si inferatur in locum
        - Proprium.
        - Communem purum volente socio. secus, si eo inuito: quamquam in commune sepulchrum etiam socio inuito inferre licet.
        - Cuius vsusfructus alienus est, dummodò vsusfructuarius consentiat.
        - Alienum, domino consentiente, vel ratum habente.
      - *Sancta*: quæ sanctione pœnam eas violantibus irrogante firmatæ sunt: vt
        - Muri ciuitatum.
        - Portæ ciuitatum.
        - Leges.
    - 5. *Singulorum*: quibus acquisitæ sunt
      - *Vel iure gentium.* Vide tab. 18.
      - *Vel iure ciuili.* Vide tab. 22.
  - III. Res sunt
    - *Vel corporales*: quæ sui naturâ tangi possunt: atque hæ sunt
      - *Vel immobiles*, vt prædia
        - *Vrbana*, id est, ædificia habitandi causâ extructa.
        - *Rustica*, id est, agri, & c. prædia non vrbana.
      - *Vel mobiles.* quæ diuiduntur in
        - *Mobiles* propriè dictas, id est, quæ non mouentur à semetipsis, sed ab aliis, vt vestis, aurum, argentum, &c.
        - *Se mouentes*, quales sunt
          - *Serui.*
          - *Bruta animalia.*
    - *Vel incorporales*, quæ sui naturâ tangi non possunt: vt seruitutes, de quibus vide tab. 21.
- II. *Obligatio.* Vide tab. 49.

XVIII. De

III. *De personis.*

Personarum diuisiones duæ sunt:

- *Prima iuris gentium:* quo iure
  - *Alij sunt liberi:* de quibus sciendum
    - 1. *Quid sit libertas.* Est naturalis facultas eius, quod cuique facere libet, nisi si quid vi aut iure prohibeatur.
    - II. *Quotuplex sit liberorũ hominum conditio.*
      - *Alij sunt ingenui.* Ingenuus est, qui statim ac natus est, liber est: id est, cuius mater aut conceptionis, aut partus, aut medio tempore libera fuit. ¶ Ingenuitati non officit fuisse in seruitute, & manumissum esse, si seruitus & manumissio non iuris, sed facti sint, id est, si homo liber cùm pro seruo haberetur, manumissus sit.
      - *Alij sunt libertini,* qui ex iusta seruitute sunt manumissi. ¶ De manumissione sciendũ
        - 1. *Quid sit.* Est de manu seu potestate dimissio, id est, datio libertatis.
        - 2. *Vnde originem habeat.* Iure gentium est introducta.
        - 3. *Quomodo manumitti possit.* Multis modis manumittitur, vt
          - In ecclesia.
          - Vindicta.
          - Inter amicos.
          - Per epistolam.
          - In vltima voluntate.
        - 4. *Quando manumitti possit.* Quocumque tempore, licèt feriato.
        - 5. *Vbi manumitti possit.* Quocumque loco.
        - 6. *Quem effectum habeat manumissio.* Libertatem & ciuitatem Romanam manumisso tribuit.
        - 7. *Quibus casibus, & per quas leges impediatur.* Impeditur
          - *Primò per legẽ Æliã Sentiã,* si
            - *Seruum manumittatur in fraudem creditorum.* ¶ Excipe
              - 1. Nisi quis in testamento seruum suum solum heredem instituerit.
              - 2. Nisi fraus sit vel tantùm in re, vel tantùm in mente manumittentis.
            - *Minor 20. annis alter manumittat, quam vindicta post causam manumittendi in consilio probatam.*
              - ¶ Excipe ex Iustiniani constitutione, nisi maior 17. annis libertatem in testamento relinquat. Hæc exceptio per Non. 119. c. 2. producitur ad maiorẽ 14. annis.
          - *Secundò per legem Fusiam Caniniam,* si plures quàm lex permittat, in testamento sint manumissi. Sed hãc legẽ Iustinian. abrogauit.
  - *Alij sunt serui:* de quib. vide tab. seq.
- *Secunda iuris ciuilis:* de qua vide tab. 5.

IV. *De seruis.*

De seruis sciendum


- 1. *Quid sit seruitus.* Est constitutio iuris gentium; qua quis dominio alieno contra naturam subijcitur.
- 2. *Vnde dicantur serui.* Non dicuntur à seruiendo; quoniam etiam homines liberi, vt mercenarij, seruiunt: sed à seruando; quia Imperatores, id est, bellorum duces solent captiuos seruare, vt eos vendant.
- 3. *Quibus ex causis sint serui.* Causæ sunt: quia
  - *Vel nati sunt ex ancillis.*
  - *Vel in seruitutem redacti sunt*
    - *Iure gentium* per captiuitatem ab hostibus.
    - *Iure ciuili* per venditionem, cùm homo liber maior 20. annis ad pretium participandum patitur se venundari.
- 4. *Quotuplex sit seruorum conditio.* Vna est: quia omnes sunt æquè serui.

V. *De his qui sunt sui vel alieni iuris.*

Iure ciuili

- *Alij sunt alieno iuri subiecti:* vt
  - *Serui* sunt in potestate dominorum.
  - *Filiifam.* sunt in potestate parentum.
- *Alij sunt sui iuris,* id est, patresfamiliarum: qui
  - *Partim sunt in tutela.* Vide tab. 9.
  - *Partim sunt in curatione.* Vide tab. 12.
    - Communia de tutelis, & curationibus proponentur tab. 13.
  - *Partim neutro iure* tenentur.

VI. De dominica & patria potestate.



POTESTAS

- **Dominica**
  - *Originem ducit* à iure gentium; sed limitata est à iure ciuili.
  - *Cõstituitur*
    - *Natiuitate*: cùm quis ex ancilla nascitur. nam partus ventrem sequitur.
    - *Captiuitate*: quia capti ab hostibus, serui capientium fiunt.
    - *Venditione*: cùm homo liber maior xx. annis ad pretium participandum patitur se venundari quasi seruum.
  - *Tollitur* manomissione.
- **Patria**
  - *Est* propria ciuium Romanorum, id est, patris, & aliorum masculorum adscendentium per lineam paternam.
  - *Cõstituitur*
    - *Procreatione ex iustis nuptiis*: de quibus vide tab. seq.
    - *Legitimatione*
      - *Per subsequens matrimonium*, si quis ex concubina, quam poterat vxorem habere, liberos procrearit, deinde cum ea fecerit instrumenta dotalia.
      - *Per oblationem curiæ.*
      - *Per rescriptum principis.* Nou. 89. c. 9.
      - *Per filij nominationem*, si quis filium suum naturalem in publico instrumento simpliciter filium nominauerit. Nou. 117. c. 2.
    - *Adoptione.* Vide tab. 8.
  - *Dissoluitur*
    - *Morte parentis*, nisi sit aliqua persona interiecta, in cuius potestatem post illius mortem liberi recidant.
    - *Deportatione patris, vel filij*: non etiam relegatione.
    - *Seruitute pœnæ.* Hanc Iustinianus sustulit Nou. 22. cap. 8.
    - *Dignitate filij*, veluti si Patricius factus sit. vide Nou. 81.
    - *Emancipatione*: de qua sciendum,
      - 1. *Quid sit.* Definiri potest, actus legitimus, quo parens liberos suos de sua potestate dimittit.
      - 2. *Quotuplex sit.* Triplex est:
        - 1. *Legitima.* i. ex l. xij. tab. per imaginarias venditiones & manomissiones. hæc in desuetudinē abiit.
        - 2. *Anastasiana* ex rescripto principis.
        - 3. *Iustinianea*, voluntate emancipantis apud competentem iudicem declarata.
      - 3. *Quem effectum habeat.* Effectus duplex est:
        - 1. Pater filio intestato est heres legitimus.
        - 2. Si impubes emancipetur, pater fit legitimus eius tutor.
      - 4. *Qui possint emancipari.* Pro libitu emancipantur vel solus filius, vel solus nepos, vel vterque. Eadem est ratio vlteriorū liberorū.
      - 5. *In cuius potestate nascatur nepos ex filio emancipato, vel in adoptionem dato.* Distinguitur. nam si nepos conceptus sit
        - Ante emancipationem patris sui, nascitur in potestate aui naturalis.
        - Post emancipationem patris sui, nascitur in potestate patris.
        - Post adoptionem patris sui, nascitur in potestate aui adoptiui.
  - *Suspenditur* captiuitate patris vel filij. nā si captiuus
    - Apud hostes moriatur, primo captiuitatis momento mortuus fingitur lege Cornelia.
    - Ab hostibus redeat, iure postliminij fingitur semper fuisse in ciuitate.
  - *Transfertur ad alterum*, si filius detur in adoptionem.

VII. De nuptiis.

De nuptiis sciendũ,

- **I.** *Quid sint.* Nuptiæ seu matrimonium (nam his duobus vocabulis eadem res significatur) est viri & mulieris coniunctio, indiuiduam vitæ consuetudinem continens.
- **II.** *Quæ sint iustæ nuptiæ.* Iustæ nuptiæ sunt, quas ciues Romani inter se contrahunt, qui secundùm præcepta legum coëunt.
- **III.** *Qui sint nuptiarum capaces.* Hîc spectatur
  1. *Sexus contrahentium.* Nam masculi cum feminis nuptias contrahunt.
  2. *Ætas.* Masculi namque debent esse puberes, id est, maiores 14. annis: feminæ viri potentes, id est, maiores 12. annis. Sed iure pontificio spectatur potestas coëundi; quia interdum malitia supplet ætatem, extr. de despons. impub. c. 3.
  3. *Ius potestatis.* Tam filij, quàm patres familiarum possunt nuptias contrahere. sed illi debent habere consensum parentum, in quorum potestate sunt, nisi parentes sint furiosi: quo casu loco consensus parentis adhibere oportet auctoritatem magistratus vel episcopi, & eius qui curam furiosi gerit, & præsentiam nobiliorum ex genere ipsius furiosi.
- **IV.** *Quas vxores ducere liceat, vel non.* Hîc spectatur
  - *Cognatio inter*
    - *Parentes & liberos.* Inter quos nuptias indistinctè prohibentur quocumq; gradu, & quocumque tempore, etiamsi per adoptionem aliqua cœperit esse filia, & adoptio per emancipationem sit dissoluta.
    - *Trãsuersales.* Etenim nuptię cum
      - Sorore prohibentur, nisi sit soror adoptiua, & alteruter sit emancipatus à patre.
      - Fratris filia vel nepte prohibentur.
      - Sororis naturalis filia vel nepte prohibentur.
      - Sororis adoptiuæ filia vel nepte permittuntur.
      - Patrueli, vel amitina, vel consobrina permittuntur.
      - Amita licèt adoptiua prohibentur.
      - Matertera prohibentur.
      - Amita magna, vel matertera magna prohibentur.
  - *Affinitas.* Hic nuptiæ cum
    - Nuru, Priuigna, Socru, Nouerca — prohibentur.
    - Compriuigna permittuntur.
    - Filia vxoris post diuortium ex alio viro suscepta, Sponsa filij, vel patris — prohibentur.
- **V.** *Qui sint effectus nuptiarum*
  - *Iustarum.* Hîc distinguimus. aut enim nuptiæ liberorum procreationem
    - Præcedunt: túncque liberi sunt legitimi, & in patris potestate nati.
    - Sequuntur: & liberi per has nuptias legitimantur, dummodò ex ea procreati sint, quæ vxor esse poterat.
  - *Iniustarũ.* His nuptiis irrogantur pœnæ
    - Partim generales. Nam
      1. Nec nuptiæ, nec matrimonium, nec dos esse intelligitur.
      2. Liberi non sunt in potestate patris, sed habentur pro spuriis.
      3. Coniunctione dissoluta, non est locus exactioni dotis.
    - Partim propriæ earum nuptiarum, quæ contra ius diuinum aut naturale contractæ sunt.
      1. Contrahentes notantur infamia, Nou. 12. ca. 1. & iij. q. 4. c. consanguineorum. & xxxv. q. 2. c. coniunctiones.
      2. Contrahentes mittuntur in exilium, d. Nou. 12. c. 1.
      3. Si sint viles personæ, verberib. afficiũtur, d. Nou. 12. c. 1.
      4. Bona confiscantur, nisi extent filij legitimi, quib. applicantur, ita vt parentem alere debeant, d. Nou. 12. c. 1.
      5. Si liberi legitimi extent, patria potestate liberantur, d. Nou. 12. c. 2.
      6. Liberi incestuosi non succedunt patri, nec sunt ab eo alendi iure ciuili, Nou. 89. c. vlt. ex æquitate tamen canonica eis debentur alimenta, extr. de eo qui du. in matr. quam poll. per adulter. c. 5. in fi.

VIII. De adoptionibus.

De adoptione sciẽdum

- I. *Quid sit.* Definitur
  - *A Theophilo* Actus legitimus, naturam imitans, ad eorum qui liberos non habent, solatium inuentus.
  - *A Caio* libro 1. Instit. tit. 5. Naturæ similitudo, vt aliquis filium habere possit, quem non generauit.
- II. *Quotuplex sit.* Duplex est,
  - 1. *Adoptio specialis*, qua filiusfamiliâs adoptatur imperio magistratus.
  - 2. *Arrogatio*, qua paterfam. arrogatur ex rescripto principis.
- III. *An valeat.* In hac quæstione spectamus
  - *Adoptantem & adoptatum.* Nam impedimentum est
    - *Quandoque in adoptato:* vt quia impubes non potest arrogari, nisi tria concurrant:
      - 1. *Causæ cognitio*, vt constet causam arrogandi esse honestam, & pupillo vtilem.
      - 2. *Permissio magistratus* causam arrogandi cognoscentis, & probantis.
      - 3. *Satisdatio*, qua arrogator tabulario cauet de bonis per pupillum ad se translatis restituendis, si is in pupillari ætate decesserit.
    - *Quandoque in adoptante*, veluti si sit
      - *Castratus*, nam spadonibus adoptare licet, exceptis castratis.
      - *Femina*, quæ adoptare non potest, nisi ex permissu principis ad solatium liberorum amissorum.
    - *Quandoque in vtraque persona simul considerata*, veluti si adoptare velit
      - Filiumfam. extraneus, id est, qui non est eius parens naturalis.
      - Minorem natu maior. Nam opus est, vt adoptans sit octodecim annis maior adoptato.
  - *Dantem in adoptionem.* Hic dantur duæ regulæ
    - 1. Tam adoptiui quàm naturales parentes possunt liberos suos, quos in potestate habent, in adoptionem dare.
    - 2. Cùm nepos in adoptionem datur ab auo, sufficit aui consensus, nec est necesse vt etiam filius consentiat.
  - *Gradum, in quem aliquis adoptatur.* Hic dantur tres regulæ
    - 1. In locum nepotis, vel pronepotis, vel vlteriorem adoptare potest etiam is qui filium non habet.
    - 2. Tam filium alienum adoptare licet in locum nepotis, quàm nepotem in locum filij.
    - 3. Cùm in locum nepotis quasi ex filio naturali vel adoptiuo aliquis adoptatur, filij consensus requiritur, ne ei inuito suus heres adgnascatur, quia in eius potestatem nepos morte aui est recasurus.
- IV. *Quos effectus pariat.* Effectos est
  - *Adoptionis in genere*, vt adoptatus subiiciatur potestati adoptantis.
  - *Adoptionis specialis*, vt patria potestas transferatur à dante in adoptionem, ad eum qui adoptat.
  - *Arrogationis* multiplex
    - 1. Bona arrogati transeunt ad arrogatorem.
    - 2. Si arrogatus liberos habebat in potestate, hi quoque subiiciuntur potestati arrogantis quasi nepotes.
    - 3. Si impubes arrogetur, deinde emancipetur, vel exheredetur
      - Ex iusta causa: bona sua recipit, quæ ad arrogatorem transtulerat.
      - Sine iusta causa: arrogator non solùm eius bona, sed etiam quartam suorum bonorum partem ei restituit.
  - *Quasi adoptionis*, vt si seruus adoptetur, vel nominetur filius apud acta, libertatem quidem consequatur: sed ius filij non acquirat.

I X. *De tutelis.*

De tutela hæc explicantur:


- I. *Quid sit.* Est vis ac potestas in capite libero ad tuendum eum, qui per ætatem se defendere nequit, iure ciuili data ac permissa. Tutores autem sunt, qui eam vim ac potestatem habent.
- I I. *Vnde dicatur.* A tuendo: quia tutoris officium est tueri pupillum.
- I I I. *Quotuplex sit.* Triplex est, nempe
  - *Testamentaria*, de qua scien-
    - I. *Qui & quibus dent tutores.* Parẽtes tutoré dare
      - Possunt
        - Liberis impuberibus, quos in potestate habent, in alterius potestatem non recasuris.
        - Postumis, qui si viuo parente nascerentur, sui heredes nascerentur.
      - Non possunt emancipatis. Si tamen eis tutorem dent, ea datio confirmabitur à magistratu sine inquisitione.
    - I I. *Qui possint dari tutores.* Hîc ponũtur plures regulæ.
      - 1. *Tam filiusfam. quàm paterfam.* tutor dari potest.
      - 2. *Seruus testatoris*
        - *Purè* dari potest
          - *Vel cum libertate.*
          - *Vel sine libertate*: quia tacitè libertas relicta videtur (nisi per errorem datus sit, cùm falsò haberetur pro homine libero) vel directa, vel fideicommissaria; prout hanc, vel illam seruus elegerit.
        - *Sub conditione*, Cùm liber erit, dari non potest.
      - 3. *Seruus alienus*
        - *Purè* tutor constitui non potest.
        - *Sub conditione*, cùm liber erit, tutor dari potest.
      - 4. *Furiosus, vel minor* 25. *annis*, tutor testamẽto datus, tunc erit tutor, cùm mentis compos, aut maior 25. annis fuerit factus.
    - I I I. *Quomodo tutores dentur.* Hîc traduntur tres regulæ:
      - 1. Vsque ad certum tempus, vel ex certo tempore, vel sub conditione tutor dari potest.
      - 2. Ante heredis institutionem tutor dari potest.
      - 3. Certæ rei, vel causæ tutor dari non potest.
    - I V. *Quibus intelligatur datus tutor.* Hîc dissoluuntur sequentes quæstiones:
      - 1. An appellatione liberorum contineantur postumi. Respondetur, contineri.
      - 2. An appellatione filiorum contineantur nepotes. Respond. non contineri.
      - 3. An appellatione liberorũ contineantur nepotes. Resp. cõtineri.
      - 4. Postumorum appellatione qui contineantur. Resp. cõtineri postumos cuiuscũq; grad⁹: siue sint filij, siue nepotes, siue vlteriores.
  - *Legitima*: vide tab. seq.
  - *Datiua*: cùm testamentario & legitimo tutore deficiente, magistratus tutorem dat.
- I V. *Cur sit introducta.* Vt is, qui per ætatem se regere nequit, alterius cura regatur.
- V. *Effectus*: qui duo præcipui sunt:
  - 1. *Tutoris administratio*, cuius rationem reddit post tutelam finitam.
  - 2. *Tutoris auctoritas*, quæ modò est modò nõ est necessaria. nã pupillus
    - Conditionem suam deteriorem facere sine tutore non potest.
    - Conditionem suam meliorem sine tutore facere potest.
    - Hereditatem adire, vel bonorum possessionem petere nõ potest, nisi tutore auctore.
    - Cum vno ex tutoribus litigat altero tutore auctore, D. de testam. tut. l. si plures. 24. & C. de in li. dan. tu. vel cura. l. 1. Si verò vnum tutorem habeat, curatorem hoc iure accipit ad litem cum eo tutore exercendam. Sed ex Nou. 72. alius tutor, vel curator adiungitur.
- V I. *Quibus modis finitur.* Vide tab. 11.

X. *De legitima tutela.*

Legitima tutela defertur


- *Vel ex lege xij. tabularum*, id est,
  - *Vel ex verbis legis.* Hinc, si ex testamento nullus tutor sit, tutela defertur adgnatis proximis. ¶ *Adgnatio* est per virilis sexus personas cognatio, quæ nõ est per capitis deminutionẽ dissoluta. ¶ *Capitis deminutio* est prioris status mutatio, & est triplex, videlicèt
    - *Maxima*, cùm libertas & ciuitas amittitur. Quod accidit
      - Seruis pœnæ.
      - Libertis, qui ob ingratitudinẽ erga patronos reuocantur in seruitutem.
      - Maiorib. 20. annis, qui ad pretium participandum sese venundari patiũtur.
    - *Minor seu media*, cùm ciuitas amittitur, libertas retinetur. Quod accidit
      - His, quibus aqua & igni interdicitur.
      - Deportatis.
    - *Minima*, cùm retenta libertate & ciuitate, status hominis commutatur. Quod accidit
      - Arrogatis.
      - Emancipatis.
  - *Vel ex sententia & interpretatione legis.* Hinc defertur
    - Patrono tutela liberti, quem impuberem manumisit.
    - Parenti tutela filij, vel nepotis, quẽ impuberem emancipauit.
- *Vel ex nouo iure.* Hinc post mortem parentis, qui tutor legitimus fuerat, in tutelam succedunt liberi eius, qui virilis sexus sunt, & perfectæ ætatis.

XI. *Quibus modis tutela finitur.*




- **Tutela finitur**
  - *Ex perſona pupilli,* ſi
    - *Pubes fiat*, id eſt, ſi maſculus fiat maior 14. annis, aut femina fiat maior 12. annis.
    - *Capite minuatur.*
    - *Moriatur.*
  - *Ex perſona tutoris*, ſi
    - *Moriatur.*
    - *Capite minuatur.* Sed hîc diſtinguitur. nam capitis deminutio tutoris
      - Maxima, Media: quamcumque tutelam perimit.
      - Minima:
        - Iure inſtitutionum tantùm legitimam adgnatorum tutelam tollit.
        - Iure nouiſſimo nullam tutelam perimit, vt colligitur ex Nou. 118. cap. 5.
    - *Excuſetur.*
    - *Remoueatur vt ſuſpectus.*
  - *Ex euentu extrinſeco*, ſi
    - *Conditio exiſtat*, vſque ad quam tutor datus eſt.
    - *Dies veniat*, vſque ad quem tutor datus eſt.

XII. *De curatoribus.*




- **De curatoribus ſciendum eſt**
  - I. *Quibus dentur.* Dantur
    - *Adoleſcentibus*: non tamen inuitis, præterquàm ad litem. curator enim ad certam cauſam dari poteſt.
    - *Furioſis, Prodigis, Mente captis, Surdis, Mutis, Perpetuo morbo laborantibus*: qui ſunt maiores 25. annis.
    - *Pupillis* interdum: veluti ſi tutor
      - Non ſit idoneus, dolo tamen careat.
      - Ad tẽpus ſit excuſatus
      - His caſibus non datur alius tutor: quia tutorem habenti tutor dari non poteſt.
      - Si verò tutor aduerſa valetudine, vel alia neceſſitate impediatur, quominùs negotia pupilli gerat, & pupillus vel abſit vel infans ſit, magiſtratus tutorem periculo tutoris conſtituet, quem ipſe tutor velit.
  - II. *A quibus dentur.*
    - Dantur ab iiſdem magiſtratibus, à quibus dantur tutores. Quanquam furioſi & prodigi ex lege 12. tabularum ſunt in proximorum adgnatorum curatione.
    - Non dantur teſtamento.

XIII. *Communia de tutoribus & curatoribus.*



- **Communia tutoribus & curatoribus ſunt,**
  - *Satiſdatio*: de quo vide tab. ſeq.
  - *Excuſatio*: de qua vide tab. 15.
  - *Remotio ob crimen ſuſpecti*: de qua vide tab. 16.

XIV. *De ſatiſdatione tutorum, vel curatorum.*



- **De satisdatione tutorum, & curatorum videndum eſt,**
  - I. *Qui ſatiſdet.* Satiſdare coguntur tutores & curatores, niſi ſint teſtamẽto vel ex inquiſitione dati. Verùm ſi duo teſtamento vel ex inquiſitione dati ſint: vnus alteri optionem deferre poteſt, vtrùm malit ſatiſdare & ſolus adminiſtrare, an ſatis accipere & adminiſtrationem relinquere. Nemine autem ſatiſdationem offerente, ille geret, cui teſtator vel maior tutorũ ſeu curatorum pars adminiſtrationem commiſit. his verò circa eligendum eum, vel eos, qui gerere debent, diſſentientibus, prætor auctoritatem ſuam interponet.
  - II. *Qui ex hac ſatiſdatione teneantur.*
    - Tenentur
      1. Tutores, vel curatores.
      2. Heredes tutorum, & curatorum.
      3. Fideiuſſores à tutoribus vel curatoribus dati.
      4. Heredes fideiuſſorum.
      5. Qui ſatiſdationem exigere ſolent: vt magiſtratus municipales, & ſcribæ. Aduerſus hos datur actio ſubſidiaria, ſiue nullos, ſiue non idoneos fideiuſſores acceperint.
      6. Heredes eorum, qui ſatiſdationem exigere ſolent.
    - Non tenentur maiores magiſtratus, qui tantùm dare tutores, non etiam ſatiſdationem ab eis exigere ſolent: vt præſides prouinciarum.
  - III. *Quid faciendum ſi tutores vel curatores ſatiſdare nolint.* Pignoribus captis coërcentur.

XV. De excusationibus.

De excusationibus tutorum vel curatorũ hæc declarantur:

- **I. Causa excusationis: quæ sunt**
  - *Vel iusta, vera & probata, atq; hæ excusant*
    - *Vel à tota tutela, siue curatione, vt*
      - 1. *Numerus liberorum.* Hic dátur quinque regulæ:
        - 1. Nihil refert, vtrùm liberi sint in potestate, an emancipati.
        - 2. Oportet esse tres liberos Romæ, vel quatuor in Italia, vel quinque in prouincia.
        - 3. Adoptiui liberi non prosunt, naturales, licè: iu adoptionem dati, prosunt.
        - 4. Nepotes ex filio prosunt, quia in locum patris sui succedunt, & eum repræsentant: ex filia non prosunt.
        - 5. Debent esse liberi superstites, vel in acie defuncti.
      - 2. *Administratio rerum fiscalium.* Hæc quamdiu durat, tamdiu excusat.
      - 3. *Absentia reipub. causa.* Hinc aliquis excusatur, quamdiu abest: & interim in eius locum curator datur. cùm autem reuersus erit, siquidem tutela sit antiquior quàm absentia, statim eam recipiet. si verò absentiæ tempore tutela delata sit, anni vacatio post reditum indulgetur.
      - 4. *Potestas,* id est, imperium. Hinc excusatur quis a tutela suscipienda, non à suscepta.
      - 5. *Lis cum pupillo vel adulto* de omnibus bonis, vel de hereditate.
      - 6. *Tria onera tutelæ vel curæ.* Hic plura sunt notanda.
        - 1. Tutela vel cura affectata nõ prodest volenti se excusare.
        - 2. Hinc datur excusatio, quamdiu tutelæ vel curæ administrantur.
        - 3. Non tam totelarum vel curationum, quàm onerum numerus spectatur. Nam tres tutelæ vel curæ vnum onus facere possunt. cùm patrimonium pupillis vel iis qui in curatione sunt, commune est & indiuisum. contra vna tutela valde diffusa & negotiosa excusationem præbet. D.h.t.l.si is qui.31.§.vlt.
        - 4. Tutela honoraria (i. cùm quis honoris causâ, non vt gerat, tutor datur) ad excusandum non valet. D. eod. l. ὁπόσοντα.15.§.ἀλλ' ἐπὶ τῆς πόλεως.
      - 7. *Paupertas,* qua oppressus non potest tutelam gerere.
      - 8. *Imperitia literarum,* nisi rerum experientia hunc defectum suppleat.
      - 9. *Si tutor datus sit propter inimicitias,* id est, non fauore pupilli, sed odio ipsius tutoris, vt huic oneri subiaceat, & tutelæ iudicio vexetur.
      - 10. *Inimicitiæ capitales* cum patre pupilli, vel adulescentis, nisi reconciliatio secuta sit.
      - 11. *Si quis statim controuersiam à patre pupillorum passus sit.*
      - 12. *Ætas maior septuaginta annis.* Minores autem viginti quinque annis ne quidem volentes ad tutelam vel curam gerendam admittuntur, quemadmodum nec milites.
      - 13. *Ars grammatica, vel rhetorica, vel medica;* si quis eam Romæ, vel in patria sua exerceat, & intra statutum numerum sit. De quo numero vide l.6.§.1.D.h.t.
    - *Vel à parte tutelæ.* Quod non regulariter obtinet, sed eo tantùm casu, quo pars patrimonij pupillaris est in alia prouincia vltra centesimum miliare, D. eod. l. propter litem.21.§.licèt.
    - *Vel à curatione, non à tutela:* veluti
      - Si quis ei curator detur, cuius tutelam gessit.
      - Si maritus vxori curator detur.
  - *Vel iniusta.* Hæ non excusant: veluti si quis afferat se fuisse ignotum patri pupillorum.
  - *Vel falsa.* Hæ non liberant ab onere tutelæ, licèt iudex eas admiserit.
  - *Vel non probata.* Hæ non obstant, quo minus aliæ causæ intra statuta tempora proponantur.
- **II. *Tempus, intra quod excusationes proponi debent.*** Sic distinguitur: Is qui ad tutelam vel curam vocatur, habitat
  - Vel intra centesimum miliare. / Vel vltra centesimum miliare vsque ad quadringentesimũ. — His duobus casibus præstituitur tempus quinquaginta dierum.
  - Vltra quadringentesimum miliare. Hoc casu dantur triginta dies vltra dies singulos in singula vicena miliaria ad iter conficiendum tributos.
- **III. *An appelletur à datione tutelæ, vel curæ.*** Respond. non appellari, sed absque appellatione excusationem proponi.

XVI. De suspectis tutoribus & curatoribus.

De suspectis tutoribus & curatoribus dissoluitur hæ quæstiones

- I. *Quo iure constituta est suspecti accusatio?* Resp. Lege xij. tabularum.
- II. *Quinam accusari possunt?* Resp. Omnes tutores,& curatores, etiamsi sint patroni, dummodò horum famæ parcatur, licèt vt suspecti remoueantur.
- III. *Qui possunt accusare?* Hic dátur 4. regulæ:
  - 1. Omnes ferè possunt accusare.
  - 2. Etiam mulieres accusare possunt, si pietate moueantur.
  - 3. Impubes non potest tutorem suum suspectum facere.
  - 4. Pubes ex consilio necessariarū personarū potest curatorē suum suspectum arguere.
- IV. *Quibus ex caussis remouetur, vt suspectus?*
  - Remouetur, si
    - Non ex fide tutelam gerat.
    - Moribus talibus sit, vt tutelam fraudulosè gesturus videatur.
    - Nec prodest ei satisdationis oblatio, quominùs remoueatur.
  - Non remouetur ob paupertatem quasi suspectus, si sit fidelis ac diligens.
- V. *Quis est effectus remotionis?* Distinguitur. nam remotus
  - Ob dolum, notatur infamia iuris.
  - Ob culpam
    - Latam notatur infamia facti.
    - Leuem nulla infamiæ nota adspergitur.
- VI. *Quis est effectus accusationis pendentis?* Resp. Interim accusato interdicitur administratione tutelæ vel curæ.
- VII. *Quomodo iudicium extinguitur?* Resp. Morte accusati.
- VIII. *Quibus casibus non solùm remouetur quis vt suspectus, sed etiam alia ratione punitur?*
  - 1. Si tutor copiam sui non faciat, vt alimenta pupillo decernantur. Hoc casu in possessionem bonorum eius pupillus mittitur: & quæ temporecorrumpuntur, dato curatore distrahuntur.
  - 2. Si præsens tutor per mendacium neget alimenta posse pupillo decerni.
  - 3. Si quis data pecunia tutelam redemerit.
  - 4. Si libertus fraudulenter tutelam gerat filiorum, vel nepotum patroni sui.
  - (2.–4.) His casibus tutor ad præfectum vrbi puniendus remittitur.

LIBER II.

XVII. De rebus.

Rerum attributa duo in Institutionibus considerantur:

- I. Dominii. Hic explicantur tres rerum diuisiones
  - I. Res sunt
    - Vel in patrimonio nostro.
    - Vel extra patrimonium nostrum.
  - II. Quinque sunt rerum genera.
    - 1. *Iure naturali communes*: vt
      - Aer.
      - Aqua profluens.
      - Mare.
      - Litus maris, id est, quatenus hybernus fluctus maximus excurrit
      - (Mare, Litus) Intellige hæc esse communia quod ad vsum. nam proprietas est nullius.
    - 2. *Publica*: vt
      - Flumina.
      - Portus.
      - (Flumina, Portus) Ideóque ius piscandi omnibus commune est in portu, & fluminibus.
      - Riparum vsus. Sed earum proprietas est illorum, quorum prædiis hærent.
    - 3. *Vniuersitatis*: vt
      - Theatra.
      - Stadia.
    - 4. *Nullius* vt res diuini iuris: qua les sunt res
      - *Sacræ*: quæ ritè per Pontifices Deo sunt consecratæ. Nam si quis sua auctoritate sacrum sibi constituerit, sacrum non est, sed profanum. ¶ Nota ædibus sacris dirutis locum sacrum manere.
      - *Religiosa*. Religiosus locus fit illatione mortui, si inferatur in locum
        - Proprium.
        - Communem purum volente socio. Secùs, si eo inuito: quamquam in commune sepulchrum etiam socio inuito inferre licet.
        - Cuius vsusfructus alienus est, dummodò vsufructuarius consentiat.
        - Alienum, domino consentiente, vel ratum habente.
      - *Sanctæ*: quæ sanctione pœnam eas violantibus irrogante firmatæ sunt: vt
        - Muri
        - Portæ
        - (Muri, Portæ) ciuitatum.
        - Leges.
    - 5. *Singulorum*: quibus acquisitæ sunt
      - *Vel iure gentium*. Vide tab. 18.
      - *Vel iure ciuili*. Vide tab. 22.
  - III. Res sunt
    - *Vel corporales*: quæ sui naturâ tangi possunt: atque hæ sunt
      - *Vel immobiles*, vt prædia
        - *Vrbana*, id est, ædificia habitandi caussâ extructa.
        - *Rustica*, id est, agri, & cæt. prædia non vrbana.
      - *Vel mobiles*. quæ diuiduntur in
        - *Mobiles* propriè dictas, id est, quæ non mouentur à semetipsis, sed ab aliis, vt vestis, aurum, argentum, &c.
        - *Se mouentes*, quales sunt
          - *Serui*.
          - *Bruta animalia*.
    - *Vel incorporales*, quæ sui naturâ tangi non possunt: vt seruitutes, de quibus vide tab. 21.
- II. *Obligatio*. Vide tab. 49.

XVIII. Quibus modis dominium iure gentium acquiritur.

IVRE GENTIVM dominiũ acquiritur quinque modis:

- I. *Occupatione eorũ, quæ sunt nullius.* Occupãtur autẽ
  - 1. *Feræ bestiæ, & volucres, & pisces.* Quod, vt meliùs intelligatur, tria animalium genera distinguuntur. Nam
    - Alia sunt omnino fera, de quibus dantur hæ regulæ:
      - 1. Iure gentium fiunt occupantis: siue quis ea in suo solo capiat, siue in alieno, quamquàm à domino fundi prohiberi potest, ne ingrediatur.
      - 2. Manent in dominio occupantis, donec eius custodiã coërcentur: quam euadentia, in naturalem libertatem se recipiunt, & iterum occupanti conceduntur.
      - 3. Vulneratione quamuis lethali non acquiruntur: quia opus est corporali apprehensione.
    - Alia sunt omnino mansueta: quæ licèt conspectum domini effugerint, tamen, vbicunque sint, eius manent, & qui ea lucrandi animo detinet, furtum committit.
    - Alia sunt mansuefacta, id est, natura fera, consuetudine mansueta. Hæc nostra manent, quamdiu eundi & redeundi consuetudinem retinent, cùm autem reuerti desierint, nostra esse desinunt, & occupanti conceduntur.
  - 2. *Lapilli, gemmæ, & cætera, quæ in litore maris inueniuntur.* Hoc tamen non obtinet in iis, quæ in tempestate nauis leuandæ causa in mare eiecta, deinde fluctibus ad litus expulsa sunt: nam hæc eiusdem domini manent: & qui ea lucrandi animo aufert, furtum committit.
  - 3. *Insula in mari nata.*
  - 4. *Thesaurus* ante omnem memoriam depositus, ita vt dominum non habeat, D. de acqu. rer. dom. l. nonquam. 31. §. 1. De hoc distinguitur. nã inuenitus in loco
    - Proprio, totus inuentori conceditur.
    - Sacro / Religioso } totus inuentori conceditur.
    - Alieno, diuiditur inter dominum soli, & inuentorem.
    - Cæsaris; pro dimidia parte est inuentoris, pro altera dimidia est Cæsaris.
    - Fiscali, diuiditur inter inuentorem & fiscum.
    - Ciuitatis, diuiditur inter inuentorem & ciuitatem.
    - His casib. supponim' thesaurum fortuitò, nõ data opera inoẽtũ esse.
  - 5. *Habita pro derelicto.* Sed non habentur pro derelicto, quæ in tempestate nauis leuandæ causa in mare proiiciuntur: nec quæ de rheda currente cadunt domino inscio.
- II. *Capiendo ex hostibus.* Quod adeo verum est, vt etiam liberi homines hoc modo in seruitutem deducantur. sed si nostram potestatem euaserint, & ad suos reuersi fuerint, pristinum statum recipiunt.
- III. *Percipiendo fructus:* de quibus distinguitur. aut enim eos percipit
  - *Dominus fundi:* & sine dubio fructus ad eum pertinent: sed hic non acquirit fructus percipiendo, quia etiam ante perceptionem erat dominus.
  - *Bonæ fidei possessor.* qui si possideat ex causa
    - *Onerosa,* vt emptionis, lucratur quoscumque fructus.
    - *Lucratiua,* vt donationis, lucratur tantùm fructus industriales, vt frumentum; non merè naturales, vt poma, fœnum, nisi eos consumpserit.
  - *Fructuarius:* qui quidem omnes fructus acquirit, dummodò aut ipse eos percipiat, aut alius eius nomine, D. de vsufr. l. arboribus. 12. §. vltim. & de vsur. l. qui scit. 25. §. pen.
  - *Colonus:* hic omnes fructus acquirit, à quocunque percepti fuerint, D. de furt. l. si apes. 26.
- IV. *Accessione.* Vide tab. seq.
- V. *Traditione,* id est, cùm quis rem sibi traditam accipit. Vide tab. 20.

XIX. Quæ

XIX. *Quæ res accessionis vice aliis rebus cedant.*

Accessionvm varia sunt genera.

- I. *Partus vel fœtus sequitur ventrem.* vnde nata ex animalibus nostris feminis nostra sunt.
- II. *Quod per alluuionem alicui prædio adiicitur, ei cedit.* Alluuio est incrementum latens, quod paulatim fit. ideóque distinguitur à vi fluminis, quæ vno impetu terram secum trahens, eius dominium non mutat.
- III. *Insula in flumine nata cedit prædiis, quorum ripis propinquior est*, siue ex vna, siue ex vtraque fluminis parte. Sed si flumen in duo cornua diuisum, & inferius vnitũ, agrum alicuius in formam insulæ redegerit, eiusdem domini ager manet, cuius antea fuerat.
- IV. *Alueus à flumine relictus cedit vicinis prædiis.* Nouus autem alueus fit iuris publici: & si postea à flumine relinquatur, stricto iure inspecto cederet proximis prædiis: sed ex bono & æquo prioribus dominis restituitur, D. de acq. rer. dom. l. 7. §. quòd si toto. Inundatio autem fluminis non mutat agri speciem: proinde recedente aqua, ager ipso iure veteri domino restituitur, D. quib. mod. vsusfr. amitt. l. si aget. 23.
- V. *Cùm quis ex aliena materia, vel partim ex sua, partim ex aliena nouam speciem facit*: sic distinguitur: Si res ad pristinam & rudem materiam reuerti —
  - Possit, vt cùm ex auro, vel ære factum est vas, forma cedit materiæ: & ille est dominus vasis, qui erat auri vel æris dominus.
  - Non possit, vt cùm ex vuis factum est vinum, vel ex vino & melle mulsum, materia cedit formæ: & ille est dominus, qui speciem fecit. Caue autem intelligas nouam speciem fieri, cùm tantùm detegitur, quæ latebat. cùm enim aliquis ex alienis spicis frumentum excutit, non fit dominus frumenti, D. de acq. rer. do. l. 7. §. cùm quis.
- VI. *Intextum cedit vestimento.*
- VII. *Partes cedunt toti*, & totum commune est, cùm materiæ duorum dominorum, siue sint eiusdem, siue diuersi generis, eorum voluntate aut casu fortuito confusæ sint. Commixtio autem rerum proprietatem non mutat. Confundi dicuntur liquida, vt vina: commisceri solida, vt frumenta.
- VIII. *Superficies cedit solo*, vt
  - *Ædificiũ*,
    - Siue quis in suo solo ex aliena materia ædificauerit. Non tamen dominus materiæ desinit dominus eius esse: sed tantisper dum ædificium manet, nec vindicare eam potest, nec ad exhibendum de ea agere, ne ædificia rescindantur, & vrbs ruinis deformetur: sed duplum petere potest actione de tigno iuncto ex lege xij. tabularum. Appellatione autem tigni omnis materia significatur, ex qua ædificia fiunt. Ædificio verò diruto, nisi iam duplum sit consecutus, potest rem vindicare, vel ad exhibendum agere.
    - Siue ex sua materia in alieno solo ędificauerit. Hoc casu —
      - Si mala fide ædificauit, materiam amittit, & nec eius pretium, nec impensas seruare potest.
      - Si bona fide ædificauit, doli mali exceptione dominum vindicantem summouebit, nisi materiæ pretiũ & impensas restituat.
  - *Planta*, quæ solo cedit ex eo tempore, quo radices egit,
    - Siue quis in alieno solo suam plantam posuerit.
    - Siue alienam plantam in suo solo posuerit.
  - *Sata.* Sed qui bona fide in alieno fundo seuit, per doli mali exceptionem impensas à domino recipiet.
- IX. *Scriptura cedit chartæ.* Sed dominus chartam vindicans, doli mali exceptione repellitur, nisi pretium scripturæ soluat ei, qui bona fide scripsit.
- X. *Tabula picturæ cedit* ex speciali priuilegio. Sed pictor directa actione rem vindicans summouetur doli exceptione, nisi pretium tabulæ soluat. Contrà quoque dominus tabulæ vtilem mouens rei vindicationem, doli exceptione repellitur, si pretium picturæ soluere nolit.

XX. *De traditione.*

Traditio duplex est:

- I. *Vera traditio*, quæ vt dominium trãsferat: plura requiruntur:
  1. Vt dominus rem tradat, aut alius domini voluntate.
  2. Vt res tradatur ex causa idonea ad dominium transferendum, vt venditionis, donationis, dotis.
  3. Si ex causa venditionis res tradatur, vt emptor pretium soluerit, vel alio modo emptori satisfecerit, aut saltem eius fidem venditor secutus sit.
- II. *Quasi* traditio: vt
  1. *Traditio rei incorporalis.*
  2. *Cùm traditionem ex causa non idonea ad transferendum dominium sequitur causa idonea ad dominium transferendum*: veluti si rem, quam ex causa depositi vel commodati tibi tradideram, mox tibi vendam.
  3. *Si traduntur claues horrei, in quo sunt merces venditæ: aut claues cellæ, in quo est vinum venditum.* D. de acq. poss. l. 1. §. pen. Intellige claues traditas in conspectu horrei, vel cellæ, D. de contrah. emp. l. clauibus. 74.
  4. *Collatio in incertam personam*: veluti cum —
     - Missilia iaciuntur in vulgus.
     - Res habetur pro derelicta.

XXI. *De seruitutibus.*

SERVITVS est ius, quo res aliena nobis, vel rei nostræ seruit: & est duplex, nimirum


- *Realis, seu prædialis,* qua prædiũ prædio seruit. De hac tria docẽtur:
  - I. *Species.* Est enim
    - *Vel rustica,* quæ debetur prędio rustico, vt
      - *Iter,* quod est ius eundi ambulandi hominis.
      - *Actus,* id est, ius agendi iumentum, vel vehiculum.
      - *Via,* id est, ius eundi, & agendi, & ambulandi hominis.
      - *Aquæductus,* id est, ius aquæ ducendæ per fundum alienum.
      - *Aqua haustus.*
      - *Pecoris ad aquam appulsus.*
      - *Ius pascendi.*
      - *Ius calcis coquendæ.*
      - *Ius arenæ fodiendæ.*
    - *Vel vrbana,* quæ debetur prædio vrbano, id est, ædificio, veluti
      - *Vt vicinus onera vicini sustineat.*
      - *Vt in parietem eius liceat vicino lignum immittere.*
      - *Vt stillicidium vel flumen aliquis in ædes suas vel aream, vel cloacam, recipiat.*
      - *Ne stillicidium aut flumen recipiat.*
      - *Ne altius tollat ædes suas.*
      - *Ne luminibus vicini officiat.*
  - II. *Cur dicantur seruitutes prædiorum.* Nimirum quia prædiis debentur, nec sine prædiis constitui possunt.
  - III. *Quibus modis constituantur.* Constituũtur
    - *Vel inter viuos,* vt pactionibus & stipulationibus.
    - *Vel in vltima voluntate,* veluti si in testamento legentur.
- *Personalis:* quæ debetur personæ, nec egreditur personã, vt
  - *Vsusfructus:* de quo sciendum
    - I. *Quid sit.* Est ius alienis rebus vtendi fruendi, salua earum substantia.
    - II. *Quibus modis constituatur.* Constituitur
      - Vel in vltima voluntate, vt legato.
      - Vel inter viuos, vt pactionibus & stipulationibus.
    - III. *In quibus rebus cõstituatur.* Vsusfructus
      - Propriè dictus in iis rebus constituitur, quæ in vsu cõsistunt, id est, quæ vsu non consumuntur, vt ædibus, fundo, iumentis, &c.
      - Impropriè dictus constituitur in rebus quæ cõsistunt in abusu, id est, quæ vsu consumuntur, vt vino, oleo, frumento, pecunia numerata, &c. quarum rerum fructuarius dominium accipit cautione præstita de eadem quantitate, vel de eius æstimatione restituenda, cùm mortuus, aut capite minutus fuerit.
    - IV. *Quib. modis finitur.* Hi modi sunt plures.
      1. *Fructuarij mors.*
      2. *Fructuarij maxima, vel media capitis deminutio.*
      3. *Si fructuarius non vtatur vt bonus paterfamilias.*
      4. *Si fructuarius non vtatur per decem annos inter præsentes, vel viginti inter absentes.*
      5. *Cessione,* si fructuarius proprietario vsumfructum cedat. Extraneo autem cedi non potest.
      6. *Consolidatione,* id est, si fructuarius proprietatem acquirat.
      7. *Rei interitu.*
    - V. *Quò reuertatur cùm finitus est.* Ad proprietatem redit, & cum ea iungitur.
  - *Vsus,* qui
    - *Constituitur* / *Finitur* — iisdem modis, quibus vsusfructus.
    - *Minus iuris continet quàm vsusfructus.* Nã qui habet vsum
      - Fundi,
        - Nihil vlterius habere intelligitur, quàm vt oleribus, pomis, floribus, fœno, frumentis & lignis ad vsum quotidianum vtatur.
        - In eo fundo hactenus morari potest, vt neq; domino fundi molestus sit, neque iis per quos opera rustica fiunt, sit impedimento.
        - Nulli alij ius quod habet, locare, aut vendere, aut gratis concedere potest: cũ fructuari' possit hęc omnia facere.
      - Ædium, ipse inhabitare potest cùm sua familia, & hospitem recipere, non ius suum ad alium transferre.
      - Serui, aut iumenti, ipse tantùm eo vti potest.
      - Pecorum vel ouium, his vtitur ad stercorandum agrum: sed neq; lacte (nisi modico, D.h.t l.plenum.12.§.sed si pecoris.) neque agnis, neque lana vtitur.
  - *Habitatio,* quæ ab vsufructu, & ab vsu distinguitur, ac locari potest. Neque autem non vtendo amittitur, neque capitis deminutione, D.h.t.l.si habitatio.10.in prin.

XXII. *De dominio iure ciuili acquirendo.*

Ivra ciuili dominium acquiritur

- *Particulariter.* Hic agitur de
  - *Modis acquirendi:* qui quidem duo sunt
    - I. *Vsucapio:* de qua dissoluendæ sunt tres quæstiones
      - I. *Quid sit.* Est adiectio dominij per continuationem possessionis tempore lege definito, D.h.t.l.3.
      - II. *Quotuplex sit.* Est duplex,
        - 1. *Vsucapio propriè dicta*, qua res mobiles triennali possessione acquiruntur.
        - 2. *Longi temporis possessio*, qua res immobiles acquiruntur decennio inter præsentes, aut viginti annis inter absentes.
      - III. *An valeat.* Hic plura requiruntur:
        - 1. *Vt res vsucapi possit.* Etenim non vsucapiuntur
          - Homines liberi.
          - Res sacræ, vel religiosæ.
          - Seruus fugitiuus.
          - Res furtiuæ, Res vi possessæ, nisi vitium sit purgatum, id est, nisi in potestate domini reuersæ sint.
          - Res fiscales. Sed bona vacantia, priusquam fisco denuncientur, vsucapi possunt.
          - Res venditæ à: Fisco; Domo Imperatoris; Domo Augustæ: Quia statim emptor securus est, nec eget vsucapione. qui verò ius aliquod in his reb. prætendit, intra quadriennium contra fiscum, vel sacram domum agere potest.
        - 2. *Bona fides vsucapientis.* quæ initiò tantùm requiritur, id est, in emptore requiritur tempore contractus, & tempore traditionis: in aliis tempore traditionis dumtaxat, D. pro empto, l.2. in princ.
        - 3. *Iustus titulus seu causa vsucapiendi*, vt emptio, permutatio, donatio, dos. Nam si quis rem acceperit ex causa depositi, vel commodati, eam non vsucapit. Error autem falsæ causæ vsucapionem non parit, veluti si quis falsò putet se emisse: nisi iusta sit erroris causa: quo casu vsucapit pro suo, D. pro empto. l. quod vulgò. 11. & pro suo. l. pe. §. vlt.
        - 4. *Vt vsucapiens rem acceperit à non domino.* nam qui à domino rem accipit, statim fit dominus, nec eget vsucapione.
        - 5. *Possessio non interrupta, sed continua per totum tempus lege definitum.* Nota tempus continuari & possessionis iungi, ita vt vsucapio procedat, Inter defunctum & heredem. Inter venditorem, & emptorem.
    - II *Donatio:* quæ
      - *Vel est mortis causa:* cùm quis donatarium quàm heredem, & se quàm donatarium habere mauult. Hæc donatio ferè per omnia legatis comparatur.
      - *Vel fit inter viuos:* atque hæc est duplex, nempe
        - *Simplex:* de qua hæc notentur:
          - 1. Fit sine vlla mortis cogitatione.
          - 2. Perficitur nudo consensu in scriptis, vel sine scriptis declarato.
          - 3. Non comparatur legatis.
          - 4. Obligat donatorem ad rem præcisè tradendam.
          - 5. Non reuocatur, nisi ob ingratitudinem donatarij.
        - *Ob causam*, veluti *propter nuptias.* Hæc donatio olim vocabatur ante nuptias; quia post nuptias contractas non admittebatur. Sed ex Iustini constitutione stantibus nuptiis augeri poterat: ex Iustiniani verò constitutione non solùm augeri, sed etiam in totum fieri post contractas nuptias potest.
  - *Personis* { A quibus acquirimus. Per quas acquirimus. } Vide tab. seq.
- *Per vniuersitatem.* Vide tab. 24.

XXIII. De personis alienantibus, vel acquirentibus.



PERSONÆ

- *Partim alienant.* De his notētur duę regulæ:
  - I. *Dominus rem suam alienare potest.* Excipitur
    - 1. *Maritus*, qui prædiū dotale, cuius est dominus, Nec muliere volente. Nec muliere inuita. potest Ad alium trāsferre. Hypothecæ supponere.
    - 2. *Pupillus*, qui sine tutore non potest quicquam alienare: proinde nec debitorem suum sibi soluentem liberare. Imo in aliis debitis præter annuos reditus, & similia soluendis, non sufficit auctoritas tutoris: sed insuper requiritur decretum iudicis id permittentis, quod quidem sine vlla impensa interponitur.
  - II. *Non dominus rem alienare nequit.* Excipitur creditor, qui pignus alienare potest, adhibita tamen distinctione. Nam
    - *Vel pactus est cum debitore de pignore vendendo*: & pacta sunt seruanda.
    - *Vel pactus est, ne pignus possit vendere*: & nihilominùs debitore non soluente poterit post ternam denunciationem debitori factam, pignus vendere, D. de pignet. act. l. 4.
    - *Vel nihil pactus est*: & facta debitori denunciatione, vel eo condemnatu post biennium potest pignus distrahere, C. de iur. domin. imperr. l. vlt. §. 1.
- *Partim acquirunt*,
  - *Vel per se.*
  - *Vel per alios*, vt
    - *Per liberos in sua potestate constitutos.* Hîc duo sūt notanda.
      - I. *Peculium, quod filiusfamilias habet, triplex est*, videlicet
        - *Castrense*, quod occasione militiæ armatæ filiusfam. acquisiuit. *Quasi castrense*, quod occasione militiæ togatæ, aut religiosæ filiusfam. acquisiuit. In his peculiis pater nihil iuris habet.
        - *Paganicū*: quod
          - *Vel est profectitium*, id est, à patre profectum, vel ex iis, quæ a patre profecta sunt, acquisitum. In hoc pater plenū ius habet.
          - *Vel est aduentitium*, id est, aliunde quàm à patre profectum. Huius proprietas est filij, vsusfructus est patris.
      - II. *Pater, cùm filium emancipat, dimidiam partem vsusfructus earum rerum aduentitiarum, quæ sibi per filium non acquiruntur, retinere potest.*
    - *Per seruos*
      - *Suos, & à se possessos.* Hi dominis acquirunt indistinctè, prætetquàm quòd hereditatem dominis inuitis, vel ignorantibus non acquirunt.
      - *Alienos*,
        - *In quib. habent vsumfructū.*
        - *Quos bona fide possident.*
    - *Bona fide possessor.*
      - Hæ personę acquirūt
        - Ex re possessoris vel operis suis ipsi possessori.
        - Ex aliis causis domino, vel, si liberi sūt, sibi ipsis.
    - Nota per has personas acquiri, non solùm dominium, sed etiā possessionem, per quam vsucapio iure procedit.
    - *Per liberos homines*
      - *Quibus negotia gerenda mandata sunt*, id est, per procuratores. Per hos acquiritur possessio, & per eam dominium, si dominus eis rem suam tradiderit, vel vsucapiendi conditio, si à non domino rem acceperint.

XXIV. De

XXIV. *De acquisitione per vniuersitatem.*

Moot acquirendi per vniuersitatem sunt quatuor:

- I. *Hereditas*, quæ est successio ciuilis in vniuersum ius defuncti. Defertur autem
  - *Vel ex testamēto*: de quo sciendum,
    - 1. *Vnde dicatur.* Dicitur à testatione mentis.
    - 2. *Quid sit.* Est voluntatis nostræ iusta sententia de eo quod quis post mortem suam fieri velit, D. qui testa. fac. poss. l. 1.
    - 3. *An valeat.* Hîc plura requirūtur
      - 1. Vt testamentum fiat secundùm formam iure introductam. de qua vide tabulam sequentem. Excipitur testamentum militis, de quo vide tab. 26.
      - 2. Vt testator habeat testamenti factionem. Vide tab. 27.
      - 3. Vt si testator liberos habeat in potestate, eos heredes instituat, vel exheredet. Vide tab. 28.
      - 4. Vt heredem instituat. Vide tab. 29.
      - 5. Ne testamentum sit infirmatum. Vide tab. 31.
    - 4. *Quæ testamento accidāt.* Hæc sunt quatuor:
      - 1. Heredum qualitas. Vide tab. 32.
      - 2. Legata. Vide tab. 33.
      - 3. Fideicommissa. Vide tab. 38.
      - 4. Codicilli. Vide tab. 39.
  - *Vel ab intestato.* Vide tab. 40.
- II. *Bonorum possessio.* Vide tab. 46.
- III. *Acquisitio per arrogationem.* Vide tab. 47.
- IV. *Addictio bonorum, libertatum conseruandarum causâ.* Vide tab. 48.

XXV. *De testamentis ordinandis.*

TESTAMENTVM paganicum est

- *Vel solemne*: in quo plura requiruntur;
  - I. *Testes*, qui debēt esse
    - *Idonei.* Nā testes esse
      - Possunt
        - Hi, cum quibus testamenti factio est.
        - Pater, & filius, qui in eius potestate est, — } in testamento extranei.
        - Duo fratres, qui sunt in eiusdem patris potestate, }
        - Legatarij, & fideicommissarij.
        - Legatarij, vel fideicommissarij
          - Pater, qui eum in potestate habet.
          - Filius, qui in eius potestate est.
          - Frater, qui in eiusdem patris potestate est.
      - Non possūt
        - Mulier.
        - Impubes.
        - Seruus. Sed si pro libero habeatur, & postea seruus detegatur, testamentum sustinetur ex bono & æquo.
        - Furiosus.
        - Mutus.
        - Surdus.
        - Prodigus, cui bonis interdictum est.
        - Improbus & intestabilis,
        - Qui in potestate testatoris est.
        - Qui testatorem (putà militem) in potestate habet.
        - Frater testatoris, in eiusdem patris potestate positus.
        - Heres scriptus.
        - Heredes scripti
          - Pater, qui eum in potestate habet.
          - Filius, qui in eius potestate est.
          - Frater, qui est in eiusdem patris potestate.
    - *Septem numero.*
    - *Rogati.* D. qui testam. fac. poss. l. heredes. 21. §. pe. & C. de testamen. l. hac consultissima. 21. in princ.
    - *Præsentes*, id est, in conspectu testatoris, D. qui testam. fac. poss. l. si non speciali. 9. l. si vnus. 12.
    - *Non detenti inuiti.* D. qui testam fac. poss. l. qui testamento. 20. §. vlt.
  - II. *Scriptura*, quæ
    - Debet
      - Continere testatoris voluntatem.
      - Ostendi testibus tanquam eam voluntatem continens.
      - Subscribi
        - *A testatore.* Excipitur,
          - 1. Nisi sit testamentum holographum, id est, totū manu testatoris scriptum, adeo vt subscriptione testatotoris opus non sit.
          - 2. Nisi testator sit literarum imperitus: quo casu octauus testis subscribit pro testatore.
        - *A testibus.*
    - Potest contineri
      - In quacumque materia, vt — Charta, Membrana, Tabulis.
      - Multis codicibus.
  - III. *Signacula testium.*
  - IV. *Vt fiat vno contextu*, id est, nullo actu extraneo interiecto; nisi quid ob necessitatem naturæ fiat. C. de testamen. l. cum antiquitas. 28.
- *Vel nuncupatiuum*, quod fit sine scriptis. in hoc requiruntur tria:
  - I. Præsentia septem idoneorum testium.
  - II. Vt testes sint rogati, D. qui testam. fac. poss. l. heredes palàm. 21. §. in testamentis.
  - III. Vt testator coram testibus voluntatem suam palàm faciat.

XXVI. *De militari testamento.*

Militum priuilegia, quę ad testamenta respiciunt, hęc sunt:

- I. Filijfam. testari possunt de peculio castrensi. Hoc priuilegium producitur ad eos qui habent peculium quasi castrense.
- II. Expeditionis tempore testantur quomodò volunt, & quomodò possunt, dummodò de eorum voluntate quoquo modo constet. Ac testamentum ita factum iure militari valet, siue testator in militia, siue intra annum post ignominiosam dimissionem decedat.
- III. Testamentum ante militiam non iure conditum sustinetur & valet iure militari, si miles factus expeditionis tempore quoquo modo ostenderit se velle, vt illud testamentum valeat.
- IV. Testamentum militis non infirmatur capitis deminutione testatoris.

XXVII. *Quibus non est permissum facere testamentum.*

Testamentum facere non potest

- I. *Filiusfamilias*, præterquàm de peculio castrensi, vel quasi castrensi.
- II. *Impubes.*
- III. *Furiosus*, nisi tempore dilucidi interualli testetur. Testamentum autem ante furorem factum, superueniente furore non infirmatur.
- IV. *Prodigus*, cui bonorum administratio interdicta est. sed quod ante interdictionem factum est, ratum habetur.
- V. *Surdus, vel mutus*, nisi possit
  - Vel scribere.
  - Vel loqui.
- VI. *Qui est apud hostes.* Sed testamentum antea in ciuitate factum, valet
  - Iure postliminij, si ab hostibus redierit.
  - Lege Cornelia, si apud hostes decesserit.

XXVIII. *De exheredatione liberorum.*

Liberi in testamento

- *Vel sunt instituti*: & sine dubio testamentum valet, nisi quid aliud officiat.
- *Vel sunt exheredati*
  - Nominatim: ac testamentum ipso iure valet, sed per inofficiosi querelam rescindi potest, nisi ex iusta causa exheredati sint.
  - Inter cæteros. hæc exheredatio non valet: vnde perinde habetur, ac si essent præteriti.
- *Vel sunt præteriti*
  - *A parente pagano, qui in potestate habet, habuitve.* Hoc casu distinguitur. Sunt enim
    - *Vel sui heredes*: quorum præteritio facit testamentum ipso iure nullum.
    - *Vel sui postumi*: quibus præteritis valet quidem testamentum, sed eorum adgnatione rumpitur.
    - *Vel postumi Velleiani, seu quasi postumi*, qui sunt quidem in testatoris potestate, sed non sunt sui heredes, propterea quòd alij præcedunt, sed post factum à parente testamentum, in locum suorum heredum succedunt. Veluti si viuo filio nepos ab auo sit præteritus, deinde viuo auo filius moriatur. hoc casu testamentum initio valet, sed successione in locum sui heredis, quasi adgnatione rumpitur.
    - *Vel emancipati*: & habent iure prætorio bonorum possessionem contra tabulas. Nota emancipatos à patre adoptiuo perinde haberi, ac si adoptio facta non esset, sed à patre naturali emancipati fuissent.
  - *A patre milite.* / *A matre, vel auo materno.* — Horum silentium pro exheredatione nominatim facta valet.

XXIX. De

XXIX. *De heredibus instituendis.*

Heredes instituuntur

- *Vel in primo gradu*, qui propriè dicuntur instituti. Hîc videndum
  - I. *Qui possint heredes institui.* Possunt institui —
    - *Liberi homines*, etiam quos nunquam testator vidit.
    - Serui, siue sint
      - *Proprij testatoris.*
        - Excipitur
          1. Nisi sint instituti sine libertate. Hanc exceptionem Iustinianus sustulit, constituens vt tacitè libertas eis relicta videatur.
          2. Nisi seruus à domina instituatur, cum qua adulterium commisisse arguitur.
        - Huius institutionis effectus est, vt si seruus —
          - In eadem causa manserit, fiat ex testamento liber & heres necessarius.
          - A viuo testatore manumissus fuerit, suo arbitrio adire hereditatem possit.
          - A testatore alienatus fuerit, iussu noui domini adire debeat, eique hereditatem acquirat.
      - *Alieni.* Porrò seruus alienus heres institutus,
        - Si in eadem causa manserit, iussu eius domini adire hereditatem debet.
        - Si antequam adeat alienatus fuerit, iussu noui domini adire debet.
        - Si priusquam adeat manumissus fuerit, suo arbitrio potest adire hereditatem.
      - *Hereditarij.*
      - *Eius qui est in vtero.*
      - *Plurium dominorum*, quibuscum testamenti factio est. adeundu igitur singulis hereditatem acquirit pro dominij portione.
  - II. *Quot institui possint.* Vnus vel plures, quot testator vult, institui possũt. Vnde quęritur —
    - 1. *Quæ sint partes hereditatis.* Tota heteditas vocatur as: eiúsque partes sunt duodecim vnciæ, nisi testator plures, vel pauciores fecerit. Singularum autem partium nomina & expositio sic habentur: —
      - *Vncia* est pars duodecima.
      - *Semuncia* est dimidia pars vnciæ.
      - *Sescuncia* continet vnciam vnam & dimidiatam.
      - *Sextans* est sexta pars assis, id est, duæ vnciæ.
      - *Quadrans* est quarta pars assis, id est, tres vnciæ.
      - *Triens* est tertia pars assis, id est, quatuor vnciæ.
      - *Quincunx* continet quinque vncias.
      - *Semis* est dimidia pars assis, id est, sex vnciæ.
      - *Sextunx* continet septem vncias.
      - *Bes* est bis triens, id est, ucto vnciæ.
      - *Dodrans* est, quod dempto quadrante superest, id est, nouem vnciæ.
      - *Dextans* est, quod dẽpto sextãte superest. i. decem vnciæ.
      - *Deunx* est quod dẽpta vncia superest. i. vndecim vnciæ.
    - 2. *Quas partes singuli heredes accipiant.* Hîc deciduntur plures casus. Nam
      - *Aut nulli heredi certa pars attributa est à testatore*: & omnes succedunt ex æquis partibus.
      - *Aut omnes sunt instituti ex certis partibus*: tũcque —
        - *Vel nec deficit, nec vacat vlla pars*: & quilibet succedit ex parte sibi à testatore attributa.
        - *Vel pars aliqua vacat*: & singulis tacitè accrescit pro hereditariis portiunibus.
        - *Vel pars aliqua deficit*: & singulis tacitè decrescit pro hereditariis portionibus.
      - *Aut quidã sunt scripti ex certis partibus, quidam sine partibus*, túncque —
        - *Si pars vacet*, ad illum vel illos pertinet, qui sine partibus heredes scripti sunt.
        - *Si totus as sit completus*: ille vel illi, qui sine partibus sunt instituti, habent dimidiam partem hereditatis: quia transitus fit ad dupondium, quod constat ex duobus assibus, id est, ex 24. vnciis.
        - *Si plures quàm 12. vnciæ distributa sint*: illi quibus nõ sunt partes à testatore assignatæ, id obtinent quod dupondio deest. & similiter dupondio expleto fit transitus ad dupondium constans ex 36. vnciis, & ita deinceps per duodenarium numerum auctione facta fit transitus ad tripondium, quadripondium, &c.
  - III. *Quomodo heredes instituantur.* Omnis institutio fit
    - Aut purè, veluti; *Titius heres esto.* & sine dubio valet.
    - Aut sub conditione: & hæc quoque institutio valet. Sed tria sunt notanda:
      1. Si conditio sit impossibilis, habetur pro non scripta: & institutio tamquam purè facta valet.
      2. Si plures conditiones sint coniunctim adscriptæ, veluti, *Si Titius consul erit, & nauis ex Asia venerit*: omnium implementum expectari debet, vt hereditas adiri possit.
      3. Si plures sint conditiones disiunctim adscriptæ, veluti, *Si illud aut aliud factum fuerit*, sufficit alterutrum factum esse.
    - Aut ex die. —
    - Aut vsque ad certam diem.
      - (both:) Sed dies nihil operatur, immò institutio purè valet.
- *Vel in secundo gradu*: qui propriè dicuntur substituti. Vide tab. seq.


XXX. *De substitutione vulgari, pupillari, & quasi pupillari.*

SVBSTITVTIO est triplex, nempe

- **I. *Vulgaris*:** de qua dissoluuntur quatuor quæstiones:
  - I. *Quomodo fit?* Hisce aut similibus verbis, *Si Titius heres non erit, Seius heres esto.*
  - II. *Quo gradu substituitur?* Secundo, vel tertio, vel vlteriori. nam testator quotcunque heredum gradus vult, facere potest.
  - III. *Qui, & quibus substitui possunt?* Testator substituere potest
    - *Etiam seruum proprium*; qui vltimo loco substitutus, aliis non adeuntibus, fit heres necessarius.
    - *Plures vni*: veluti, *Titius & Mæuius heredes sunto; si Titius aut Mæuius heres non erit, Sempronius heres esto.*
    - *Vnum pluribus*: veluti, *Titius heres esto. si Titius heres non erit, Caius & Mæuius heredes sunto.*
    - *Singulos singulis*: veluti, *Titius & Mæuius heredes sunto. si Titius heres non erit, Caius heres esto. si Mæuius heres non erit, Seius heres esto.*
    - *Inuicem heredes institutos*: veluti, *Titius & Mæuius heredes sunto. Titium & Mæuium inuicem substituo.*
  - IV. *Quam partem hereditatis substituti accipiunt?* Hic deciduntur tres species:
    1. *Si heredes ex inæqualibus partibus scripti, inuicem non expressis partibus substituantur*: pars singulis data in institutione, censetur tacitè repetita in substitutione.
    2. *Si Titius & Mæuius heredes scripti sint, ac Mæuius Titio, Sempronius Mæuio sit substitutus*: Titio & Mæuio hereditatē non adeuntibus, ad vtriusque partem Sempronius admittitur.
    3. *Si testator seruum Titij, quem liberum esse putabat, heredem instituerit*, eique vulgariter Caium substituerit: dodrans per seruum acquiretur Titio, quadrans ad Caium pertinebit. nam dictus testatoris error obscuram eius voluntatem reddit, & substitutum in partem cum instituto admittit.
- **II. *Pupillaris*:** de qua dissoluuntur sequentes quæstiones:
  - I. *Quæ est eius origo?* Moribus introducta est: quia cùm eius ætatis filij sint, vt testamētum facere non possint, æquum visum est, vt parentes pro eis testentur. i. eis faciant heredes.
  - II. *Quomodo fit?* Hic duo traduntur:
    1. Fit hisce, aut similibus verbis, *Si filius meus in pupillari ætate decesserit, Seius heres esto.*
    2. Fit duobus modis, nempe
       - Vel simul cum institutione, & vulgari substitutione, veluti, *Titius filius meus heres mihi esto. Si filius meus heres mihi non erit: aut heres erit, & in pupillari ætate decesserit, Seius heres esto.* Hoc casu vnum est testamentum duarum hereditatum.
       - Vel seorsum ab institutione & vulgari substitutione, in inferiori tabularum parte, separatim propria cera, & proprio lino obsignata: quæ pars ne viuo & adhuc impubere filio aperiatur, testator in prima tabularum parte cauere potest. Hoc modo sunt duo testamenta.
    3. Fit *Vel nominatim*, veluti, *Si filius meus, &c. Titius heres esto. vel generaliter*, vt, *Quisquis mihi heres erit, filio meo impuberi heres esto.*
  - III. *Quib. substituitur?*
    - Substituitur liberis impuberibus, in potestate testatoris constitutis,
      - Siue sint instituti, siue exheredati.
      - Siue sint nati, siue postumi.
      - Vel singulis seorsū, vel ei tantùm qui vltimus in ætate pupillari morietur.
    - Non substituitur
      - Puberibus.
      - Extraneis.
      - Recasuris post mortem testatoris in alterius potestatem.
  - IV. *Quis substituit?* Duo requiruntur in eo qui vult pupillariter substituere:
    1. Vt eum habeat in potestate.
    2. Vt sibi quoque testamentum faciat, id est, sibi heredem instituat.
  - V. *Quomodo finitur?* Pubertate eius, cui substitutum est.
- **III. *Quasi pupillaris*:** de qua occurrūt sex quæstiones:
  - I. *Quæ est eius origo?* A Iustiniano introducta est, C. de impub. & al. substit. l. humanitatis. 9.
  - II. *Quibus substituitur?* Liberis mente captis, aut furiosis,
    - Maioribus 25. annis.
    - Cuiusuis sexus.
    - Cuiuscumque gradus.
  - III. *Qui substituunt?* Parentes quilibet, vt pater, mater, auus paternus, vel maternus.
  - IV. *Qui substituuntur?* Distinguitur. nam furiosus, vel mente captus
    - Aut habet liberos, & hi sunt substituendi.
    - Aut non habet liberos, sed fratres: & oportet hos fratres ei substituere.
    - Aut neque liberos, neq; fratres habet: tunc testator substituit quos vult.
  - V. *Quomodo substituitur?* His aut similibus verbis, *Si filius meus priùs morietur quàm mentis compos factus fuerit.*
  - VI. *Quomodo finitur substitutio?* Resipiscentia eius cui substitutum est.

XXXI. Quibus


XXXI. *Quibus modis teſtamenta infirmantur.*



Teſtamentum eſt inutile,

- Vel quia ab initio non valet, vt quia
  - Factum eſt ab eo, qui teſtamenti factionem non habet. Vide ſup. quib. non eſt permiſſum fac. teſtam. tab. 27.
  - Non iure factum eſt, id eſt, non ſeruatis iuris ſolennitatibus, D. de iniuſ. rup. l. 1. vide ſup. de teſtam. ordin. tab. 25.
  - Nullius eſt momenti ob ſuum heredem præteritum, d. l. 1. Vide ſup. de exhered. liberor. tab. 28.
- Vel quia ex poſt facto infirmatur iure
  - Ciuili,
    - Ipſo iure,
      - In totum, vt cùm
        - Rumpitur, id eſt, cùm teſtatore in eodem ſtatu manente vitiatur, quòd accidit duobus modis:
          1. Adgnatione, vel quaſi adgnatione ſui heredis, putà filij adoptione.
          2. Poſteriore teſtamento, quod iure perfectum eſt. Sed ſi in hoc teſtator iuſſerit etiam prius teſtamentum valere, prius ſuſtinetur per fideicommiſſum. Sola autẽ teſtatoris contraria voluntas non infirmat teſtamentum.
        - Irritum fit
          - Capitis deminutione teſtatoris. Sed hoc caſu teſtamentum iure prætorio conualeſcit, ſi teſtator ciuis Romanus, & ſui iuris ſit mortis tempore.
          - Deſtitutione, id eſt, cùm heres inſtitutus non adit hereditatem. d. l. 1.
      - Pro parte, quam teſtator deleuit, ſeu cancellauit, D. de his quæ in teſtam. delen.
    - Officio iudicis per querelã inofficioſi, de qua ſciẽdum,
      1. Quibus detur. Datur
         - liberis
           - Primò
             - Tam naturalibus, quàm adoptiuis.
             - Tam natis viuo teſtatore, quàm poſtumis.
         - Secundò parentibus.
         - Tertiò fratribus & ſororibus conſanguineis aduerſus turpes perſonas inſtitutas, ceteris autem tranſuerſalibus non competit.
      2. Qua ex cauſa detur. Datur ob iniquam
         - Exheredationem.
         - Præteritionem, quæ pro exheredatione habetur, id eſt, factam à matre, vel auo materno.
      3. Quænam excludant hanc querelam. Eã excludunt
         1. Iuſta exheredandi cauſa.
         2. Si quis alio iure ad bona defuncti ſaluo teſtamento venire poſſit. veluti ſi quid ei relictũ ſit in teſtamento: nã ſi minus ſit quã legitima, ſupplementũ legitimæ petere poteſt ex cõſtitutione Iuſtiniani.
         3. Si defuncti voluntatẽ adgnouerit, putà legatũ in teſtamẽto ſibi relictũ petierit, niſi tutorio nomine petierit neceſſitate officij coact⁹.
      4. Quis ſit effectus inſtitutæ querelæ. Si legatarius de inofficioſo agat, legatum perdit, niſi tutorio nomine agat.
  - Prætorio per bonorum poſſeſſionem contra tabulas. Vide infrà de bonor. poſſeſſionib. tab. 46.

XXXII. *De heredum qualitate & differentia.*



Heredum genera tria ſunt: nam

- *Alij ſunt neceſſarij.* Neceſſarius heres eſt ſeruus à domino ſuo inſtitutus: quia fit liber & heres, ſiue velit, ſiue nolit.
- *Alij ſunt ſui & neceſſarij,* id eſt, liberi in teſtatoris poteſtate conſtituti, inter quos & teſtatorem nulla eſt perſona interiecta: vt filius, & nepos ex filio mortuo. Hi iure ciuili coguntur eſſe heredes, iure autem prætorio habent beneficium abſtinendi, priuſquam bonis hereditariis ſe immiſceant.
- *Alij ſunt extranei,* id eſt, ceteri omnes, præter ſeruos & liberos. De his duo declarantur:
  - I. *Qui poſſint heredes inſtitui.* Poſſunt inſtitui, quibuſcum eſt teſtamenti factio,
    - Quæ in herede
      - *Requiritur tẽpore*
        - Conditi teſtamenti.
        - Mortis teſtatoris.
        - Aditæ hereditatis.
      - *Non requiritur mediis temporibus,*
        - Inter teſtamentũ factũ, & mortem teſtatoris.
        - Inter mortẽ teſtatoris, & aditam hereditatẽ.
    - Teſtamenti factionem intellige, non actiuam, ſed paſſiuam, quam habet etiam
      - Furioſus.
      - Mutus.
      - Poſtumus.
      - Infans.
      - Filiusfamiliâs.
      - Seruus alienus, dummodo cum eius domino ſit teſtamenti factio.
  - II. *Quæ ſint horum heredum propria.*
    1. *Habent ius deliberandi de hereditate adeunda, vel repudianda,* ne temerè damnoſam hereditatem accipiant. Sed ſi cum beneficio Iuſtinianæ legis & inuentarij adierint, omni periculo carent, quia crediroribus hereditariis non tenentur vltra vires hereditarias, & de legatis detrahunt Falcidiam.
    2. *Fiunt heredes*
       - *Pro herede gerendo,* id eſt, ſi re aut verbis oſtendant ſe velle eſſe heredes.
       - *Nuda voluntate.*

XXXIII. *De legatis.*

De legatis hæc considerantur:

- I. *Definitio.* Legatum est donatio quædam à defuncto relicta, ab herede præstanda.
- II. *Diuisio*
  - Olim erant quatuor legatorum genera, nempe
    - Per vindicationem.
    - Per damnationem.
    - Sinendi modo.
    - Per præceptionem.
    - Quæ distinguebantur
      - Verbis.
      - Effectu.
  - Hodie omnium legatorum, quibuscumque verbis fiant, idem est effectus: & ad ea persequenda datur
    - Actio personalis ex testamento.
    - Rei vindicatio.
    - Actio hypothecaria.
- III. *Res legata.* Hic tria tractantur.
  - I. *Quæ res legari possint, vel non.*
    - *Legari potest*
      - *Res testatoris,*
        - Quamuis
          - Pignerata sit, quo casu heres debet eam luere, nisi testator pigneratam esse ignorauerit, aut luendi onus legatario imposuerit.
          - Testator putet eam esse alienam, aut legatarij.
        - Et si testator postea
          - Eam rem vendiderit: legatū nihilominùs valet, nisi adimendi animo vendiderit.
          - Eam rem donauerit, legatum ademptum censetur, D. de adim. lega. l. rem legatam. 18 l. legatum sub conditione. 24. §. 1.
          - Eam rem pignerauerit, nihilominùs legatario debetur, & ab herede luenda est.
          - Partem alienauerit: pars non alienata omnimodo legatario debetur: pars autem alienata ita demum ei debetur, si non adimendi legati animo alienata sit.
      - *Res heredis.*
      - *Res aliena:* quā si legatarius viuo testatore acquisierit
        - *Ex causa onerosa,* actione ex testamento æstimationem consequetur.
        - *Ex causa lucratiua,* legatum extinguitur. Vnde si duorum testamentis eadem res eidem legata sit: siquidem hic ex priori testamento consequatur
          - Rē, legatū extinguitur.
          - Æstimationē nihilominùs etiam ex altero testamento legatum petere poterit.
      - *Res futura,* vt fructus, qui in illo fundo nati erunt.
      - *Eadem res duobus.* quo casu
        - Si ambo legatum petant, partes accipient.
        - Si alter legatum non accipiat, pars eius accrescit collegatario.
      - *Liberatio debitori*
        - *Vel simpliciter,* quo casu legatarius
          - Habet exceptionem, si conueniatur.
          - Potest agere contra heredem, vt liberetur.
        - *Vel ad tempus.*
      - *Debitum creditori,* dummodo plus sit in legato, quā in debito: veluti si
        - *In diem vel sub conditione debitum legetur purè.* Hoc legatum valet, etiā si postea viuo adhuc testatore dies venerit, vel conditio extiterit.
        - *Dotem maritus uxori leget.* Sed si dotem non acceperat, sic distinguitur:
          - Aut simpliciter dotem legauit: & est legatum inutile.
          - Aut certam pecuniam, vel certum corpus, vel instrumenta dotis in relegando demonstrauit: & legatum valet.
      - *Tam res corporalis, quàm incorporalis,* vt actio vel seruitus.
      - *Factum:* veluti, Damnas esto heres meus,
        - Domum illius reficere.
        - Illum ære alieno liberare.
      - *Genus,* vt seruus: quo casu electio est legatarij, nisi testator aliud dixerit.
      - *Optio:* de quo legato duo sunt notanda:
        - 1. Si legatarius viuus non elegerit, heres eligere poterit.
        - 2. Si plures legatarij, vel plures heredes in electione dissentiant, sorti res committitur.
    - *Legari non potest*
      - *Quod non est in commercio:* vt campus Martius, basilica, templum, homo liber.
      - *Quod nec est, nec esse potest,* vt chimæra.
      - *Res legatarij.* Hoc legatum non conualescit, si legatarius viuo testatore rem alienauerit.
  - II. *An falsa demonstratio legatum vitiet,* veluti si Stichus seruus emptus ita legetur, *Stichum seruum meum vernam do lego.* Respondetur hoc legatum valere.
  - III. *De augmento, decremento, & interitu rei legatæ.* Vide tab. seq.
- IV. *Persona cui legatur.* Vide tab. 35.
- V. *Modus legandi.* Vide tab. 36.
- VI. *Ademptio, & translatio*
- VII. *Diminutio.* — Vide tab. 37.

XXXIV. De augmento, decremento, & interitu rei legatæ.

Avt legantvr.

- *Corpus vnitum, quod vno spiritu cõtinetur*, vt Stichus. & si intereat, vel in commercio esse desinat
  - *Facto heredis*, nihilominùs legatum debetur: vt quia
    - Heres seruũ legatum manumisit.
    - Is cui heres donauit, seruum manumisit.
  - *Sine facto heredis*, legatum extinguitur.
- *Plures res*, vt
  - Ancilla cum suis natis: & mortuâ ancillâ, partus legato cedunt.
  - Ordinarij serui cum vicariis: & mortuis ordinariis, vicarij legato cedunt. Nota cùm seruus seruum in peculio habet, illum vocari ordinarium, hunc dici vicarium.
  - Seruus cum peculio: & peculij legatum extinguitur seruo
    - Mortuo.
    - Manumisso.
    - Alienato.
  - Fundus
    - Instructus.
    - Cum instrumento.
      - Et fundo alienato legatum quoque instrumenti extinguitur. Nota si legetur fundus instructus, legatario deberi non solùm instrumenta fundi, vt ligones, aratra; sed etiam alia patrisfam. instrumenta, vt mensas, lectos, scamna. si verò legetur fundus cum instrumento, tantummodò fundi instrumentum legato cedere.
- *Corpus constans ex distantibus capitibus*, vt grex: & augmentum vel decrementum ad legatarium pertinet: adeo vt
  - Si grex ad vnam ouem peruenerit, ea sola debeatur legatario.
  - Si oues post factum testamentum gregi adiiciantur, hæ quoque legato cedant.
- *Corpus constans ex partibus cohærentibus, vt ædes*: & ea quoque, quæ post factum testamentum adiiciuntur, vt columnæ & marmora, legato cedunt.
- *Vniuersitas iuris, vt peculiũ*: de quo hæc tradontur.
  1. Si augeatur vel deminuatur
     - Viuo testatore, legatarij lucro vel damno est.
     - Iacente hereditate, & legatum fit
       - *Ipsi seruo manumisso*, legatarij lucro vel dãnuo est, quia dies huius legati à die aditæ hereditatis cedit.
       - *Extraneo*, augmentum ad legatariũ non pertinet, nisi ex rebus peculiaribus auctum peculium sit; quia dies huius legati cedit à morte testatoris.
  2. Non debetur seruo manumisso in testamento, nisi ei legatum fuerit: quamuis pertineat ad manumissum inter viuos, nisi ei ademptum sit.
  3. Seruus, cui libertas & peculium relicta sunt, non potest petere, quæ dominus sibi naturaliter debebat, quia hæc censentur legata.
  4. Si testator seruum rationibus redditis liberum esse, & ex peculio reliqua soluere iusserit, peculium ei legasse videtur.

XXXV. De legatariis.

De legatariis duæ quæstiones dissoluũtur.

- I. *Quibus legari potest*: Legari potest
  - His, quibuscum testamenti factio est.
  - Etiam incertis personis, veluti, *Ei qui primus in Capitolium ascenderit, decem lego.*
  - Postumo
    - Siue suo.
    - Siue alieno.
  - Seruo heredis: dummodò non purè, sed sub conditione legetur, & ante conditionem existentem de potestate heredis exeat.
  - Domino heredis scripti: legatum enim valet, nisi seruus in eadem causa manserit, & domini iussu hereditatem adierit.
- II. *An falsitas circa personam legatarij vitiat legatum*? Respondetur non vitiare,
  - *Siue falsa sit demonstratio*: velutí si testator errauerit in legatarij
    - Prænomine.
    - Nomine.
    - Cognomine.
  - *Siue sit falsa causa*: dummodò in modum causæ enuncietur, veluti, *Titio, quia negotia mea gessit, do, lego*: non conditionaliter, veluti, *Titio, si negotia mea gessit, do lego.*

XXXVI. *De modis, & ratione legandi.*

LEGARI potest
- Non solùm post, sed etiam ante heredis institutionem, vel inter medias heredum institutiones.
- Collato legato etiam in tempus, quod erit
  - Post mortem
    - Heredis.
    - Legatarij.
  - Pridie quàm morietur
    - Heres.
    - Legatarius.
- Pœnæ nomine: veluti, *Heres meus si Stichum alienauerit, vel contrà, si non alienauerit, decem aureos Seio dato.*

XXXVII. *De legatis adimendis, vel transferendis, vel per legem Falcidiam minuendis.*

LEGATVM
- *Adimitur*
  - 1.
    - Vel in eodem testamento.
    - Vel in codicillis.
  - 2.
    - Aut verbis contrariis: veluti, *Do lego, Non do non lego.*
    - Aut verbis non contrariis, sed aliis quibuscunque adimendi voluntatem significantibus.
- *Transfertur* ab alio ad alium (veluti, Hominem Stichum quem Titio legaui, Seio do lego)
  - Vel in eodem testamento.
  - Vel in codicillis.
- *Minuitur* per legem Falcidiam: qua cauetur, ne liceat testatori legare vltra dodrantem, quia quarta pars manere debet penes heredem. Hìc tria notantur:
  - I. Ratio legis Falcidiæ in singulis heredibus seorsum ponenda est. Nam heres, cuius pars onerata aut exhausta est legatis, Falcidiam de sua portione deducit, id est, quartam suæ portionis partem retinet, licèt cohæres quartam partem totius hereditatis illibatam, aut etiam amplius habeat.
  - II. Quantitas patrimonij, ad quam ratio legis Falcidiæ redigitur, mortis tempore spectatur. Quod verò post mortem testatoris accidit, siue bona augeat siue deminuat, heredis lucro vel damno est, præter quartam Falcidiam.
  - III. Antequam ratio legis Falcidiæ ineatur, deducere oportet
    - Æs alienum.
    - Funeris impensam.
    - Pretium seruorũ quibus libertas in testamento relicta est.

XXXVIII. De

XXXVIII. *De fideicommissis.*

De fideicommisso agitur

- *In genere.* vbi doo explicaotur
  - 1. *Origo.* Initio fideicommissa relinquebantur incapacibus: & tantùm pudore togati continebantur; quia nemo inuitus cogebatur fideicommissum præstare: sed tempore Augusti cœperunt habere præstandi necessitatem.
  - 2. *Etymologia.* Fideicommissa dicuntur, quoniam ab initio à sola fide heredum peodebant.
- *In specie.* Nã fidei-cõmissum duplex est, videlicet
  - *Vniuersale,* id est, hereditatis; de quo dissoluũtur quatuor quęstiones:
    - I. *Qui possunt hoc fideicommisso onerari?* Potest onerari
      - *Heres*
        - *Scriptus*
          - *Ex asse.*
          - *Ex parte.*
        - *Ab intestato.*
      - *Fideicommissarius.*
    - II. *Quid venit in fideicommissum?*
      - *Vel tota hereditas.*
      - *Vel pars hereditatis.*
    - III. *Quomodo relinqui potest?*
      - *Purè.*
      - *Sub conditione.*
      - *Ex certa die.*
      - *Sine testibus.* quo casu fideicommissarius potest heredi iusiurandum deferre: heres autem cogetur aut iurare se non fuisse rogatum à testatore, aut soluere.
    - IV. *Quis est effectus fideicõmissi?* Sic distinguitur:
      - *Aut heres sponte adit hereditatẽ.* Hoc casu ex S. C. Trebelliano.
        - Heres potest retinere quartam: in quam
          - *Imputatur* pars hereditatis, qua deducta iussus est hereditatem restituere.
          - *Non imputatur* res vna, aut plures, quibus deductis heres rogatus est hereditatem restituere.
      - *Aut heres nõ vult adire:* & desideràte fideicommissario cogitur adire & restituere, ita vt omne luctum vel dãnum ad fideicommissarium solum, non ad heredem restituentem pertineat.
        - Actiones hereditarię tam actiuę quàm passiuæ transeunt in fideicommissariũ, pro qua parte hereditas et restituitur.
  - *Particulare:* de quo tres quæstiones perpurgantur
    - I. *Quis potest onerari fideicommisso?* Onerari potest
      - Heres.
      - Legatarius.
      - Fideicommissarius.
    - II. *Quid venit in fideicommissum?* Ita relinqui potest
      - *Res testatoris.*
      - *Res eius qui fideicommissum restituere debet:*
        - Siue heres
        - Siue legatarius
        - Siue fideicommissarius
        - rogetur.
      - *Res aliena,* quo casu is qui rogatus est, aut rem redimere & soluere, aut eius æstimationem præstare cogitur.
      - *Libertas seruo*
        - *Testatoris.*
        - *Eius qui rogatus est manumittere.*
        - *Extranei.* hoc casu is, qui rogatus est, quandocunque potest; seruum redimere & manumittere cogitur.
        - His omnib. casibus manumissus fit libertus manumittentis. cũ autem iure directo libertatem ex testamẽto accipit, fit libertus orcinus, id est, defuncti.
    - III. *Quibus verbis relinquitur?* Hæc verba maximè sunt in vsu,
      - Peto.
      - Rogo.
      - Volo.
      - Mando.
      - Fidei tuæ committo.
      - Quæ perinde singula per se firma sunt, ac si omnia simul coniuncta efferantur.

XXXIX. *De codicillis.*

De codicillis hæc docentur:

- I. Origo codicillorum cœpit temporibus Augusti vnà cum fideicommissis.
- II. Codicilli fiunt
  - Vel ante testamentum, quo casu valent, nisi expresè sequenti testamento reuocentur.
  - Vel post testamentum.
  - Vel ab intestato.
- III. Codicillis
  - Non potest
    - Heres directò
      - Institui.
      - Substitui.
    - Hereditas adimi.
    - Conditio institutioni heredis adscribi.
  - Potest hereditas per fideicommissum relinqui.
- IV. Idem plures codicillos facere potest: & omnes valent, nisi sint inter se contrarij: quo casu posteriores prioribus derogant.
- V. Nullam ordinationis solemnitatem desiderant.

LIBER III.

XL. *De hereditatibus quæ ab intestato deferuntur.*


Intestatus decedere dicitur quatuor modis.

1. Si testamentú non fecit.
2. Si testamentú nó iure aut nullius momenti fecit.
3. Si testamentú ruptú irritúm ve factú est.
4. Si nemo ex testamento heres exstitit.

Intestatus autem est

- Aut ingenuus: cuius hereditas defertur
  - Iure institutionum
    - Primò suis heredibus, vel quasi suis. Hic agitur
      - 1. De suis: de quibus dissoluuntur quatuor quæstiones
        - I. Qui sunt sui? Qui in potestate morientis fuerunt nulla inter eos & defunctum persona interiecta. Nec refert vtrùm sint
          - Masculi an feminæ.
          - In primo, an in vlteriori gradu
          - Naturales, an adoptiui.
        - II. Quomodo succedunt? Ipso iure ita vt dominium morte parentis quasi continuetur in persona liberorum. Proinde succedunt
          - Etiam ignorantes.
          - Pupilli sine auctoritate tutoris.
          - Furiosi sine cósensu curatoris.
        - Quandoque tamen
          - Qui nó est in morientis potestaté, nec est mortis tempore suus heres, postea fit suus heres, veluti si quis post mortem parentis reuertatur ab hostibus: nam ius postliminij facit eú suum heredem.
          - Qui mortis tempore est su' heres, postea desinit esse suus heres: veluti si defúcti memoria ob crimé perduellionis damnetur: nam omnia eius bona confiscantur.
        - III. Qui, & qua ex parte succedunt? Omnes sui heredes succedunt in stirpes. nec proximior remotiorem ex se non descendentem excludit. vt putà si sint filius & tres nepotes ex altero filio defuncto: semissem filius obtinebit, alter semis æqualiter inter nepotes diuidetur.
        - IV. Quo tempore spectatur, an quis suus heres existere possit? Eo tempore, quo certum est aliquem intestatum decessisse. Quare si filius exheredatus deliberante herede instituto decesserit, deinde heres institutus hereditatem repudiet, nepos ex dicto filio exheredato suus heres erit, licèt post mortem aui natus sit, dummodò eo viuo conceptus fuerit.
      - 2. De quasi suis, id est, de his qui loco suorum habentur
        - Vel ex edicto prætoris, nempe liberi emancipati. Nota filios in adoptionem datos, si adoptio valeat,
          - Adoptione stante esse suos heredes patri adoptiuo.
          - Post adoptionem emácipatione dissolutam esse quasi suos heredes patris naturalis perinde ac si ab eo emancipati fuissent.
        - Vel ex constitutionibus principum: nimirum descendentes ex feminis. Hi
          - Si concurrant cum descendentibus ex masculis, minus tertia parte quàm illi accipiunt.
          - Præferuntur omnino omnibus adgnatis.
    - Secundò legitimis heredibus. Vide tab. seq.
    - Tertiò cognatis. Vide tab. 42.
  - Iure nouissimo, vt explicabitur tab. 43.
- Aut libertinus: de cuius successione vide tab. 44.

XLI. De legitimis heredibus.



De legitimis heredibus
- *Primò agitur specialiter.* Nā alij vocantur ex
  - *Lege xij. tab. vel constitutionib. ad eam accommodatis.* Huc refertur successio
    - *Adgnatorum, & quasi adgnatorum.* Hic sciendum
      - 1. *Qui ad hereditatē vocentur.* Vocantur autem
        - *Ex lege xij. tab.* adgnati proximi: de quib. tria notantur:
          - 1. Nihil refert, vtrùm sint naturales, an adoptiui.
          - 2. Nihil refert, vtrùm vnus sit proximus, an plures proximi. Dum enim lex proximum vocat, quemlibet proximum vocare intelligitur; proinde omnes vocat, qui in eodem gradu sunt.
          - 3. Proximitas spectatur
            - Si defunctus sine testamēto decesserit, eo tēpore quo mortuus est.
            - Testamento facto, cùm primùm certum esse cœperit neminem ex eo testamento heredem fore.
        - *Ex Iustiniani constitutione* filij sororis
          - Germanæ.
          - Consanguineæ.
          - Vterinæ.
      - *Quomodò hereditas diuidatur inter plures simul succedentes.* Diuiditur in capita, non in stirpes.
    - *Parentum, qui liberos emanciparunt.* Hi succedunt
      - *Ex lege xij. tab.* Ita demum si contracta fiducia emancipauerint.
      - *Ex Iustiniani constitutione* omnimodò & indistinctè.
  - *S.C. Tertulliano, vel constitutionibus ad illud accommodatis.* Hinc mater filio vel filiæ succedit, licèt vulgò conceperit, nisi impuberes moriantur, cùm eis mater tutorem non petierit. Porrò
    - *Matri præferuntur* ipsius defuncti
      - Liberi.
      - Pater.
    - *Matri cedunt*
      - Auus, aut proauus, si soli sint. Nam si concurrant auus vel proauus, & pater, & mater: matre per patrem exclusa, auus aut proauus succedit, & præfertur patri, D.h.t.l.5.§.vlt.
      - Adgnati, Cognati: vltra fratres & sorores.
    - *Vnà cum matre succedunt* fratres & sorores, ita vt diuidatur hereditas
      - Inter matrem & sorores inæqualiter: quia mater semissem accipit, alter semis inter sorores æquè diuiditur.
      - Inter matrem & fratres; Inter matrem, fratres, & sorores: in capita.
  - *S.C. Orficiano.* Hinc filij & filiæ succedunt matri, — *Constitutionibus ad Senatusconsultum Orficianum accommodatis.* Hinc nepos & neptis succedunt auiæ. — Vtrisq; duo cōmunia sunt:
    - 1. Succedunt etiam vulgò cōcepti.
    - 2. Ab his excluduntur consanguinei & adgnati.
- *Secundò explicantur quædam omnibus legitimis heredib. communia.* Nam
  - 1. Ad hereditatem vocantur post suos heredes.
  - 2. Capitis deminutio successionem delatam ex
    - Lege xij. tabularum adimit.
    - Nouo iure non tollit.
  - 3. Si ex multis simul ad hereditatem vocatis quidam non adierint, eorum portio ceteris adeuntibus accrescit.
  - 4. Si nullus proximus hereditatem accipiat, in eius locum succedit, qui est deinceps. Exempli gratiâ, si frater defuncti nolit aut non possit succedere, patruus admittitur.

XLII. *De successione cognatorum.*

De svccessione cognatorũ sciẽdum,

- I. *In quo ordine vocentur.* Vocantur in tertio ordine post
  - Suos, & quasi suos.
  - Legitimos, & quasi legitimos.
- II. *Quo iure vocentur.* A prætore tantùm vocantur, non iure ciuili: proinde non fiunt veri heredes, sed beneficio prætoris loco heredum habentur.
- III. Quinam in hoc ordine succedant.
  - Alij vocantur tam in hoc, quã in superioribus ordinibus, vel in superiori aliquo ordine, vt
    - Liberi naturales.
    - Adgnati naturaliter cõiũcti.
  - Alij in hoc tantùm ordine succedũt, vt
    - *Adgnati capite minuti*, id est, emancipati. Anastasius excepit fratres & sorores emancipatos, quos
      - *Admittit cum fratribus & sororibus non emancipatis*, sed ita vt illi duplò plus accipiant, quàm emancipati. verùm Iustinianus post Institutiones conditas vocat omnes æqualiter, l. vlt. C. de legit. hered.
      - *Præfert remotioribus*
        - Adgnatis.
        - Cognatis.
    - *Coniuncti per feminas*, etiamsi vulgò quæsiti sint.
    - *Dati in adoptionem.* Dum enim sunt in adoptiua familia, non possunt patri naturali succedere quasi liberi, ne videantur habere duos patres: nec quasi adgnati, quia per adoptionem mutarunt familiam: sed succedunt in hoc tertio ordine.
- IV. *Vsque ad quem gradum succedant.* Hoc iure solùm vsque ad sextum gradum succedunt, exceptis sobrinorum sobrinarúmque filiis vel filiabus ex septimo gradu succedentibus: licèt adgnati succedant vsque ad decimum gradum. Sed ex Nou. 118. sublato inter adgnatos & cognatos discrimine, omnes admittuntur secundùm Doctores vsque ad decimum gradum. fortasse tamen verius est successionem hodie nullo gradu terminari. Omni autem iure propinquiores remotioribus præferuntur. Consequens igitur est, vt in tabula sequenti gradus adgnationis & cognationis proponamus.

XLIII. De gradibus cognationis.

Cognati & adgnati ſunt in gradu

COGNATI, & adgnati vel ſūt

	1	2	3	4	5	6
Superiores, id eſt, patētes, vt	*a* Pater. Mater.	*b* Auus. Auia.	*c* Proauus. Proauia.	*e* Abauus. Abauia.	*g* Atauus. Atauia.	*k* Tritauus. Tritauia.
Inferiores, id eſt, liberi, vt	*a* Filius. Filia.	*b* Nepos. Neptis.	*c* Pronepos. proneptis.	*e* Abnepos. Abneptis.	*g* Atnepos. Atneptis.	*k* Trinepos. trineptis.
Tranſuerſales, ſeu laterales, qui ex eodem parente originem ducūt. Hi deſcendunt ex: Atauo, & atauia, vt	—	—	—	—	—	*l* Abpatru'. Abamita. Abauunculus. Abmatertera.
Abauo, & abauia, vt	—	—	—	—	*h* Propatru'. Proamita. Proauunculus. Promatertera.	*m* Propatrui, proamitæ, &c. filius, filia.
Proauo, & proauia, vt	—	—	—	*f* Patruus. Amita. Auúculus. Matertera. [magnus]	*i* Propius ſobrino. Propius ſobrina.	Sobrinus. Sobrina.
Auo, & auia, vt	—	—	*d* Patruus. Amita. Auunculus. Matertera.	Patruelis. Amitinus. Amitina. Conſobrinus. Cōſobrina.	*i* Patruelis, amitini, &c. filius, filia.	*m* Patruelis, amitini, &c. nepos, neptis.
Patre & matre, vt		Frater. Soror.	*d* Fratris, vel ſororis filius, filia.	*f* Fratris, vel ſororis nepos, neptis.	*h* Fratris vel ſororis pronepos, proneptis.	*i* Fratris vel ſororis abnepos, abneptis.
	1	2	3	4	5	6

N O T A.

In hac tabella ſunt ſex columnæ cellularum: & quælibet cellula plures cognatos adgnatóſque continet. In prima columna ſunt duæ cellulæ, vna patris & matris, altera filij & filiæ. in ſecunda tres: prima aui & auiæ, ſecunda nepotis & neptis, tertia fratris & ſororis. in tertia quatuor: prima proaui & proauiæ, ſecunda pronepotis & pronepris, tertia patrui, &c. quarta fratris vel ſororis filij, & filiæ. & ita deinceps numerus cellularum ſemper augetur. ¶ Quicumque ſunt in eadem columna, ſunt in eodem gradu, qui in ſuprema & in infima cuiuſuis columnæ parte notatur numero arithmetico, quem vulgò vocamus ſifram. ¶ Quibus litera præfigitur, hi ſunt tranſuerſales inæquales: ſemper autem ſunt duæ cellulæ in eadem columna habentes eandem literā: altera ſuperior continens tranſuerſales ſuperiores, qui communi parenti propinquiores ſunt: altera inferior, quæ tranſuerſales inferiores, id eſt, à communi parente remotiores complectitur. atque inter hos & illos eſt relatiu. vt in tertia columna duæ ſunt cellulæ notatæ litera *c*: altera ſuperior continens patruum, &c. altera inferior, in qua fratris vel ſororis filius & filia inſcribuntur. ergo patruus ad filium fratris refertur tamquam tranſuerſalis ſuperior ad inferiorem. eadem eſt aliorum ratio. Cellulæ autem litera carentes continent tranſuerſales æquales, qui æquè à communi parente diſtant, eadémque cellula vtrumque relatum continet. talis in ſecunda columna eſt cellula fratris & ſororis: in quarta columna, cellula patruelis, amitini, &c. in ſexta columna, cellula ſobrini & ſobrinæ.

XLIV. De hereditatibus, quæ iure nouissimo ab intestato deferuntur, ex Const. 118. & 127. cap. 1.

Iure nouissimo hereditas defertur

- *Primò descendentibus*, id est, liberis: de quibus sciendum,
  - *Qui succedant.* Æquè autem succedunt
    - Feminæ, ac masculi.
    - Descendentes ex feminis, ac descendentes ex masculis.
    - Qui sunt integri iuris, & emancipati.
  - *Cui succeditur.* Parenti succeditur
    - Siue sui iuris fuerit.
    - Siue fuerit in patris sui potestate. Hæc successio locum habet in his rebus, quæ patri non acquiruntur.
  - *Quatenus singuli succedant.* In stirpes succeditur, non in capita.
- *Secundò adscendentibus*, id est, parentibus quibus iunguntur fratres vel sorores germani, & horum filij. Hic videndum,
  - *Qui succedant.*
    - *Præferuntur parentes*
      - Filiis fratrum germanorum, si nulli fratres extent, vt rectè Cuiac. scotit contra communem Doctorum opinionem.
      - Proximiores remotioribus.
    - *Simul succedunt*, qui sunt in eodem gradu, oullo discrimine habito inter
      - Masculos & feminas.
      - Coniunctos per masculos, & coniunctos per feminas.
      - Eos qui sunt sui iuris, & eos qui sunt in potestate parentis.
  - *Quatenus succedant.* Hic distinguitur. Nã
    - *Si soli sint parentes paterni & materni*, illi dimidiam partem, hi alteram dimidiam obtinent.
    - *Si sint parentes, & fratres germani*, succeditur in capita. & licèt fratres sint in patris potestate, tamen vsumfructum suæ portionis ei non acquirunt.
    - *Si sint parentes, & fratres, & filij fratrum*: parentes & fratres succedunt in capita, filij fratrum in stirpes.
- *Tertiò transuersalibus*: inter quos
  - Primum locum obtinent, & sorores germani, & horum prædefunctorum filij, vel filiæ: qui etiam vocabantur cum adscendentibus. Atque hi succedunt in stirpes.
  - Secundus locus datur fratribus & sororibus consanguineis, vel vterinis, & horum prædefunctorum filiis vel filiabus. Hi quoque succedunt in stirpes.
  - Deinceps vocantur secundùm gradus prærogatiuam, & in capita succedunt omnes sequentes
    - Adgnati.
    - Adgnatæ.
    - Cognati.
    - Cognatæ.

XLV. De successione libertorum.

Liberto intestato succedũt

- Primò eius liberi.
- Secundò fratres.
- Tertiò patronus.
- Quartò liberi ipsius patroni.
- Quintò hi qui ex trãsuerso coniuncti sunt patrono.
  - De his sunt quatuor notanda:
    - I. Proximiores præferuntur remotioribus.
    - II. Hi omnes succedunt in capita, numquam in stirpes.
    - III. Hæc successio non defertur vltra quintum gradum.
    - IIII. Si patronus vni ex liberis libertum adsignauerit, alij liberi non succedunt, quamdiu is aut eius liberi extãt. De adsignatione autem libertorũ dissoluũtur quatuor quæstiones.
      - I. *Quis adsignari potest?* Adsignari potest tam libertus, quàm liberta.
      - II. *Cui adsignari potest?* Adsignari potest
        - Tam masculo quàm feminæ.
        - Tam liberis primi gradus, quàm vlterioribus.
        - Tam filio in potestate constituto quàm filio emancipato, dummodo non huic soli assignatur, sed vnà cum filio integri iuris. nam emancipatus per fratrem consequitur, quod per se habere non potest.
      - III. *Quomodo adsignari potest?* Adsignari potest
        - Tam in testamento, quàm extra testamentum.
        - Quibuscumque verbis.
      - IV. *Quomodo finitur adsignatio?* Emancipatione filij, cui in potestate constituto libertus adsignatus fuerat.

XLVI. *De bonorum possessionibus.*

De bonorum possessione octo quęstiones occurrũt

- I. *Quid est?* Ab Vlpiano definitur, Ius persequendi retinendique patrimonij, siue rei, quæ cuiusque cùm moreretur, fuit, D.h.t.l.3.§.boootum.
- II. *Quo iure introducta est, seu competit?* Iure prætorio.
- III. *Cur introducta est?* Iuris ciuilis partim supplendi, vel emendandi, partim confirmandi gratia. Dum eoim prætor bonorum possessionem dat liberis emancipatis, qui iure ciuili non succedunt, ius ciuile supplet. Dum autem dat bonotum possessionem legitimis heredibus, qui etiam iure ciuili ad successionem vocantut, ius ciuile confirmat.
- IV. *Quem habet effectum?* Bonorum possessor non est heres, sed beneficio prætoris habetur loco heredis.
- V. *Quo tuplex est?*
  - *Partim ordinaria:* quæ defertur
    - Vel ex testamento, nempe
      - 1. *Contra tabulas*, quæ datur
        - Liberis / Parentibus / Patronis — à defuncto
          - Vel præteritis.
          - Vel ioutiliter exheredatis.
      - 2. *Secundùm tabulas*, quæ datur
        - *Directa* heredibus scriptis.
        - *Vtilis* heredibus institutis in testamento nuncupatiuo.
    - Vel ab intestato, videlicèt
      - 1. *Vnde liberi*: quæ liberis defuncti vel defunctæ competit.
      - 2. *Vnde legitimi*: quæ datur legitimis heredibus, veluti
        - Adgnatis.
        - Pareotibus, qui liberos emanciparunt.
        - Patronis.
      - 3. *Vnde cognati*: quæ eognatis defuncti vel defunctæ competit.
      - 4. *Vnde vir & vxor*: per quam coniugi defunctæ, vel defuncto coniux superstes sueeedit.
  - *Partim extraordinaria*, nimirum, *Vt ex legibus.* Hanc prætor iis tribuit, quibus vt bonotum possessio detur, lege vel senatusconsulto vel principis eoostitutione cautum est.
- VI. *Intra quod tempus peti debet?* Præscribitur vtile tempus
  - *Anni*
    - Liberis.
    - Parentibus.
  - *Centum dierum* extraneis personis.
- VII. *Quid si is, cui bonorum possessio defertur*, eam repudiet, vel intra statutum tempus non petat? Distinguitur: nam
  - Si aliæ personæ simul ad bonorom possessionem voeentur, his portio non accipientis accrescit.
  - Si nulli alij sint simul vocati, sequentibus personis ex successorio edicto defertur.
- VIII. *Quomodo potest peti?* Quocunque modo voluotas significetur amplecteodæ bonorum possessionis.

XLVII. *De acquisitione per arrogationem.*

Arrogationis tres effectus sunt notandi:

1. Liberi ipsius arrogati, id est, qui in eius potestate sunt, in potestatem arrogatoris traoseunt quasi nepotes, suprà de adopt.§.pen.
2. Bona arrogati acquirũtur arrogatori. Hìc sciendum,
   - *Quo iure hac acquisitio sit introducta.* Moribus est recepta.
   - *Quatenus hoc modo acquiratur.* Arrogatori
     - Olim plena proprietas acquirebatur.
     - Hodie vsusfructus duntaxat acquiritur.
3. Arrogator ex conttactu, quem artogatus antea fecerat, conueniri potest
   - De peculio.
   - Tamquam defensor filij.

XLVIII. *De eo, cui libertatis causâ bona addicuntur.*

De acquisitione per addictionem bonorum quæ libertatũ seruandarum causa fit, quæritur,

- I. *Quo iure est introducta?* Oratione Diui Marci.
- II. *Quanam requiruntur, vt huic addictioni sit locus?* Tria tequiruntur:
  1. Vt libertates datæ sint, quarum seruandarum causa bona addici debent.
  2. Vt nec ex testamento oec ab intestato aliquis hereditatem adire velit.
  3. Vt is, qui sibi addici petit, de solido creditoribus hereditariis solnendo satisdet.
- III. *Qui possunt addictionem petere?* Eam petere possuot
  - Tam serui, quibus libertas relicta est.
  - Quàm extranei quicumque, C.de testam.mao.l.vlt.in pr.
- IV. *Qui sunt huius addictionis effectus?*
  - 1. *Libertates cum effectu competũt*, ita vt
    - Hi, quibus per fideicommissum libertas relicta est, fiant liberti eius cui bona sunt addicta.
    - Hi, quibus libertas directa relicta est, fiant liberti orcini, nisi adsentiantur eius desiderio, eui bona addicuntur, vt eius liberti fiant.
    - Datæ libertates non reuocentur, licèt is io integrum sit restitutus, quo abstinente booa addicta fuetant.
  - 2. *Bona non distrahuntur à creditoribus hereditariis.*

XLIX. *De obligationibus.*

Obligatio est duplex, videlicet

- *Naturalis*, quæ solo æquitatis vinculo continetur, vt
  - Ex nudo pacto.
  - Inter dominum & seruum.
  - Inter patrem & filium in eius potestate constitutum.
  - Inter duos fratres in eiusdem patris potestate positos.
- *Ciuilis*: de qua sciendum,
  - 1. *Quid sit.* Est iuris vinculum, quo necessitate adstringimur alicuius rei soluendæ secundùm nostræ ciuitatis iura.
  - *Quotuplex sit.* Diuiditur
    - *Primò in*
      - *Ciuilem*, quæ legibus introducta, vel iure ciuili comprobata est.
      - *Prætoriam*, siue honorariam, quam ex sua iurisdictione constituit
        - Aut prætor.
        - Aut ædilis curulis.
    - *Secundò in obligationem ex*
      - *Contractu*, qui est vel
        - *Nominatus*: qui habet proprium contractus nomen: & perficitur aut
          - *Re*, id est, rei traditione, vt
            - *Mutuum.* Vide tab. seq.
            - *Commodatum.* Vide tab. 51.
            - *Depositum.* Vide tab. 52.
            - *Pignus.* Vide tab. 53.
          - *Verbis*, vt stipulatio, de qua vide tab. 54.
          - *Literis*, id est, scriptura, cùm quis chirographum dedit spe pecuniæ mutuò accipiendæ, & nec eam accepit, nec intra biennium conquestus est de non numerata pecunia.
          - *Consensu*, vt
            - *Emptio & venditio.* Vide tab. 61.
            - *Locatio & conductio.* Vide tab. 62.
            - *Societas.* Vide tab. 63.
            - *Mandatum.* Vide tabul. 64.
        - *Innominatus*, qui non habet nomen contractus, sed nudæ conuentionis, vt
          - *Do vt des*
          - *Do vt facias.*
          - *Facio vt des.*
          - *Facio vt facias.*
      - *Quasi contractu.* Vide tab. 65.
      - *Delicto*, vt
        - Furto. Vide tab. 68.
        - Rapina. Vide tab. 69.
        - Damno. Vide tab. 70.
        - Iniuria. Vide tab. 71.
      - *Quasi delicto.* Vide tab. 72.

Communia de contractu, & quasi contractu. Vide tab. 66. 67.

L. De

L. De mutuo.

De mutuo quæritur,

- I. *Quod est genus mutui?* Refertur inter contractus nominatos, qui re perficiuntur.
- II. *Vnde dicitur mutuum?* Ex eo dictum est, quòd de meo mutuantis fit tuum accipientis.
- III. *Quæ res mutuò dari possunt?* Mutuò dantur, quæ constāt
  - Pondere, vt
    - Æs.
    - Argentum.
    - Aurum.
  - Numero, vt pecunia numerata.
  - Mensura, vt
    - Vinum.
    - Oleum.
    - Frumentum.
- IV. *Quomodo res mutuò dantur?* Tribus modis dantur, id est,
  - Vel appendendo.
  - Vel numerando.
  - Vel admetiendo.
- V. *Quis est finis & effectus mutui?* Triplex est:
  - 1. Rei dominium transfertur in accipientem.
  - 2. Aliud eiusdem generis & bonitatis eo tempore, de quo conuenit, reddi debet.
  - 3. Ad repetendum mutuum datur certi condictio.

LI. De commodato.

De commodato quæritur,

- I. *Quod est genus commodati?* Refertur inter contractus nominatos, qui re perficiuntur.
- II. *Quæ actio hinc oritur?* Duplex est actio commodati: nam
  - *Directa* datur commodatori contra commodatarium.
  - *Contraria* datur commodatario contra eum qui commodauit.
- III. *Quid interest inter commodatum & mutuum?*
  - 1. In mutuo res fit accipientis, in commodato non fit.
  - 2. Qui mutuum accepit, tenetur reddere idem genus: commodatarius verò eandem speciem.
  - 3. Qui mutuum accepit, tenetur, etiamsi casu fortuito rem amiserit: commodatarius autem, si casu rem amiserit, cùm dolo & culpa vacet, nō tenetur, diligentiam tamen exactissimam præstare debet.
- IV. *Quid interest inter commodatum & locationem?*
  - 1. Locatio consensu, commodum re contrahitur.
  - 2. Locatio requirit mercedem, commodatum est gratuitum.

LII. De deposito.

De deposito quæritur

- I. *Sub quo genere continetur?* Refertur inter contractus nominatos, qui re perficiuntur.
- II. *Quos habet effectus?* Plures, quorum alij respiciunt obligationem
  - Depositarij, qui
    - Tenetur actione depositi directa.
    - Reddere debet eandem speciem.
    - Præstat tantùm dolum, & latam culpam.
  - Eius qui deposuit: hic enim depositario tenetur actione depositi contraria.

LIII. De pignore.

De pignore quæritur,

- I. Sub quo genere collocatur? Est species contractus nominati, re celebrati.
- II. Quos habet effectus? Plures quorum alij respiciunt obligationem
  - Creditoris, qui pignus accepit: hic enim
    - Tenetur debitori actione pigneratitia directa.
    - Tenetur reddere eandem speciem.
    - Præstat diligentiam exactam, i. tenetur de dolo, culpa lata, & culpa leui.
  - Debitoris, qui tenetur actione pigneratitia contraria.

LIV. *De ſtipulatione.*

De ſtipulatione ſex ſunt explicanda:

- I. *Quid eſt?* A Pomponio definitur verborum conceptio, quibus is qui interrogatur, daturum facturúmve ſe, quod interrogatus eſt, reſpondet, D.de verb.oblig.l.5.§.1.
- II. *Vnde dicta eſt?* A ſtipulo, quod apud veteres firmum ſignificabat, fortaſſe à ſtipite deductum.
- III. *Quidnam in ſtipulationem deduci poteſt?* Stipulamur
  - Aut rem.
  - Aut factum; id eſt, vt aliquid
    - Fiat.
    - Non fiat.
- IV. *Quomodo fit?* Interrogatione præcedente, & congruá reſponſione ſequente: veluti, *Dabis? dabo.*
- V. *Quibus verbis fit?* Quibuſcumque idoneis verbis, ſiue Græcis, ſiue Latinis, ſiue aliûs linguæ.
- VI. *Quem habet effectum?* Actionem parit, id eſt,
  - Actionem ex ſtipulatu, ſi ſit ſtipulatio incerta.
  - Certi condictionem, ſi ſit ſtipulatio certa.
- VII. *Quotuplex eſt?* Diuiditur multis modis:
  - *Primò* aut eſt
    - *Certa*, id eſt, rei certæ, putà Stichi, vel decem.
    - *Incerta*, id eſt, rei incertæ, vt ſeruitutis, poſſeſſionis, eius quod intereſt.
  - *Secundò* conſiſtit aut in
    - *Dando*, veluti, *Decem dabis?*
    - *Faciendo*, veluti, *Inſulam mihi extrues?*
    - *In non faciendo*, veluti, *Non tolles altiùs ædes tuas?*
    - His duob. caſibus promiſſor, ſi fidē non præſtet, in id tenetur quod ſtipulantis intereſt, niſi ſtipulatio pœnalis adiecta fuerit, veluti, *Si inſulam nō extrues*, aut, *Si altiùs ædes tolles, pœnæ nomine centum dabis?*
  - *Tertiò* vel fit
    - *Purè*, veluti, *Decem dabis?* Hinc ſtatim agi poteſt, id eſt, cùm primùm tantum temporis effluxerit, quo dari potuit, infr.de inutil.ſtipul.§.vlt.
    - *In diem*. de qua ſtipulatione hæc notentur:
      1. Non priùs agi poteſt, quàm dies illa præterierit.
      2. Hæc ſtipulatio, *Annua decem, quoad viuam dare ſpondes?* purè facta intelligitur, & perpetuatur, ſed heres petendo exceptione ſummouetur.
      3. Stipulatio, cui locus inſertus eſt, veluti, *Decem Carthagini dabis*, etſi pura videtur, tamen re ipſa tempus habet adiectum, quo Carthaginem iri poſſit, vnde ſi quis Romæ ita ſtipuletur, *Hodie Carthagini dare ſpondes?* ſtipulatio eſt inutilis; niſi ex contrahentium mandato per eorum diſpenſatores Carthagini degentes impleri poſſit, D.de ver.oblig.l.vlt.§.ſi inter eos.
    - *Sub conditione*, id eſt, dilata obligatione in incertum euentum, veluti, *Si nauis ex Aſia venerit.*
    - De ſtipulatione conditionali hæc ſunt notanda:
      1. Si quis ita ſtipuletur, *Si in Capitolium non adſcendero, dare ſpondes?* perinde eſt, ac ſi ſtipulatus eſſet, cùm moreretur, ſibi dari.
      2. Ex conditionali ſtipulatione tantùm ſpes eſt debitum iri: atque hanc ſpem ſtipulator ad heredem tranſmittit, ſi priùs moriatur, quàm conditio exiſtat.
      3. Conditiones, quæ ad præſens, vel ad præteritum tempus referuntur, veluti, *Si Titius conſul fuit*, vel, *Si Mænius viuit*, non ſuſpendunt obligationem. Nam ſi ea ita non ſunt, ſtipulatio eſt inutilis. ſi verò ita ſunt, purè valet.
  - *Quartò* vel fit per
    - *Vnum reum.*
    - *Duos reos.* Vide tab.ſeq.
  - *Quintò* vel fit per
    - *Hominem liberum.*
    - *Seruum.* Vide tab.56.
  - *Sextò* aut eſt
    - *Iudicialis.*
    - *Prætoria.*
    - *Communis.*
    - *Conuentionalis.*
    - Vide tab.57.
  - *Septimò* aut eſt
    - *Vtilis.*
    - *Inutilis.*
    - Vide tab.58.
  - *Octauò* aut eſt
    - *Principalis.*
    - *Acceſſoria*, vt fideiuſſoris. Vide tab.60.

LV. De

LV. De duobus reis.

De duobus reis stipulādi, vel promittendi quæritur,

- I. *Quot rei esse possunt?* Possunt esse
  - Vnus.
  - Duo.
  - Tres, vel plures quocunque numero.
- *Quomodo fiunt?* Hîc tria notāda:
  1. Plures rei stipulandi fiunt, si post omnium stipulantium interrogationem promissor respondeat, *Spondeo*: veluti si duobus separatim stipulantibus ita promissor respondeat, *Vtrique vestrum dare spondeo.*
  2. Duo pluresve rei promittendi fiunt, si interroganti, *Maui decem aureos dare spondes? & Sei eosdem decem aureos dare spondes?* respondeant singuli separatim, *Spondeo.*
  3. Ex duobus reis promittendi alius purè, alius in diē, vel sub conditione obligari potest.
- *Quis est harum stipulationum effectus?* Quinque sunt notanda:
  1. Solidum debetur singulis reis stipulandi.
  2. Solidum debent singuli rei promittendi.
  3. In omnium personarum obligatione vna & eadem res est.
  4. Ex pluribus reis stipulandi vnus exigens, omnium obligationem perimit.
  5. Ex pluribus reis promittendi vnus soluens, omnes liberat.

LVI. De stipulatione seruorum.

De stipulatione seruorum duo quæritur:

- I. *An seruus stipulari possit?* Respond. posse: quia seruus
  - Viuentis habet ius stipulandi ex persona domini.
  - Hereditarius habet ius stipulandi, eò quòd hereditas personam domini defuncti repræsentat.
- II. *Quis sit effectus stipulationis seruilis.* Distinguitur, nam seruus
  - Aut habet vnum dominum viuentem: & ei regulariter acquirit. Hæc regula
    - Producitur, siue seruus stipuletur
      - Domino.
      - Sibi.
      - Conseruo suo.
      - Impersonaliter.
    - Patitur exceptione in facto. Verbi gratia si seruus stipuletur sibi ire agere licere, ipse tātùm ire poterit, non etiam dominus eius.
  - Aut nullum habet dominum, quia dominus est defunctus: & acquirit hereditati, idque ad heredem postea adeuntem cum ceteris bonis hereditariis transibit.
  - Aut est seruus plurium: & regulariter singulis pro dominij portione acquirit. Excipitur tres casus, quibus vni domino acquirit.
    1. Si vnius iussu stipulatus sit.
    2. Si vni nominatim stipulatus sit.
    3. Si id quod promissum est, alteri domino acquiri non possit: vtputà si seruus rem vnius domini dari stipulatus sit.

LVII. De diuisione stipulationum in iudiciales, prætorias, communes, & conuentionales.

Stipulatio

- *Iudicialis* à mero iudicis officio proficiscitur, id est, solius iudicis iussu interpoitur, vt cautio
  - De *dolo.*
  - De *persequendo seruo* qui in fuga est, pretióve eius restituendo, si inueniri nequeat.
- *Prima est*, quæ proficiscitur à mero officio
  - *Prætoris*, vt cautio
    - *Damni infecti*, quam vicino præstat dominus ædium ruinosarum.
    - *Legatorum*, qua heres legatariis cauet se legata soluturum, cùm eorum dies venerit, aut conditio extiterit.
  - *Ædilis curulis*, vt duplæ stipulatio, qua serui aut iumenti, aut alius rei pretiosæ venditor emptori cauet, si res ei euicta fuerit, se ei duplum restituturum quam pretij nomine acceperit.
- *Communis* interponitur
  - Modò iussu prætoris:
  - Modò iussu iudicis:
  - vt stipulatio
    - *Rem pupilli saluam fore*, quæ à tutore præstatur, antequam tutelam administrare incipiat.
    - *Ratam rem dominum habiturum*: quam cautionem præstat, qui alieno nomine agit, si debitetur, an agere possit.
- *Conuentionalis* fit ex mero consensu & conuentione contrahentium.


LVIII. De vtilibus, vel inutilibus ſtipulationibus.

In quæſtione, vtrùm ſtipulatio ſit vtilis, an inutilis, hęc ſpectātur:

- I. *Id quod in ſtipulationem deductū eſt.* Hoc autem aut eſt
  - *Res.* Hic quæritur,
    - I. *Quæ res in ſtipulationē cadāt.* Sic autem diſtinguitur: Omnis res —
      - *Aut eſt in rerū natura:* hęc autem —
        - *Vel eſt in commercio,* & eius ſtipulatio valet, —
          - Siue ſit res mobilis.
          - Siue ſit res immobilis.
          - Niſi
            - Aut ſit ſtipulantis, & ei promittatur purè.
            - Aut ſit aliena, & ſtipulanti in eum caſum promittatur, quo ſua futura eſt.
        - *Vel eſt extra commercium*
          - *Siue omnino,* vt —
            - Res ſacra.
            - Res religioſa.
            - Res vniuerſitatis.
            - Homo liber.
            - Harum rerum ſtipulatio nullo modo contracta valet.
          - *Siue tantùm ſtipulantis*, veluti ſi Iudæus mancipium Chriſtianū ſibi dari ſtipuletur. Hęc ſtipulatio nō valet.
      - *Aut nō eſt in rerū natura:* &
        - *Vel fore ſperatur*, vt futuri fructus fundi. Hæc rerum ſtipulatio valere poteſt.
        - *Vel nec eſt, nec eſſe poteſt,* —
          - *Vel quia eſſe deſiit,* vt homo mortuus.
          - *Vel quia eſt res ſecūdùm naturam impoſſibilis,* vt chimæra. —
          - Harum rerum ſtipulatio non valet.
    - II. *Quot res in ſtipulationem deduci poſſint?* Stipulari poſſumus —
      - Vel vnam rem.
      - Vel multas res.
  - *Factū*
    - *Promittentis*
      - *Honeſtum,* vt, *Librum mihi ſcribere ſpondes?* Hæc ſtipulatio valet.
      - *Turpe,* veluti, *Rem Titio ſurripies?* Hæc ſtipulatio non valet.
    - *Alienum,* veluti, *Titium daturum ſpondes?* Hæc ſtipulatio nullum habet effectum, niſi —
      - Sit ſtipulatio prætoria, quæ ita accipiatur, ac ſi quis promiſerit ſe effecturum vt alter faciat, veluti —
        - *Titium iudicio ſiſturum,* id eſt, me effecturum vt ſiſtatur, D. de verb. oblig. l. quoties quis. 81. in pr.
        - *Rem ratam dominum habiturum,* id eſt, me effecturum vt ratum habeat, D. ta. rem hab. l. ſi procurator. 18.
      - *Stipulatio pœnalis adiecta ſit*, veluti, *Titium in Capitolium adſcenſurum ſpondes?* Spondeo. *Niſi Titius in Capitolium adſcenderit, decem aureos pœnæ nomine dare ſpondes?* Spondeo.
    - *Mixtum,* id eſt, ſi quis promittat ſe effecturum vt alius faciat. Hæc ſtipulatio valet.
- II. *Perſona, quæ ſtipulatur.* Nam —
  - Nec ſtipulari, nec promittere poſsūt
    - Pater & filius inter ſe contrahentes.
    - Dominus & ſeruus inter ſe contrahentes.
    - Mutus.
    - Surdus.
    - Furioſus.
    - Infans.
    - Abſens.
  - Stipulari poſſunt, non promittere
    - Seruus.
    - Pupillus ſine tutore.
  - Et ſtipulari & promittere poteſt filiusfamiliâs.
- III. *Perſona, in quam ſtipulatio confertur.* Hîc datur regula, ſtipulatio alteri facta non valet. Sed excipiūtur ſeptem caſus: —
  1. Si quis ei ſtipuletur, in cuius poteſtate eſt.
  2. Si quis ei ſtipuletur, quem in poteſtate habet.
  3. Si quis ei ſtipuletur, qui in eiuſdem poteſtate eſt cum ſtipulantē.
  4. Si in extraneum conferatur tantùm ſolutio, non obligatio: ita vt non id agatur, vt ille petere poſſit, ſed vt promiſſor ei ſoluens liberetur.
  5. Si quis ſibi & alteri ſtipuletur. Nam ſtipulatio pro parte ſtipulantis valet, licèt pro altera parte ſit inutilis.
  6. Si ſtipulatio pœnalis adiecta ſit: veluti, *Titio fundum Tuſculanum dabis? Niſi Titio fundum Tuſculanum dederis, centum aureos pœna nomine mihi dare ſpondes.*
  7. Si ſtipulantis intersit, veluti
     - Si quis ſtipuletur dari ſuo —
       - Procuratori.
       - Creditori.
     - Si tutor à contutore, cui adminiſtratione ceſſit, ſtipuletur rem pupilli ſaluam fore.
- IV. *Modus contrahendæ ſtipulationis.* Vide tab. ſeq.


LIX. De

LIX. *De vitiis stipulationum in modo stipulandi consistentibus.*




- **Stipulatione formæ**
  - *Vitiosa est, si*
    - *Interrogatio non interuenerit.* Sed si in instrumento scriptum sit aliquem promisisse, præsumimus interrogationem præcessisse.
    - *Responsio*
      - *Non conueniat interrogationi.*
      - *Nulla facta sit.*
      - *Omissa sit ex parte.* Hic nota, si plures res interroganti, respõdeatur
        - Simpliciter, *spondeo*, promissorem ad omnes illas res dandas obligari.
        - Vnam, vel quasdam datum iri, harum dumtaxat nomine obligationem nasci, de quibus responsum est.
    - *De alia re stipulator senserit, de alia promissor*, licèt eodem vocabulo ambo vsi sint: veluti si Stichum à te stipuler; tu autem de Pamphilo sentias, quem putes vocari Stichum.
    - *Conditio stipulationi adiecta*
      - *Sit impossibilis.*
      - *Deficiat*
  - *Vitiosa non est, sed valet, si*
    - *Conferatur in tempus*
      - *Cùm morietur*
      - *Pridie quàm morietur*
      - *Postquam mortuus erit.*
        - Stipulator.
        - Promissor.
        - Pater vel dominus stipulantis.
        - Alius quilibet.
      - *Præposterum*: veluti, *Si nauis cras ex Asia venerit, hodiè dare spondes?*
    - *Conditione stipulationis pendente moriatur*
      - *Stipulator.*
      - *Promissor.*

LX. *De fideiussoribus.*




- **De fideiussorib. sex quæstiones dissoluuntur**
  - I. *Cur adhibentur?* Vt magis cautum creditoribus sit.
  - II. *Cui obligationi accedere possunt?* Cuicumque: proinde fideiuberi potest
    - Pro obligato
      - Re.
      - Verbis.
      - Literis.
      - Consensu.
    - Pro obligato
      - Naturaliter.
      - Ciuiliter.
  - III. *Quando fideiuberi potest?* Fideiussor potest obligationem principalem
    - Præcedere: non tamen vt obligetur ante reum principalem.
    - Sequi.
  - IV. *In quantum obligari fideiussor potest?* Obligari
    - Potest
      - In tantum, in quantum reus principalis.
      - In minorem quantitatem, vel rem, quàm reus principalis.
    - Non potest in plus, quàm reus principalis.
  - V. *Quomodo fideiussor obligatur?*
    - Per stipulationem; proinde præcedente interrogatione, & sequente responsione. Sed si quis scripserit se fideiussisse, omnia præsumuntur solemniter acta.
    - Quibuscumque verbis
      - Siue Latinis.
      - Siue Græcis.
      - Siue aliis linguæ.
  - VI. *Quis est effectus fideiussionis?*
    - 1. Non solùm fideiussor obligatur, sed etiam heredem relinquit obligatum.
    - 2. Si plures sint fideiussores, quilibet in solidum conueniri potest. Sed habet beneficium diuisionis ex epistola Diui Hadriani, si confideiussores sint soluendo.
    - 3. Quod fideiussor soluit,
      - Potest à reo repetere actione
        - Mandati, si eius mandato fideiussit.
        - Negotiorũ gestorũ, si sine mãdato fideiussit.
      - Non potest repetere à confideiussore.

LXI. *De emptione & venditione.*



- **De emptione & venditione quatuor quæstiones dissoluuntur:**
  - I. Quomodo cõtrahitur? Cõuentione de prètio
    - Sine
      - Traditione.
      - Arris.
      - Scriptura: nisi inter contrahentes conuenerit, vt contractus in scriptis redigeretur: tunc enim venditio imperfecta est, & ab ea, nisi arræ datæ fuerint, impunè recedere licet. Quotiescumque autem arræ datæ sunt, is, qui contractum perficere vel adimplere recusat, si arras dedit, eas perdit, si arras accepit, duplum restituit.
    - Pretium autem debet
      - Esse certum. Idcirco si in arbitrium alterius conferatur, veluti, *Fundus tibi emptus esto, quanti eum Titius æstimauerit*, nisi ille fundum æstimet, contractus non valet.
      - In numerata pecunia consistere: alioquin non est emptio & venditio, sed contractus innominatus.
  - II. Quos habet effectus?
    - 1. Rei periculum ad emptorem pertinet, si sine venditoris dolo & culpa
      - Res perierit.
      - Res deminuta sit.
      - Seruus venditus fugerit, nisi venditor custodiam vsque ad traditionem in se receperit.
    - 2. Rei commodum, putà quod per alluuionẽ accessit fundo vendito, ad emptorẽ spectat.
    - 3. Ex hoc contractu datur duplex actio, nempe
      - Actio ex vendito datur venditori contra emptorem.
      - Actio ex empto datur emptori contra venditorẽ. Hæc actio interdum datur, licet venditio non valeat, veluti si quis à venditore deceptus emerit
        - Loca sacra vel religiosa pro profanis.
        - Loca publica pro priuatis.
        - Hominem liberum pro seruo,
  - III. Quotuplex est? Duplex, videlicèt
    - Pura.
    - Conditionalis.

LXII. *De locatione & conductione.*




- **De locatione & conductione tria explicantur:**
  - I. *Similitudo*, qua emptioni & venditioni est affinis. Sũt autẽ quatuor similitudines:
    - 1. Sicut emptio & venditio contrahitur conuentione de pretio, ita locatio & conductio contrahitur conuentione de mercede.
    - 2. Sicut pretium debet esse certum, ita etiam merces debet esse certa. Idcirco
      - Si merces alieno arbitrio commissa fuerit, conditionem adnexam habet, si ille mercedem definierit.
      - Si merces sit incerta, putà, si quis sarcinatori vestimenta dederit nulla certa mercede constituta, sed postea tantùm daturus, quantum inter eos conuenerit, est contractus innominatus, ex quo agitur præscriptis verbis.
    - 3. Sicut dubitabatur, an permutatio, quæ est mutua rerum traditio, sit emptio & venditio, ita dubitatum est, an mutua vsus concessio sit locatio & conductio: veluti si tibi rem vtendam siue fruendam dem, vt inuicem rem vtendam siue fruendam accipiam. Sed verius est vtroque casu esse contractum innominatum.
    - 4. Sunt quidam casus, quibus dubitatũ est, vtrùm sit emptio & venditio, an locatio & conductio.
      - 1. Cùm prædia perpetuò fruenda traduntur, id est, vt quamdiu pensio siue reditus pro his domino præstitur, neque ei qui accepit, neque heredi eius auferri possint. Hic contractus ea constitutione Zenonis
        - Separatur tam ab emptione & venditione, quàm a locatione & conductione, adeo vt sit propria species contractus.
        - Recipit varia contrahentium pacta, quę ab eis sunt seruanda.
        - Hanc naturam habet, vt, si nihil de rei periculo conuenerit,
          - Totius rei interitus ad dominum pertineat.
          - Partis interitus ad emphyteutam spectet.
      - 2. Si cum aurifice Titius conuenerit, vt anulum faceret, & acciperet (exempli causa) decem. Hoc casu si aurifex
        - Ea suo auro anulum facere debet, est tantùm emptio & venditio.
        - Ea auro Titij anulum faciat, est tantùm locatio & conductio.
  - II. *Effectus*, qui respiciunt
    - *Partim obligationem conductoris*, qui tenetur
      - Seruare legem conductionis.
      - Præstare ex bono & æquo ea, quæ in lege locationis sunt omissa: proinde seruare custodiam diligentissimam.
      - Actione locati.
    - *Partim obligationem locatoris*, qui conductori tenetur actione conducti.
  - III. *Quomodo finiatur vel non finiatur.* Non finitur moriente conductore intra tempora conductionis: quia heres eius eodem iure in conductione succedit.

LXIII. De societate.

De societate tria declarãtur:

- I. Diuisio. Nam
  - Alia est vniuersalis omnium bonorum, quam Græci κοινοπραξίαν appellant.
  - Alia est particularis, vt
    - Vnius negotiationis.
    - Vnius rei, D. pro soc. l. 5.
- II. Effectus. Hic tria docentur:
  - 1. Fiunt inter socios partes lucri & damni secundùm hanc distinctionẽ, quæ sequitur: (sed nota, si in aliis reb. lucrum, in aliis dãnum accidat, cõpẽsatione lucri cũ damno facta, id, quod superest, intelligi in lucro vel damno esse:)
    - Aut neque de lucro neque de damno quicquam conuenit: & vtriusque partes æquales inter socios fiunt.
    - Aut cõuenit specialiter tã de lucro, quã da damno, nẽpe
      - Vt partes æquales fiant tam lucri quàm damni.
      - Vt fiant partes inæquales, veluti
        - Vt ad vnum socium duæ partes lucri & damni pertineant, ad alterum tertia pars.
        - Vt ad vnum lucri duæ partes pertineant, damni tertia: ad alterũ duæ partes damni, lucri tertia.
      - Vt quis lucri partem ferat, de damno non teneatur.
      - (Hæc pacta valẽt & sunt seruanda.)
      - Vt ad vnum tantùm lucrum, ad alterum tantùm dãnum pertineat. Hæc societas non valet, D. pro soc. l. si non fuerint. 29. §. vlt.
    - Aut conuenit tantùm de lucro: & eodem modo fiunt partes damni.
    - Aut conuenit tantùm de damno: & eadem fit diuisio lucri.
  - 2. Ex hoc contractu oritur actio pro socio, vtrimque directa.
  - 3. Socius socio tenetur de dolo, & insuper tantam diligentiam præstare tenetur in rebus communibus, qualem in suis adhibere solet.
- III. Quibus modis finiatur. Sũt autem plures modi:
  - 1. Renunciatio societatis.
  - 2. Mors socij. Hoc adeo verum est, vt si inter plures societas contracta sit, vnius morte dissoluatur etiam inter superstites, nisi in contrahendo aliter conuenerit.
  - 3. Finis impositus, negotio, cuius gratiâ societas fuit contracta.
  - 4. Confiscatio bonorum alicuius socij.
  - 5. Sessio bonorum à socio facta.

LXIV. *De mandato.*



De MANDATO quatuor quæstiones dissoluuntor:

- I. *Quibus modis contrahitur?* Hîc quatuor docentur. Nam mandatur
  - Primò vel gratia
    - Mandantis tantum, veluti si mandem tibi, vt negotia mea geras.
    - Mandatarij tantùm: veluti si tibi mandem, vt pecuniam tuam potiùs in emptionem prædiorum colloces, quam fœnori des. Hoc non est verom mandatum, sed potiùs consilium: nec est obligatorium, nisi dolus subsit, D. de diu. reg. iur. l. consilij. 47.
    - Alienâ; veluti si tibi mandem, vt Titij negotia geras.
    - Mandantis & mandatarij: veluti si tibi mandem, vt pecuniam sub vsuris credas meo procuratori in rem meam accepturo.
    - Mandantis & aliena: veluti si tibi mandem, vt negotia geras mihi cum Titio communia.
    - Mandatarij & alienâ: veluti si tibi mandem, vt Titio pecuniam sub vsuris credas.
    - Mandãtis, mandatarij, & aliena: veluti si tutor contutori mandet negotia pupilli gerenda, D. manda. l. si procuratorem. 8. §. si tutores.
  - Secundò aut
    - Purè.
    - In diem.
    - Sub conditione.
  - Tertiò gratis: alioquin
    - Si merces certa interueniat, est locatio & conductio.
    - Si merces sit incerta, est contract⁹ innominatus.
- II. *Quid mandari potest?* Res honesta, non turpis, vt homicidium,
- III. *Qui sunt effectus mandati?*
  - 1. *Mandatarius*
    - Non debet excedere fines mandati.
    - Tenetur actione mandati directa.
  - 2. *Mandator*
    - Mandatario tenetur actione mandati contraria,
    - Non tenetur in id, in quo mandatarius excessit fines mandati. v.g. si mandauit ædes sibi emi centum aureis, non tenetur vltra centum aureos, licèt mandatarius plus impenderit.
- IV. *Quibus modis finitur?* Pluribus modis, qui spectantur
  - *Partim in persona mandatoris, vt Reuocatio mandati*, quæ re integra fieri debet.
  - *Partim in persona mandatarij, vt renunciatio mandati*, quæ fieri quamprimum debet, vt integra causa mandatori seruetur rem per se vel per alium expediendi, alioquin mandatarius actione mandati tenetur, nisi iusta causa intercesserit, propter quàm serius renunciauit, aut etiam renunciationem prætermisit, licèt negotium non expedierit,
  - *Partim in vtriusuis persona, vt mors*
    - Mandantis.
    - Mandatarij.

L X V: *De obligationibus ex quasi contractu.*

QVONIAM contractus est conuentio habens causam, id est, vim sibi iure tributā ciuilis obligationis & actionis pariendæ: idcirco quasi contractus est, vel quia deest —

- *Causa*, tuncque vocatur propriè Pactum, vel Pactum nudum.
- *Vel quia deest mutuum consensus* seu conuentio, túneque propriè & specialiter appellatur quasi contractus, vt accidit in
  - *Negotiis gestis* domino absente & ignorante. Hinc tenetur
    - Negotiorum gestor domino actione negotiorum gestorum directa, vt administrationis suæ rationem reddat, & regulariter exactissimam diligentiam præstat.
    - Dominus gestori actione oegotiorum gestorum contraria, vt sumptus ab eo in negotia gerenda factos restituat, & omnioo eum indemnem seruet.
  - *Tutela*. Hinc tenetur
    - Tutor pupillo actione tutelæ directa.
    - Pupillus tutori actione tutelæ contraria.
  - *Communione*
    - Rei particularis sine societate. Hinc oritur actio communi diuidundo.
    - Hereditatis. Hinc datur actio familiæ ercisçundæ.
  - *Aditione hereditatis*. Hinc heres legatariis tenetur actione ex testameoto.
  - *Solutione indebiti*. Soluitur autem indebitum aut —
    - *A sciente*, & cessat repetitio; quia donare censetur, D. de condict. indeb. l. 1. & de diu. reg. iur. l. cuius. 53.
    - *Per ignorantiam*
      - *Iuris*: & non repetitur, quia ignorantia iuris non excusat.
      - *Facti*: & repetitur per condictionem indebiti, nisi ex ea causa solutum sit, ex qua lis inficiando crescit, adeò vt fiat condemnatio in duplum, & & accidit in —
        - Dâmno per iniuriam dato, de quo agitur ex lege Aquilia.
        - Legatis, quæ ad pias causas relicta sunt.
        - Actione iudicati.
        - Si emptor in modo agri deceptus sit à venditore.
        - (Actione iudicati; Si emptor…: Paul. li. 1. Sēt. t. 20.)

L X V I. *Per quas personas obligatio acquiritur.*

OBLIGATIONEM acquirimus ex cōtractu, vel quasi cōtractu

- *Nostro.*
- *Serui nostri.*
- *Filij, quem in potestate habemus*: sed excipitur, quod pertinet ad —
  - Peculium castrense, vel quasi castrense.
  - Proprietatem aduentitiorum.
- *Liberi hominis, quem bona fide possidemus.* / *Serui alieni* { *Quem bona fide possidemus.* / *In quo habemus* — { *Vsumfructū.* / *Vsum.* } } — Hi nobis acquirunt ex duab. tantùm causis, id est, ex
  - Operis suis. vbi nota, nos non posse locare opera serui vsurarij, sed posse eius operis vti in eo quod faciendum conduximus, & pro his operis mercedem constituere, D. de vsu & habitat. l. sed & ipsi. 13.
  - Re nostra.
- *Serui nobis cum alio communis*. Sed hic omnibus dominis pro dominica parte acquirit, nisi —
  - *Vni nominatim contrahat*, putà Titio domino suo dari stipuletur.
  - *Vnius iussu contrahat*: nam hoc quoque casu vni, id est, soli iubenti acquirit.

LXVII. *Quibus modis obligatio tollitur.*

Obligatio tollitur vel

- *Ope exceptionis*, de qua vide tab. 86.
- *Ipso iure*, vt
  - *Solutione.* Hic consideratur
    - *Id quod soluitur.* Vbi notetur, id ipsum esse soluendum, quod debetur, non aliud pro alio, nisi creditor consentiat.
    - *Persona soluens*, de qua notetor —
      - 1. Debitorem liberari —
        - Siue ipse soluat.
        - Siue alius soluat pro eo
          - Consentiente.
          - Ignorante.
          - Inuito.
      - 2. Solutione
        - Debitoris principalis, —
        - Fideiussoris, —
        - liberari
          - Tam reum.
          - Quàm fideiussorem.
  - *Acceptilatione*: de qua hæc docetur,
    - I. *Quid est?* Imaginaria solutio.
    - II. *Quomodo fit?* Interrogatione debitoris præcedente, & responsione creditoris sequente, veluti, *Quod ego tibi promisi, habésne acceptum? Habeo.*
    - III. *Quibus verbis fit?* Tam Græcis, quàm Latinis, vel alia lingua.
    - IV. *Quas obligationes dissoluit?* Ipso iure tantùm verborum obligationem tollit: cæteras ope exceptionis infirmat, D. de rescin. vend. l. 5. & de acceptil. l. si acceptolatum. 19. Quòd si quis has quoque velit acceptilatione tollere, id facere potest, si priùs per nouationem eas in stipulationem deducat, deinde accepti ferat, vt contingit in formula Aquiliana, per quam omnes præcedentes obligationes in verborum obligationem transfunduntur, mox per acceptilationem tolluntur.
    - V. *In quantum obligationem tollit?* In quantum est acceptolatum, —
      - Siue in totum.
      - Siue pro parte.
  - *Nouatione*, quæ est veteris obligationis in nouam transfusio: &
    - *Fit* vel
      - *Interuentu nouæ personæ*, quæ vocatur expromissor. Regulariter igitur prior debitor liberatur, & expromissor obligatur. Excipiuntur duo casus: —
        - 1. Si pupill' sine tutoris auctoritate expromittat. Hoc casu pupillus non obligatur, vetus tamen debitor liberatur.
        - 2. Si seruus expromittat. Hoc casu neque seruus obligatur, neque vetus debitor liberatur.
      - *Retenta eadem persona*, ita vt in posteriori stipulatione aliquid noui adiiciatur, vel detrahatur, vt dies, vel conditio quæ postea existat, vel fideiussor.
    - *Non fit*, nisi voluntas nouandi exprimatur. Nam in dubio non fit expromissio, sed adpromissio, id est, noua obligatio veteri adiicitur, & vtraque tenet.
  - *Sola voluntate.* Hoc modo obligationes, quæ nudo consensu constant, ipso iure tolluntur, ceteræ ope exceptionis infirmantur.

LXVIII. De

LIBER IV.

LXVIII. De furtis.

De furto, quæritur,

- I. *Quid est?* Contrectatio fraudulosa, lucri faciendi gratiâ, vel ipsius rei, vel etiam vsus eius, possessionisve.
- II. *Quo iure prohibetur?* Iure naturali, id est, iure gentium.
- III. *Vnde dictum est?* Variæ etymologię proponuntur:
  1. A furuo, id est, nigro, quia clam & obscurè, ac plerumque noctu fit.
  2. A fraude.
  3. A ferendo, id est, auferendo.
  4. A Græco vocabulo φώρ.
- IV. *Quotuplex est?* Duplex, nempe
  - *Manifestum*, cùm fur in ipso furto deprehenditur priusquam eò pertulerit, quò deferre destinauit, vt ea die ibi maneret.
  - *Nec manifestum*, cùm fur ita vt dixi, non est deprehensus.
- V. *Quomodo committitur?* Tria requiruntur, vt furtum committi dicatur:
  1. Contrectatio rei.
  2. Affectus furandi.
  3. Dissensus eius, cui furtum fit.
- VI. *Quæ res in furtum cadunt?* Furtum
  - *Non fit* rerum
    - Incorporalium.
    - Immobilium, sup. de vsucap. §. quod autem.
  - *Fit* rerum
    - *Mobilium.*
    - *Se mouentium*, vt
      - *Serui.*
      - *Filijfamilias.*
      - *Equi.*
    - *Propriarum ipsius furis* interdum, veluti si debitor pignus creditori surripiat.
- VII. *Quæ actiones furto facto competunt?* Tres:
  - I. *Actio furti*, de qua dissoluuntur quatuor quæstiones:
    - 1. *Contra quos datur?* Hac actione
      - *Tenetur*
        1. Qui furtum fecit.
        2. Is cuius ope & consilio furtum factum est.
        3. Qui vi rapuit. nam hîc est fur improbior, infr tit. prox. in pr.
      - *Non tenetur*
        - *Filiusfam.* qui rem surripuit parenti, in cuius potestate est. Sed is tenetur, cuius ope, consilio hoc furtũ admissum est.
        - *Seruus*, qui rem domino surripuit.
        - *Impubes*, nisi sit proximus pubertati.
    - 2. *Cui datur?* Ei cuius interest, siue sit dominus rei surreptæ, siue nõ, vt in sequẽtibus quinq; casib.
      1. Si pignus creditori surreptum sit, ipsi datur actio furti etiam contra dominum, si dominus, qui rem pignerauit, eam surripuerit.
      2. Si vestimenta fulloni, vel sarcinatori surrepta sint, ipse agit, dummodo in solidum sit soluendo: alioquin domino actio datur.
      3. Si bonæ fidei emptori res sit surrepta, ipse furti agit.
      4. Si commodatario res commodata surrepta sit: electio datur domino, vtrùm velit agere commodati contra commodatarium, an furti contra furem. Si igitur agat contra
         - *Commodatarium*
           - *Sciens rem esse surreptam*, non potest ampliùs agere contra furem: sed actio furti dabitur commodatario.
           - *Ignorãs rẽ esse surreptam*, subdistinguitur. Nam si à commodatario
             - *Exegerit*, non potest amplius furti agere contra furem: sed hæc actio datur commodatario.
             - *Non exegerit*, potest variare, & omisso cõmodatario agere contra furem: túncq; statim commodatarius liberatur.
         - *Furem*, non potest per pœnitentiam omisso fure agere contra commodatarium.
      5. Si res deposita surrepta sit depositario, dominus furti agit, non depositarius.
    - 3. *Qualis est?* Pœnalis.
    - 4. *Quid in eam venit?* Pœna
      - *Quadrupli*, si sit fur manifestus.
      - *Dupli*, si sit fur nec manifestus.
  - II. *Rei vindicatio*, quæ domino datur contra possessorem.
    - Siue ipse fur possideat.
    - Siue alius quilibet possideat.
  - III. *Condictio furtiua*, quæ domino datur contra
    - Furem.
    - Heredem furis.

  Hæ actiones sunt rei persecutoriæ.

LXIX. *De vi bonorum raptorum.*

De actione vi bonorũ raptorum quæritur,

- I. *Quid in eam venit?* Quadruplum.
- II. *Qualis est?* Mixta. nam in quadruplo inest simplum.
- III. *Contra quem datur?* Hîc ponũtur tres regulæ:
  - 1. Qui vi rapuit, tenetur, siue in ipso delicto comprehendatur, siue non.
  - 2. Qui dolo malo rapnit, tenetur.
  - 3. Qui errore ductus rem rapuit, existimans rem suam esse, & sibi licere rem suam rapere, hac actione non tenetur. Sed ex constitutionibus, qui rem
    - Suam
      - Mobilem vi rapuit,
      - Immobilem vi inuasit;
      - eius dominio priuatur.
    - Alienã
      - Mobilem vi rapuit,
      - Immobilem vi inuasit,
      - eam, & eius æstimationem restitnit.
- IV. *Cui datur?* Ei, qui rapinam passus est, si eius intersit, non rapi:
  - Siue sit in bonis eius, videlicet quia res domino rapta sit.
  - Siue non sit in eius bonis, sed ex bonis, vt quia rapto sit
    - Conductori.
    - Commodatario.
    - Creditori pigneratitio.
    - Depositario, qui culpam se præstaturum promiserat.
    - Bonæ fidei possessori.
    - Fructuario, vel aliud ius in ea habenti
    - Et generaliter dicendum est, ex quibus causis furti actio cõpetit in re clam facta, ex eisdem causis omnes habere hanc actionem.

LXX. *De lege Aquilia.*

Damnvm aliquis per iniuriam dat, vel

- *Suo corpore in corpus*, veluti si seruũ gladio occidat, aut vulneret. Hoc casu datur directa actio legis Aquiliæ.
- *Non suo corpore in corpus*, id est, cũ dãni occasioné dat, veluti si pecus incluserit, & ita fame necarit. Hoc casu datur vtilis actio legis Aquiliæ:
  - Hoc igitur loco duo sunt explicanda:
    - 1. *Iniuria*, quæ hîc significat dolum, vel culpam. Culpæ autem adnumeratur inter cetera etiam
      - Imperitia eius, qui peritiam profitetur: vt medici, qni malè secuit seruum.
      - Infirmitas eius, qui temerè aliquid aggressus est, vt mulionis, qui non potuit mulas retinere, quominùs nocerent.
    - *Capita legis Aquiliæ*: quæ quidem tria fuerunt:
      - *De primo capite sciẽdum*
        - I. *Ad quod damnum pertineat.* Hoc caput loquitur de
          - Seruo occiso.
          - Qnadrupede occisa, quæ pecudum numero sit, id est, quæ gregatim pascatur; quales sunt
            - Equi. Muli. Asini. Oues. Boues. Sues.
        - II. *Inquantum reum condemnet.* Quanti plurimi seruus aut quadrupes fuit eo anno retrorsùs computato. Et insuper ex interpretatione legis additur æstimatio eius quod interest, putà si hereditas sit amissa ob seruum occisum, qui cùm ab aliquo heres institutus esset, iussu domini hereditatem adire non potuit interitu præuentus.
      - *Secundum caput* non est in vsu, nec extat.
      - *De tertio capite* sciẽdum,
        - 1. *Ad quod damnum pertineat.* Hoc caput loquitur de quocumque damuo, præter id, quod primo capite fuit comprehensum. Ergo ad hoc caput pertinet.
          - Seruus vulneratus.
          - Quadrupes, quæ pecudum nnmero sit vulnerata.
          - Quadrupes, quæ pecudum nnmero non sit,
            - Vulnerata.
            - Occisa.
          - Vstum.
          - Fractum.
          - Ruptum, id est, quouis modo corruptum, veluti si quis in alienum vinum aut oleum id miscuerit, quo naturalis bonitas vini ant olei corrumperetur.
        - 2. *Inquantum reum condemnet.* Quanti plurimi res fuit eo mense retrorsùs computato.
- *Nõn suo corpore, nec in corpus*, quia corpus læsum non est, sed aliter damnum est datum, putà si quis seruum compeditum misericordia ductus soluerit, & is fugerit. Hoc casu datur actio prætoria in factum.

LXXI. De iniuriis.

Iniuriæ vocabulũ sumitur
- *Generaliter* pro eo quod non iure fit.
- *Specialiter* pro
  - *Culpa*, vt in lege Aquilia.
  - *Iniustitia & iniquitate*, vt cùm iudex ei dicitur fecisse iniuriam, contra quem malè iudicauit.
  - *Contumelia*, vt in hoc tit. in quo dissoluuntur septem quæstiones:
    - I. *Quibus modis fit iniuria?* Tribus modis fit:
      - 1. Verbis, vt conuicio.
      - 2. Scriptura, vt famoso libello.
      - 3. Re, vt
        - Pulsando.
        - Verberando.
        - Bona aliena quasi debitoris per calumniam possidendo.
    - II. *Qui, & per quos iniuriam patiuntur?* Patitur quis iniuriã per
      - *Semetipsum*, si sit homo liber: nam seruo iniuria fieri non intelligitur.
      - *Liberos suos, quos habet in potestate.*
      - *Vxorem.*
      - *Nurum, cuius maritum habet in potestate.*
      - *Seruum*, de quo hæc notantur:
        - 1. Ipsi seruo non intelligitur fieri iniuria.
        - 2. Domino per seruum ita demum fit iniuria, si atrox sit, veluti si sit verberatus, non item si tantùm pugno percussus, vel conuicio affectus.
        - 3. Si communi seruo iniuria facta sit, ex domini iniuriarum agentis personæ æstimatio perinde fit, ac si solus dominus esset, eius autem æstimationis partem consequitur pro dominij portione, quam in eo seruo habet, D.h.t.l.sed non.16.
        - 4. Si alius proprietatem, alius vsumfructum in seruo habeat, iniuria proprietario fieri intelligitur, nisi in contumeliam fructuarij facta sit, D. eo.l.item si quid.15.§ pe.
      - *Hominem liberum bona fide possessum.* Nota iniuriæ actionem dari
        - Indistinctè ipsi possesso iniuriam passo.
        - Bonæ fidei possessori, ita demum si in eius contumeliam factum sit.
      - *Seruum alienum bona fide possessum*, dummodò in ipsius possidentis contumeliam iniuria facta sit.
    - III. *Potéstne ob id factum agi plurium personarum nomine?* Potest: veluti si mulieri iniuria facta sit, agi potest nomine
      - Ipsius mulieris.
      - Patris, qui eam in potestate habet.
      - Mariti.
      - Soceri, qui maritum in potestate habet.
    - IV. *Quæ iudicia iniuriarum nomine competunt?* Tria:
      - 1. *Priuatum prætorium*, quo permittitur actori iniuriam sibi factam æstimare, vt iudex tanti condemnet, vel minoris, prout sibi videbitur.
      - 2. *Publicum ex lege Cornelia* tribus casibus
        - 1. Ob domum vi introitam.
        - 2. Ob hominem liberum pulsatũ.
        - 3. Ob hominem liberum verberatum.
      - 3. *Extraordinarium*, quod illustres, & superillustres personæ per procuratorem
        - Persequuntur.
        - Suscipiunt.
    - V. *Quotuplex est iniuria?* Duplex, id est,
      - *Leuis.*
      - *Atrox* ratione
        - *Facti*, veluti si quis sit
          - Vulneratus.
          - Fustibus cæsus.
        - *Loci*, veluti si cui fiat iniuria in
          - Theatro.
          - Foro.
          - Conspectu prætoris.
        - *Personæ*, veluti si fiat iniuria
          - Magistratui.
          - Senatori à vili persona.
          - Parenti à liberis.
          - Patrono à liberto.
        - *Loci vulneris*, veluti si quis in oculo percussus fuerit.
    - VI. *Quis tenetur iniuriarum?*
      - Is, qui fecit iniuriam.
      - Is, qui per alium fieri curauit.
    - VII. *Quomodo aboletur actio iniuriarum?* Dissimulatione.


LXXII. De obligationibus, quæ quasi ex delicto nascuntur.

Quasi ex delicto tenetur
- I. Iudex, qui litem suam fecit, id est, qui per imperitiam malè iudicauit. Hic
  - Punitur arbitrio iudicis.
  - Si sit filiusfamiliãs
    - Ipse ex hac causa conuenitur.
    - Patrem suum non obligat.
- II. Is ex cuius cœnaculo (Proprio ipsius, Cõducto, In quo gratis habitat,) aliquid est (Vel deiectum, Vel effusum,) ita vt alicui nocuerit. Hoc casu cõdénatio fit
  - Regulariter in duplum damni dati.
  - Ob hominem liberum occisum, in 50. aureos.
  - Si homini libero nocitum sit, nec tamen sit occisus, inquantum iudici æquum videbitur computatis
    - Impensis in curationem factis.
    - Operis, quibus ob hanc causam
      - Caruit.
      - Cariturus est.
- III. Is, qui ea parte, qua vulgò iter fieri solet, habet aliquid (Positum, Suspensum,)
  - Quod potest, si ceciderit alicui nocere.
  - Hoc casu constituta est pœna 10. aureorum.
- Ex his causis filius famil. seorsum habitans à patre,
  - Ipse tenetur.
  - Patrem suum nõ obligat.
- IV. Exercitor (Nauis, Cauponæ, Stabuli) ob (Damnum, Furtum) ibi factum ab iis, quorum opera & ministerio vtitur. Hic tenetur actione in factum. Quæ actio
  - Est in duplum, D.nau.caupo.stab.l.vlt.§. vlt.
  - Heredi datur.
  - Contra heredem non datur.

LXXIII. *De actionibus.*

- **ACTIONIS**
  - Definitio est, ius persequendi in iudicio, quod sibi debetur.
  - Diuisio est multiplex:
    - I. Est vel —
      - *Ciuilis*, vt vindicatio
        - *Corporis*: quæ
          - Vocatur *Rei vindicatio.*
          - Datur domino contra possidentem seu detinentem.
          - Non datur possidenti.
        - *Seruitutis*
          - Personalis, vt vsusfructus.
          - Prædialis
            - Vrbanæ.
            - Rusticæ.
          - Hæc vocatur *actio confessoria.*
        - *Libertatis*. Hæc appellatur *actio negatoria*, quia seruitutem negat
        - Hæ actiones dantur
          - Tam possidenti contra non possidentem.
          - Quàm nō possidenti contra possidentem.
      - *Prætoria*, vt
        - *Publiciana*, quæ
          - Sic appellata est à Publicio prætore, à quo fuit introducta.
          - Datur
            - Ei, qui rem vsucapere cœpit, perinde ac si iam vsucepisset.
            - Contra quēcūq; possessorē, præterquā cōtra verū dominum, D. de Public. in rē act. l. pen. & vlt.
        - Rescissoria
          - Vsucapionis. Hæc actio
            - Vocatur etiam *Publiciana*, D. de oblig. & act. l. in honorariis. 35. in pr.
            - Datur
              - Ei cuius res vsucapta est, perinde ac si vsucapta non esset, quia vsucapio à prætore rescinditur.
              - Contra eum qui vsucepit, putà cùm reipub. causa abesset, ita vt ante vsucapionem finitam à domino conueniri non potuerit.
          - Alienationis. hæc actio datur
            - Creditoribus, qui secundo decreto iussi sunt bona debitoris possidere.
            - Aduersus possessorem.
            - Ad repetendam rem à debitore in fraudem ipsorum creditorum alienatam & traditam: quia traditionem prætor rescindit, & ea rescissa hanc actionem dat, perinde ac si hæc res in bonis debitoris mansisset.
        - *Seruiana*, qua dominus fundi persequitur res à colono sibi pigneratas.
        - *Quasi Seruiana*, siue *hypothecaria*, qua creditores persequuntur pignora siue hypothecas.
        - *Hæ actiones sunt in rem.*
        - *Constitutoria*, seu *De constituta pecunia*, qua is tenetur, qui pro se vel pro alio se soluturū nuda cōuentione sine stipulatione constituit.
        - De *peculio*. Vide tab. 80.
        - *In factum ex iureiurando*, quæ datur ei, qui deferente aduersario vel iudice iurauit sibi deberi, vel rem suam esse.
        - *De albo corrupto*, qua in 500. aureos damnatur is, qui edictum à prætore iurisdictionis perpetuæ causà propositum corrupit, D. de iurisd. l. 7.
        - *In factum* in 50. aureos *in eum, qui sine venia prætoris in ius vocauit.*
          - *Parentem.*
          - *Patronum.*
        - *In factum aduersus eum, qui in ius vocatum, vt exemit, aut eximi curauit.* Hic damnatur in quantum actor in litem iurauerit.
        - *Hæ actiones sunt in personam.*
    - II. Vel est in rem, vel in personam, vel mixta. Vide tab. seq.
    - III. Vel est rei persecutoria, vel pœnalis, vel mixta. Vide tab. 75.
    - IV. Vel est in simplum, vel in duplum, vel in triplum, vel in quadruplum. Vide tab. 76.
    - V. Vel est bonæ fidei, vel stricti iuris, vel arbitraria. Vide tab. 77.
    - VI. Vel est certa, vel incerta. Vide tab. 78.
    - VII. Vel persequitur solidum, vel non. Vide tab. 79.
    - VIII. Datur
      - Vel ex persona ipsius rei conuenti.
      - Vel ex alieno contractu, seu quasi contractu. Vide tab. 80.
      - Vel ex facto serui, siue quadrupedis. Vide tab. 81.
    - IX. Aut est perpetua, aut temporalis. Vide tab. 82.
    - X. Aut ad heredes transit, aut non. Vide tab 83.


LXXIV. *De actionibus personalibus, realibus, & mixtis.*



Actio

- *Personalis* oritur ex iure ad rem, id est, ex obligatione, ac datur creditori aduersum debitorem ex
  - Contractu.
  - Quasi contractu.
  - Delicto.
  - Quasi delicto.
- *Realis* datur habenti ius in re, vt
  - *Rei vindicatio.* / *Actio confessoria.* / *Actio negatoria.* — Hæ actiones sunt ciuiles.
  - *Publiciana.* / *Rescissoria.* / *Seruiana, & quasi Seruiana.* — Hæ actiones sunt prætoriæ.
- *Mixta* est partim in rem, partim in personam, vt
  - *Familiæ ercifcundæ*, quæ inter coheredes datur, de diuidenda hereditate.
  - *Communi diuidundo*, quæ inter eos redditur, inter quos aliquid est commune, vt diuidatur.
  - *Finium regundorum*, qua inter eos agitur, qui confines agros habent.
  - In his iudiciis permittitur iudici
    - Rem vni ex litigatorib. ex bono & æquo adiudicare, ita vt eum partis æstimatione alteri condẽnet.
    - Si cuius pars prægrauari videbitur, eũ inuicẽ certa pecunia alteri cõdẽnare.

LXXV. *De actionibus rei persecutoriis, pœnalibus, & mixtis.*



Actiones

- *In rem*, sunt rei persecutoriæ.
- *Personales*
  - *Ex contractu*, vel *quasi contractu*, regulariter sunt rei persecutoriæ. Excipiuntur duæ actiones mixtæ in duplum:
    - 1. *Actio depositi* quibusdã casibus, id est, cum tria concurrunt:
      - 1. Depositum sit ex causa vel
        - Tumultûs.
        - Incendij.
        - Ruinæ.
        - Naufragij.
      - 2. Agatur vel cõtra
        - Depositarium.
        - Heredẽ de ipsius dolo.
      - 3. Reus inficietur depositum.
    - 2. *Actio ex testamento*, qua petitur legatum ecclesiæ, vel alio loco pio relictum.
  - *Ex delicto*
    - *Partim sunt pœnales*, vt *actio furti*
      - Manifesti in quadruplum.
      - Nec manifesti in duplum.
    - *Partim sunt mixta*, vt
      - *Vi bonorum raptorum* in quadruplum.
      - *Ex lege Aquilia*. Hæc actio est mixta
        - 1. Quia in inficiantẽ est in quadruplũ.
        - 2. Quia res æstimatur interdũ pluris, quàm sit tempore damni dati, quia æstimatur quanti plurimi fuit eo anno, vel eo mense retrorsus computato, vt traditum fuit suprà tab. 70.
    - *Quadam sunt rei persecutoria*, nempe
      - *Condictio furtiua*, quæ domino datur contra furem, & heredem eius.
      - *Actio rerum amotarum*, qua tenetur coniux ob res coniugis amotas diuortij causâ, D. res. amot. l. si mulier. 21.

LXXVI. De

LXXVI. *De actionibus in simplum, vel duplum, vel triplum, vel quadruplum.*

Actiones dantur in —

- *Simplum*, vt
  - *Ex stipulatione.*
  - *Empti.*
  - *Venditi.*
  - *Locati.*
  - *Conducti.*
  - *Mandati*, &c.
- *Duplum*, vt
  - *Furti nec manifesti.* / *De seruo corrupto.* — Hæ simpliciter, & omnino sunt in duplum.
  - Ex *lege Aquilia.* / *Depositi* quibusdam casib. expositis in tab. præced. — Hæ actiones
    - Per rei cõuenti inficiationem duplantur.
    - In confitentem sunt in simplum.
  - Ex *testamento* ad petendum legatum pio loco relictũ. Hæc actio duplatur per
    - Inficiationem.
    - Solutionis dilationẽ, donec iudicio cõueniatur.
- *Triplum*, vt condictio ex lege contra eum competens, qui plus debita quantitate petiit, quo plus apparitoribus reus sportularum nomine solueret.
- *Quadruplum*, vt
  - *Actio furti manifesti.* Hæc indistinctè est in quadruplum.
  - *Actio in factum* in eum, qui pecuniam accepit vt alicui per calumniam negotium
    - Faceret.
    - Non faceret.
    - Hæc actio
      - Intra annum est in quadruplum.
      - Post annum est in simplum.
      - D. de calum. L. 1. in pr.
  - *Condictio ex lege* in apparitorem, qui sportularum nomine accepit vltra quantitatem à Iustiniano definitam. Hæc actio omnino & indistinctè est in quadruplum.
  - *Actio quod metus causa.* Per hanc actionem
    - In quadruplum condemnatur, qui iudici iubenti rem restituere non obtemperat.
    - Absoluitur, qui rem iussu iudicis restituit.

LXXVII. *De actionibus bonæ fidei, stricti iuris, & arbitrariis.*

Actiones

- *Bonæ fidei* sunt, ex quibus iudici libera potestas permittitur æstimandi ex bono & æquo, quantum actori restitui debeat. Quales sunt hæ:
  - *Empti. & venditi.*
  - *Locati & conducti.*
  - *Negotiorum gestorum.*
  - *Mandati.*
  - *Depositi.*
  - *Pro socio.*
  - *Tutelæ.*
  - *Commodati.*
  - *Pigneratitia.*
  - *Familiæ erciscundæ.*
  - *Communi diuidundo.*
  - *Præscriptis verbis æstimatoria*, quæ cõpetit ob rem æstimatam, quæ vendenda data est, vt vel ipsa res vel eius æstimatio reddatur ei qui dedit, D. de æstimat. act. l. 1.
  - *Præscriptis verbis ex permutatione.*
  - *Petitio hereditatis.*
  - *Actio ex stipulatu de dote.*
- *Stricti iuris* sunt, ex quibus potestas iudicis est stricto iuri alligata.
- *Arbitrariæ* sunt, quæ ex arbitrio iudicis pendent, ita vt, nisi arbitrio iudicis is, cum quo agitur, satisfaciat, condemnari: si verò satisfaciat, absolui debeat. Atque hæ sunt
  - *Partim in rem*, vt
    - *Publiciana.*
    - *Seruiana.*
    - *Quasi Seruiana.*
  - *Partim in personam*, vt
    - *Quod metus causa.*
    - De *eo quod certo loco* promissum est.
    - *Ad exhibendum.*

LXXVIII. *De certis, vel incertis petitionibus.*

Actio

- *Certa est*, quæ certum petit, vt Stichū, vel decem. Petitur autē modò
  - *Id ipsum, quod debetur.*
  - Plus
    - *Re*, veluti si is, cui decem aurei debentur, viginti petat. Hic condictione ex lege tenetur in triplum, vt dictum fuit suprà tab. 76.
    - *Tempore*, id est, cùm ante diem vel conditionem existentem quis petit. Hic ita punitur, vt tempus, quo differenda erat actio, duplicetur: vtputà si duobus mensibus ante tempus petat, quatuor mensis expectare cogitur, & insuper impensas litis intempestiuè intentatæ aduersario restituere cogitur, infrà de excep. §. pe. & C. de plus petit. l. 1. & 2.
    - *Loco*, cùm quis id quod certo loco sibi dari stipulatus est, alio loco petit sine eius loci commemoratione, id est, agit ex stipulatu actione stricti iuris, cùm debeat agere actione arbitraria eo quod certo loco.
    - *Causâ*, cùm quis electionem reo competentem sibi arrogat: veluti si quis Stichū aut decem alternatè stipulatus, simpliciter petat Stichum, vel simpliciter petat decem, cùm debeat vtrumque in actionem alternatè deducere, ac petere sibi dari Stichum aut decem, vtrum debitor maluerit.
    - His casibus si quid damni reos ob pluris petitionē patiatur, in triplum ab actore repetet condictione ex lege.
  - *Minus*; & nihilominùs iudex in totum id quod debetur, dummodo deberi probetur, reum condemnabit.
  - *Aliud pro alio*; veluti si is, qui Stichum petere debet, Erotem petat. Hic potest in eodem iudicio errorem suum corrigere.
- *Incerta est*, quæ rem incertam petit, vt id quod interest. Sed nihilominus curare iudex debet, vt quoad eius fieri potest, sententiam certæ ferat, putà facta æstimatione, & (vt practici loquuntur) liquidatione eius quod interest.

LXXIX. *De solidi vel non solidi persecutione.*

Omnis actio

- *Vel persequitur solidum*: vt regulariter accidit.
- *Vel limitatur* (exēpli gratia)
  - *Peculio tenus*, vt actio de peculio.
  - *Inquantum reus facere potest*: veluti si conueniatur
    - Maritus soluto matrimonio ad dotem restituendam.
    - Parens.
    - Patronus.
    - Socius actione pro socio.
    - Is, qui bonis cessit.
  - *Retentione ob impensas factas*, vt putà ob impensas necessarias à marito in res dotales factas dos, proinde & dotis repetitio minuitur.
  - Propter compensationem, quæ ipso iure minuit obligationem
    - Tam stricti iuris.
    - Quàm bonæ fidei.

LXXX. Quod

LXXX. *Quod cum eo, qui in aliena poteſtate eſt, negotium geſtum eſſe dicetur.*

Pater ex filij, & dominus ex ſerui cōtractu tenetur actione prętoria.

1. *Quod iuſſu*, in ſolidum, ſi iuſſerit eum cootrahere.
2. *Exercitoria*, in ſolidū, ſi eum magiſtrū naui præpoſuerit; & quid eum eo eius rei gratiā cui præpoſitus eſt, contractum fuerit. Exercitoria igitur actio dieitur, quia in exercitorē datur. Exercitor eſt is, ad quem quotidianus nauis quæſtus pertinet.
3. *Inſtitoria*, in ſolidum, ſi eum tabernæ aut cuilibet negotiationi præpoſuerit, & quid eum eo eius rei cauſa, cui præpoſitus eſt, cootractum fuerit. Inſtitoria ergo dicitur, quia ex inſtitoris contractu datur. Inſtitor dicitur, qui negotiationi præpoſitus eſt, quia gerendo negotio inſtat.

   Hæ duæ actiooes à prætore producuntur, vt competant, etiā ſi liberom quis hominem aot alienum ſeruum naui aut tabernæ, aut cuiuis negotiationi prę poſuerit.

4. *Tributoria*, ſi conſenſerit, vt is in merce peculiari negotiaretur, & eius rei cauſa eum eo cōtractum quid erit. Porrò merum peculiaris inter patrem vel dominum, & cæteros creditores diſtribui debet. atque hæc diſtributio ipſi patri vel domioo permittitur: ſed ipſo malè tribuente, & plus ſibi accipiente, per hane actionem ad æqualitatem redigitur.
5. *De peculio*, etiamſi ipſo ignorante filius vel ſeruus contraxerit. *Peculium* autem iotelligitur deducto eo, quod filius patri, vel ſeruus domino naturaliter debet.
6. *De in rem verſo*. Nota —
   1. In rem verſum dici, quod iu vtilitatem patris vel domini conuerſum eſt, veluti ſi frumentum familiæ, vel alia res neceſſaria empta ſit.
   2. Hane actionem competere, etiamſi patre vel domioo ignorante filiusfamilias aut ſeruus contraxerit.
   3. Hane actionē eſſe
      - Partē actionis de peculio, ſi de peculio actio competat, propterea quòd id, quod in rē patris vel domini verſum eſt, patrem filio, vel domioum ſeruo oaturaliter obligat, proinde io peculiom imputatur.
      - Actionem per ſe, ſi de peculio actio non cōpetat, vt quia agitur poſtquam pater filium, aut domious ſeruum in poteſtate habere deſiit. nam hoe caſu actio de peculio eſt annalis, actio autem de io rē verſo ſemper eſt perpetua.

   His actionibus obſtat exceptio Senatuſcōſulti Macedoniani, ſi filiusfam. inſcio patre pecuoiā ſit mutuatus.

Nota concurrere actionem

- Quod iuſſu, Inſtitoriā, Exercitoriam — cum actione:
  - De peculio.
  - De in rem verſo.
  - Directa cōtra ipſū patrē, vel dominū.
- Tributoriam cum actione:
  - De peculio.
  - De in rē verſo.
- Quamcumque ex his ſex, cum actione directa in filiumfam. ſi filiusfam. contraxit.

L X X X I. *De noxalibus actionibus.*

De noxali actione quęritur,

- I. *Vnde dicta est?* A noxa. Est autem *noxa* corpus quod nocuit, vt seruus. noxia verò est ipsum factum, vt furtum, rapina, &c.
- II. *Quæ ex causa datur?* Ex
  - *Delicto serui*, vt
    - Furto.
    - Rapina.
    - Damno.
    - Iniuria.
  - *Pauperie* (quæ est damnum sine iniuria facientis datum) data à quadrupede contra naturam sui generis, vt
    - Lasciuia.
    - Feruore.
    - Feritate.
    - Hinc datur actio
      - *Directa*, si animal nocuit, quod pecudum numero sit.
      - *Vtilis*, si aliud animal nocuit. Cũ hac cõcurrit actio ædilitia.
        - In duplũ dãni dati.
        - In id quod bonum & æquum iudici videbitur, cum homini libero nocitum est,
        - si nocuerit
          - Canis.
          - Verres.
          - Aper.
          - Vrsus.
          - Leo.
          - quem aliquis ibi habuit, quà vulgò iter fit.
- III. *Quotuplex est?* Duplex, nempe
  - *Ciuilis*, ex lege.
    - *Duodecim tabularum*, vt actio
      - Furti.
      - De pauperie.
    - *Aquilia*, id est, actio de damno per iniuriam dato.
  - *Prætoria*, quæ est ex edicto prætoris, vt actio
    - Iniuriarum.
    - Vi bonorum raptorum.
- IV. *Contra quem datur?* Hic nota
  1. Noxam caput sequi. est autem dominus caput serui. Quare si seruus tuus mihi nocuit, tecum habeo noxalem actionem. quòd si eum alienaueris, contra nouum dominum actio noxalis est. at si seruus manumittatur, desinet actio esse noxalis, & dabitur in ipsum manumissum directa. Contrà si liber homo noceat, deinde in seruitutem redigatur, actio, quæ erat directa in ipsum delinquentem, fit noxalis in eius dominum.
  2. Si seruus domino noxiam commiserit, nullam actionem competere, etiamsi seruus alienetur, aut manumittatur.
  3. Si is, qui noxiam passus est, dominium serui aut quadrupedis acquirat, noxalem actionem extingui; neque conualescere, licèt postea idem seruus aut quadrudes alienetur.
- V. *Quis est eius effectus?* Dominus seruum, aut quadrupedem noxæ dedendo
  - Liberatur.
  - Eius dominium in perpetuum amittit. sed si seruus deditus damnum quæsita pecunia ei resarcierit, auxilio prætoris inuito domino manumittetur.

LXXXII. *De perpetuis & temporalibus actionibus.*

- **Actiones**
  - *Ciuiles* sunt perpetuæ, id est,
    - Olim erant immortales, nec vllo tempore finiebantur.
    - Hodie ex constitutionibus durant 30. vel 40. annos.
  - *Prætoriæ*
    - *Rei persecutoriæ* sunt perpetuæ, vt possessoria hereditatis petitio.
    - *Pœnales* sunt plerumque annales. Actio tamen furti manifesti est prætoria, pœnalis, & perpetua. Item omnis actio per litis contestationem perpetuatur.

LXXXIII. *Quæ actiones ad heredes, vel in heredes transeant.*

- **Actionvm**
  - Aliæ dantur heredi, & in heredem, vt rei persecutoriæ.
  - Aliæ dantur heredi, non in heredem, vt pleræque pœnales.
  - Aliæ nec heredi, nec in heredem competunt, vt actio iniuriarum.
  - Sed post litem contestatam omnes ad heredem actoris, & in heredem rei conuenti transeunt.

LXXXIV. *De his, per quos agere possumus.*

- **Agere** possumus per
  - Nosmetipsos.
  - Alium, vt per
    - Procuratorem.
    - Tutorem.
    - Curatorem.

LXXXV. *De satisdationibus.*

- **Qvi litigat,** is vel
  - *Agit* nomine
    - *Suo*: & non cauet.
    - *Alieno*: & cauet *de rato*, vt
      - Procurator, si dubitetur de mandato.
      - Tutor, si dubitetur an sit tutor.
      - Curator, si dubitetur, an sit curator.
  - *Conuenitur*
    - *Suo nomine*: & *si in iudicio permansurum vsque ad terminum litis* pro suæ personæ qualitate vel
      - Repromittit.
      - Iurato cauet.
      - Satisdat.
    - *Alieno, vt procuratorio nomine.* Hic satisdat *iudicatum solui*. Sed si dominus litis sit præsens, ipse potest pro suo procuratore fideiubere, ita vt & bona sua obliget, & ad heredem suum obligationem transmittat.

LXXXVI. *De exceptionibus.*

- **Exceptio** diuiditur in
  - *Exceptionem proprie dictam*, quæ
    - Definitur actionis exclusio. D. hoc t. l. 2.
    - Diuiditur
      - Primò in
        - *Perpetuam seu peremptoriam*, quæ semper agenti obstat, ac semper rem, de qua agitur, perimit, vt
          - Doli.
          - Metus.
          - In factum ob promissionē per errorem factam.
          - Pacti ne omnino petatur.
          - Iurisiurandi.
          - Rei iudicatæ.
        - *Temporalem seu dilatoriam*, quæ ad tempus nocet, ac temporis dilationem tribuit, vt
          - Pacti ne intra certum tēpus petatur.
          - Procuratoria, quæ
            - Opponitur
              - Militi.
              - Mulieri.
            - Non opponitur infami.
      - Secundò in exceptionem
        - *Rei coherentem*, vt pacti de non petendo, quæ prodest non solùm reo, sed etiam fideiussori.
        - *Personæ coherentem*, vt cessionis bonorum, quæ reo tantùm prodest, non etiam fideiussori.
  - *Replicationem*, qua actor excludit exceptionem à reo propositam.
  - *Duplicationem*, qua reus excludit replicationem actoris.
  - *Triplicationem*, qua actor excludit duplicationem rei.
  - *Quadruplicationem*, qua reus excludit triplicationem actoris. & ita deinceps.

LXXXVII. *De interdictis.*

De interdictis quæritur,

- I. *Quid ſunt?* Olim erant formulæ atque conceptiones verborũ,quibus prætor aut iubebat aliquid fieri, aut fieri prohibebat. Interdictũ autem ſequebatur actio iu factum,qua damnabatur,qui aduerſus interdictum feceras. Hodie verò prætor non interdicit:ſed periude datur actio in factum , ac ſi prætor interdixiſſet. Ergo hodie vice prætoris ipſum ius interdicit: verbi gratia,iubet poſſeſſionem ei reſtitui, qui vi de poſſeſſione deiectus eſt.
- II. *Vnde dicta ſunt?* Ex eo,quòd inter duos dicebantut,id eſt,inter actorem & reum,non dato vllo iudiee, vt in actionibus fiebat.
- III. *Qua de re interdicitur?* Omnia interdicta ſunt de rei corporalis poſſeſſione, aut de iuris quaſi poſſeſſione. quædam ſuut etiam de proprietate, ſed nulla ſunt de ſola proprietate.
- IV. *Quot ſũt ſpecies interdictorum?* Diuiduntur multis modis:
  - *Primò* alia ſunt
    - *Prohibitoria*, quibus prætor prohibet aliquid fieri: vt interdictum
      - *Vti poſſidetis*: quo vetat vim fieri ei , qui ſine vitio (id eſt, nec vi, nec elàm,nec precariò) rem immobilem poſſider.
      - *Vtrubi*:quo vetat vim fieri ei,qui ſine vitio rem mobilẽ poſſidet.
      - *De mortuo inferendo*:quo vetat ei vim fieri , qui mortuum iufert, quò ei ius eſt infetendi.
      - *Ne in loco ſacro ædificetur*,niſi ornamenti cauſâ fiat , D. ne quid iu lo.ſa.l.1.§.quod ait.
      - *Ne quid in flumine publico ripâve eius fiat,quò prius nauigetur.*
    - *Reſtitutoria*, quibus aliquid reſtitui prætor iubet , vt
      - *Quorum bonorum*: quo iubet bonorum poſſeſſori reſtitui poſſeſſionem eorum,quæ quis pro herede aut pro poſſeſſore poſſidet ex ea bereditate.
      - *Vnde vi*: quo iubet poſſeſſionem rei immobilis ei teſtitui , qui per vim deiectus fuit.
    - *Exhibitoria*, quibus prætor iubet exhiberi: vt
      - *De homine libero exhibendo.*
      - *De libertis patrono exhibendis.*
      - *De liberis parenti exhibendis.*
  - *Secundò* alia sũt poſſeſſionis
    - *Adipiſcendæ*, quæ eis competunt,qui nunc primum poſſeſſionẽ adipiſci conãtur:vt
      - *Quorum bonorum.*
      - *Saluianum interdictum*, quo vtitur dominus fundi de rebus coloni ſibi pro mercedibus fundi pigneratis.
    - *Retinendæ*, vt
      - *Vti poſſidetis.*
      - *Vtrubi.*
      - His interdictis ille vincit, qui tẽpore litis conteſtactæ nec vi nec clam nec preeario ab aduerſario poſſidet.
    - *Recuperandæ*,vt interdictum *vnde vi.*
  - *Tertiò* alia ſunt
    - *Simplicia*, in quibus alter eſt actor , alter reus. Talia sũt
      - Omnia reſtitutoria.
      - Omnia exhibitoria.
      - Quædam prohibitoria , veluti.
        - *Ne quid in loco ſacro fiat.*
        - *Ne quid in flumine publico ripâve eius fiat quò prius nauigetur.*
    - *Duplicia*, in quibus vterque litigator eſt actor & reus:vt
      - Vti poſſidetis.
      - Vtrubi.

LXXXVIII. *De pœna temere litigantium.*

Ivdiciorvm alia ſunt

- Priuata, in quibus dãtur præcepta
  - Litigãtib. ne temerè litigẽt. Temerè autẽ litigãt,
    - I. *Qui malam cauſam habent.* Hi coërcẽtur
      - 1. *Iureiurando calumniæ*,quod præſtare tenetur
        - Actor.
        - Reus.
        - Aduocatus
          - Actoris.
          - Rei.
      - 2. *Pœnâ pecuniariâ*:vt in iis cauſis , ex quibus inficiantes condemnantur in duplum,ſuprà tab.76.
      - 3. *Infamiâ* , qua interdũ damnati notantur, vt damnati actione.
        - Furti. — Vi bonorum raptorum. Iniuriarũ. De dolo. — Ex his cauſis nõ ſolùm dãnati, ſed etiã pacti notantur infamia , ſi modò data vel promiſſa pecunia pacti ſint, D.de his qui not. infam. l. 6. §.pactúſque.
        - Tutelæ. Mandati. Depoſiti. — directa,nõ contraria actione.
    - II. *Qui malè litigant*, veluti qui ſine venia Prætoris in ius vocãt
      - Parentem.
      - Patronum,vel patronam.
      - Patroni,vel patronæ
        - Parentes.
        - Liberos.
      - Qui igitur has perſonas ſine venia in ius vocant, quinquaginta aureis puniuntur.
  - Iudici. Vide tab.ſeq.
- Publica. Vide tab.90.

LXXXIX. *De officio iudicis.*

Officium iudicis spectatur

- *Tum in genere*, ne aliter iudicet, quàm legibus, aut constitutionibus, aut moribus proditum est.
- *Tum in specie*, id est, in iudicio
  - *Noxali*: in quo si iudex condemnandum putat, condemnat, vel in
    - Litis æstimationem noxæ've deditionem, veluti, *P. Mæuium Lucio Titio in decem aureos condemno, aut noxæ dedere.*
    - Litis æstimationem dumtaxat, nulla facta mentione noxæ deditionis: quo casu nihilominus facultatem noxæ dedendi à iure dominus habet.
      - Hæ sententiæ valent.
    - Solam noxæ deditionem, omissa litis æstimatione. Sed hæc sententia non valet, D. de re iudica. l. 6. §. 1.
  - *Rei vindicationis*: in quo
    - Si contra petitorem iudicandum putet, absoluere possessorē debet.
    - Si contra possessorem iudicādum putet
      - Iubere ei debet, vt rem restituat cū fructibus.
      - Tēpus ad restituendū sine frustratione petenti indulgere debet, ita vt de litis æstimatione soluēda satisdet.
  - *Petitionis hereditatis*: in quo similiter reus condemnatur rem restituere cum fructibus.
    - His duob. iudiciis tria communia sunt:
      - 1. Malæ fidei possessor cogitur restituere omnes fructus,
        - Pendentes.
        - Perceptos.
        - Neglectos.
      - 2. Bonæ fidei possessor
        - Restituit fructus pendentes.
        - Non restituit fructus.
          - Cōsumptos.
          - Neglectos.
      - 3. Omnes post litem contestatam intelligūtur esse malæ fidei possessores: quinimo post cōtrouersiam hereditatis motā, licèt nondū lis cōtestata sit, D. de here. petit. l. sed etsi lege. 25. §. si ante.
  - *Ad exhibendum*: in quo si exhibendum putat
    - Ita exhiberi iubeat, vt actor eandem causam habeat, quam habuisset, si cùm primùm ad exhibendum actum fuit, exhibita res fuisset. Proinde condemnet.
      - Eum, qui rem vsucaptam exhibet.
      - Etiā in fructus à die litis cōtestatæ vsq; ad sententiam.
    - Reo sine frustratione dilationem petenti, tempus ad exhibendum præstituat.
    - Reum nec exhibentem, nec de exhibendo cauentem, in id condemnet, quod actoris interest.
  - *Familiæ erciscundæ*:
  - *Communi diuidundo*
    - *De plurib. rebus*
      - In his iudiciis
        - Singulas res singulis adiudicat.
        - Pecuniā eum alteri condēnat,
          - Cui' pars prægrauare videtur.
          - Qui ex re communi solus percepit fructus.
          - Qui rem cōmunem
            - Vel corrupit.
            - Vel cōsumpsit.
    - *De vna re.* Quę
      - Si cōmodè diuidi possit, partes singulis adiudicabit: & si cuius pars præponderet, eū alteri pecuniā condemnabit.
      - Si commodè diuidi nequeat, totam vni adiudicabit: eúmque alteri certā pecuniā damnabit.
  - *Finium regundorum*: in quo
    - Ex vnius agro tum demum alteri adiudicabit, cùm euidentioribus finibus distingui agros commodius est, quàm olim essent distincti.
    - Eū pecuniā damnabit,
      - Cui ex agro alterius adiudicabit.
      - Qui circa fines aliquid malitiosè commisit, vt quia finales arbores excidit, aut lapides finales furatus est.
      - Qui contumax est, putà agros iubente iudice metiri non patitur.

Quod in his iudiciis adiudicatum fuerit, statim eius fit, cui adiudicatum est.

XC. De

X C. *De publicis iudiciis.*

IVDICIA publica

- Neque per actiones ordinantur, neque simile quicquam habent iudiciis priuatis, sed ab eis differunt tam in restituendo, quàm in exercendo.
- Ex eo dicta sunt, quòd cuiuis è populo executio eorum plerumque datur.
- Diuiduntur
  - Primò in
    - *Capitalia*, quæ caput eximunt è ciuitate Romana, vt
      - Morte.
      - Aquæ & ignis interdictione.
      - Deportatione.
      - Damnatione in metallum, vel in opus metalli.
    - *Non capitalia*, quæ caput non eximunt è ciuitate Romana, sed infamiam irrogant cum damno pecuniario, vel corporali coërcitione, vt fustigatione, D.h.t.l.2.
  - Secūdò in varias species. Hic recēsentur 12. publica iudicia.
    - I. *Legis Iuliæ maiestatis.*
      - Hac lege puniuntur, qui aliquid moliti sunt contra
        - Principem.
        - Rempublicam.
      - Pœna huius legis est mors, vel memoriæ condēnatio post ret mortem.
    - II. *Legis Iuliæ de adulteriis.* Hac lege
      - Adulter gladio punitur. Sed adultera ex Nou.134.cap.10.virgis cæsa in monasterium detruditur.
      - Sodomita gladio punitur.
      - Stuprator, qui virginem aut viduam honestè viuentem stuprauit,
        - Si honesta persona sit, publicationem patitur partis dimidiæ bonorum.
        - Si humilis sit, corporaliter punitur, & relegatur.
    - III. *Legis Corneliæ de sicariis.* Sicarius dicitur à sica, quo verbo significatur ferreus culter. Hæc autem lex gladio punit
      - Homicidam.
      - Eum qui hominis occidendi causa cum telo ambulauit. Teli autem appellatione significatur, quicquid manu iacitur, vt
        - Lignum.
        - Lapis.
        - Ferrum.
      - Veneficum, qui ad hominum perniciem
        - Vtitur susurris magicis.
        - Venenum
          - Confecit.
          - Dedit.
          - Venale habuit.
      - Incendiarium, D.ad leg.Cornel. de sicar.l.1.in princ.
    - IV. *Legis Pompeiæ de parricidiis.*
      - Hac lege tenetur,
        - Qui clā, vel palàm fata properauit (D.de le. Pompe.de parricid.l.1.)
          - Patris, vel matris
          - Aui, vel auiæ.
          - Filij, vel filiæ.
          - Nepotis, vel neptis.
          - Fratris, vel sororis.
          - Patrui, vel amitæ.
          - Auunculi, vel materteræ.
          - Cōsobrini, vel cōsobrinæ.
          - Mariti, vel vxoris.
          - Soceri, vel socrus.
          - Generi, vel nurus.
          - Vitrici, vel nouercæ.
          - Priuigni, vel priuignæ.
          - Patroni, vel patronæ.
        - Cuius dolo malo hoc crimen est admissum.
        - Qui criminis consciusest, licèt sit extraneus.
      - Pœna huius legis est, vt parricida virgis cæsus, culleo insuatur cum cane, gallo gallinaceo, & vipera, & simia: deinde in vicinū mare, vel in amnem, prout regionis qualitas tulerit, proiieiatur.
    - V. *Legis Corneliæ de Falsis.*
      - Hac lege tenetur, qui dolo malo
        - Testamentum, vel aliud instrumentum falsum
          - Scripsit.
          - Signauit.
          - Recitauit.
          - Subiecit.
        - Signum adulterinum
          - Fecit.
          - Sculpsit.
          - Expressit.
        - Falsum partum supposuit. C.ad leg. Corn. de fals.l.1.
        - Falsam monetam cudit. C.de fals. mone.l.1.& 2.
        - Falso nomine in alterius fraudem vsus est. D.eod.l.falsi nominis.13.in pr.
      - Huius legis pœna est in
        - Seruos vltimum supplicium.
        - Liberos homines deportatio.

A


- VI. Legis Iuliæ de vi. Hac lege.
  - Si per vim raptus
    - Virginis
    - Viduæ
    - Sanctimonialis
    - vel alterius sit perpetratus, capite puniuntur
      - Raptores.
      - Qui opem huic flagitio tulerunt.
  - Ex aliis causis,
    - Si sit vis publica, id est, armata, infligitur pœna deportationis.
    - Si sit vis priuata, id est, sine armis, tertia pars bonorum confiscatur.
- VII. Legis Iuliæ peculatus.
  - Hac lege puniuntur, qui furati sunt rem vel pecuniam
    - Publicam.
    - Sacram.
    - Religiosam.
  - Ex hac lege
    - Vltimo supplicio afficiuntur
      - Iudices, qui administrationis tempore publicas pecunias subtraxerunt.
      - Qui ministerium iudicib. hoc crimen admittentib. præbuerunt.
      - Qui pecunias publicas à iudicib. subtractas scientes susceperūt.
    - Deportantur ceteri peculatum committentes.
- VIII. Legis Fabiæ de plagiariis. Plagium est liberi hominis aut serui alieni suppressio Hac lege qui
  - Liberum hominem intercipit, capite punitur, C. ad leg. Fab. de plagiar. l. vlt.
  - Seruum alienum supprimit, in metallum damnatur, D. eodem. l. vltim.
- IX. Legis Iuliæ de ambitu. Hac lege qui
  - Honorem illicito modo ambit, putà data populo pecunia,
  - Noua vectigalia instituit.
  - Domum iudicis, apud quem accusabat, vel accusabatur, ingressus est,
    - Centum aureis cum infamia punitur, D. de l. Iol. amb. l. vn. & C. de episc. & cler. l. si quenquam. 31.
  - Ante administrationis suæ rationes redditas, idem officium repetit & continuat, deportatur. C. ad leg. Iul. de ambi. l. vn.
- X. Legis Iuliæ repetundarū. Hac lege
  - Qui officio publico funguntur, & eorum comites, tenentur ob pecunias à priuatis illicitè acceptas.
  - Reus
    - Extra ordinem punitur, D. de le. Iul. repetun. l. 7. §. vlt.
    - In quadruplum damnatur, C. eo. l. 1. quod inter spoliatum & fiscum diuiditur, C de adsessorib. l. 3.
    - Damnatus, testimonium publicè dicere, aut iudex esse, postularéve prohibetur, D. de le. Iul. repet. l. 6. §. 1.
- XI. Legis Iuliæ de annona. Hinc
  - Tenetur, qui dolo malo fecit, quò annona carior esset, D. de le. Iul. de anno. l. 2.
  - Irrogatur pœna, vel
    - Legis ordinaria, quæ est 20. aureorum, d. l. 2. in fi.
    - Extraordinaria, D. de extraord. crim. l. 6.
- XII. Legis Iuliæ de residuis. Hac lege
  - Tenetur, qui pecuniam publicam in vsum aliquem sibi traditam retinuit, nec in eum vsum erogauit, D. ad leg. Iul. pecul. l. 2. l. 4. §. lege. l. sacrilegi. 9. §. pe.
  - Damnatus, tertia parte amplius soluit, quàm debebat. veluti si in 30. reliquatus est, 40. soluere cogitur.


Tabularum in Institutiones finis.


IDEA IVRIS.

- **Ius diuiditur**
  - Primò in
    - Naturale.
    - Gentium.
    - Ciuile.
  - Secundò in
    - Legem.
    - Consuetudinem.
  - Tertiò in
    - Publicum
      - Sacrum, quod tradat de
        - Fide Christiana.
        - Personis ecclesiasticis.
        - Rebus ecclesiasticis.
        - Religiosis & funeribus.
      - Publicum, quod differit de
        - Principe.
        - Senatu.
        - Honoribus & magistratibus.
        - Muneribus.
        - Rebus principis, & fisco.
        - Ciuitatibus.
      - Militare, quòd agit de
        - Bello & pace.
        - Militibus, & disciplina militari.
        - Captiuis, & postliminio.
    - Priuatum: quod tractat de
      - Personis: quarum spectatur
        - Ortus, id est,
          - Conceptio.
          - Natiuitas.
        - Sexus
          - Masculus.
          - Femineus.
        - Ætas
          - Pupillaris, cuius tres sunt partes,
            - Infantia.
            - Proxima infantiæ.
            - Proxima pubertati.
          - Adolescentia seu pubertas
            - Inchoata.
            - Plena
          - Virilitas seu perfecta ætas, nempe
            - Iuuentus
            - Senectus.
        - Status, ad quem refertur
          - Libertas.
          - Ciuitas.
          - Familia.
        - Conditio
          - Curialis.
          - Cohortalis, &c.
        - Dignitas
          - Senatoria
            - Illustratus.
            - spectabilitas.
            - Clarissimatus.
          - Equestris.
          - Perfectissimatus.
        - Quæuis alia qualitas
          - Animi, vt
            - Dementia.
            - Furor.
            - Prodigalitas &c.
          - Corporis, vt
            - Morbus sonticus.
            - Cæcitas.
            - Surditas, &c.
        - Relatio. Huc spectant
          - Sponsalia.
          - Matrimonium.
          - Concubinatus.
          - Cognatio,
            - Naturalis.
            - Ciuilis.
            - Mixta.
          - Dominium & seruitus.
          - Tutela.
          - Curatio.
      - Rebus quarum exponuntur
        - Diuisiones.
          - I. In eas quę sunt
            - In patrimonio.
            - Extra patrimonium.
          - II. In
            - Communes.
            - Publicas.
            - Vniuersitatis singulorum.
            - Nullius, harum aliæ occupãtur
              - Conceduntur, vt
                - Feræ
                  - Bestiæ.
                  - Volucres.
                  - Pisces.
                - Lapilli & gemmæ in litore maris.
              - Non conceduntur, vt
                - Homo liber.
                - Res diuini iuris.
          - III. In res
            - Diuini iuris, quales sunt res
              - Sacræ.
              - Religiosæ.
              - Sanctæ.
            - Humani iuris.
          - IV. In res
            - Certas.
            - Incertas.
          - V. In res
            - Immobiles.
            - Mobiles.
            - Se mouentes.
          - VI. In
            - Corpora.
            - Quantitates, quæ constant
              - Numero.
              - Pondere.
              - Mensura.
            - Iura.
        - Attributa, nempe
          - Ius in re, id est,
            - Possessio
              - Naturalis.
              - Ciuilis.
            - Dominium, quod acquiritur
              - Iure gentium
                - Occupatione.
                - Accessione.
                - Fructuum perceptione.
                - Confusione, vel commixtione.
                - Traditione, & quasi traditione.
              - Iure ciuili, modis
                - Vniuersalibus,
                  - Inter viuos, Arrogatione.
                  - mortis causa,
                    - Hereditate
                      - Testamentaria.
                      - Legitima.
                    - Bonorum possessione.
                    - Arrogatione.
                    - Bonorum addictione.
                - Particularibus,
                  - Inter viuos
                    - Vsucapione.
                    - Donatione.
                    - Noxæ deditione.
                    - Adiudicatione.
                  - Mortis causâ, Legato.
                - Modis, qui aliàs sunt vniuersales, alias particulares,
                  - Inter viuos, Dote,
                  - Mortis causâ, Fideicõmisso
            - Seruitus
              - Personalis.
              - Prædialis,
                - Vrbana.
                - Rustica.
            - Pignus
              - Conuentionale.
              - Testamentarium.
              - Prætorium.
              - Iudiciale.
          - Ius ad rem, id est, obligatio. A
      - Actionibus. B
      - Iudiciis. D


Naturalem


A Obligatio diuiditur in
Naturalem.
Ciuilem ex
Contractu
Nominato, qui perficitur
Re, vt
Mutuo.
Commodato.
Deposito.
Pignore.
Verbis, id est, stipulatione.
Literis.
Consensu, vt
Emptione & venditione.
Locatione & conductione.
Emphyteusi.
Societate.
Mandato.
Innominato,
Do vt des.
Do vt facias.
Facio vt des.
Facio vt facias.
Quasi contractu, in quo desideratur
Causa, id est, Pacto.
Mutuus consensus, vt
Negotio gesto.
Tutelæ vel curæ administratione,
Facto in re communi.
Aditione hereditatis.
Tam causa, quã mutuus consensus, vt Pollicitatione.
Maleficio, quod est cõtra ius
Sacrum, vt
Paganismo.
Iudaismo.
Apostasia.
Hæresi.
Schismate.
Simonia.
Sacrilegio.
Sepulchri violatione.
Magia.
Politicum, id est, contra
Principem, vel rempublicam, vt
Læsa maiestate.
Collegio illicito.
Fiscum, vt
Peculatu.
Residuis.
Fraudato vectigali.
Honorẽ magistratus, vt
Ambitu.
Albo corrupto.
Militare, vt
Desertione militiæ.
Emansione.
Armorum abiectione, &c.
Priuatum: quia committitur aliquid contra alterius
Salutẽ, vt
Homicidio.
Veneficio.
Parricidio.
Honorem, vt
Iniuria.
Adulterio.
Stupro.
Polygamia.
Fornicatione.
Incestu.
Lenocinio.
Raptu.
Bona, vt
Furto.
Expilata hereditate.
Abigeatu.
Rapina.
Concussione.
Repetundis.
Damno.
Arboribus furtim cæsis.
Termino moto.
Seruo corrupto.
Salutem, vel honorem, vel bona, vt
Plagio.
Præuaricatione.
Tergiuersatione.
Calumnia.
Vi.
Falso.
Latrocinio.
receptatione.
Necati testamento præpropere aperto.
Dolo.
Stellionatu.
Quasi maleficio. Hinc tenetur
Is, ex cuius cœnaculo aliquid deiectum, vel effusum est, quod alteri nocuit.
Is, qui in suggrunda vel protecto aliquid periculosè positum, vel suspensum habet.
Nauta, caupo, stabularius ob damnũ vel furtum factum in
Naui.
Caupona.
Stabulo.
Iudex, qui per imperitiam litem suam fecit.


B
Actio
Propriè dicta,
Priuata,
Præparatoria, vt
Querela inofficiosi
Testamenti.
Dotis.
Donationis.
Ad exhibendum.
Principalis,
In rem,
Ciuilis,
Rei vindicatio.
Confessoria.
Negatoria.
Præiudicialis de libertate.
Prætoria,
Publiciana.
Rescissoria.
Seruiana.
Præiudicialis de
Ingenuitate.
Partu ad gnoscēdo.
In personam,
Specialis,
Directa ex
Contractu
Ciuilis, vt
Empti venditi.
Locati conducti.
Emphyteutica.
Pro socio.
Mandati.
Ex stipulatu.
Chirographaria.
Commodati.
Depositi.
Pigneratitia.
Præscriptis verbis.
Condictio ob causam.
Condictio ob turpem, vel iniustam causam.
Ædilitia, vt
Redhibitoria.
Quanto minoris.
Quasi contractu
Ciuilis, vt
Condictio indebiti.
Condictio sine causa.
Tutelæ.
De rationibus distrahendis.
Ex testamento.
Iudicati.
Prætoria, vt
Constitutoria.
Negotiorum gestorum.
Funeraria.
Protutelæ.
Delicto
Ciuilis, vt
Furti nec manifesti.
De tigno iuncto.
Condictio furtiua.
Rerum amotarum.
Arborum furtim cæsarum.
Legis Aquiliæ.
De pastu pecoris.
Aquæ pluuiæ arcendæ.
Prætoria, vt
Furti manifesti.
Vi bonorum raptorum.
De hominibus coactis.
De turba.
De incendio.
De ruina.
De naufragio.
Serui corrupti.
Quod metus causa.
De dolo.
Quasi delicto In factum.
Obliqua, ex
Contractu, vel quasi ex contractu, vt
De eo quod certo loco.
Exercitoria.
Institoria.
Tributoria.
De peculio.
De in rem verso.
Quod iussu.
Omnes hæ actiones sunt prætoriæ.
Delicto, vel quasi delicto Noxalis.
Generalis,
Ciuilis, vt
Certi condictio.
Actio triticiaria.
Condictio ex lege.
Prætoria in factum. Nota actionem in factum
Alias esse accōmodatas ad certas actiones, túncque eadem vocatur actio vtilis, vel in factum.
Per se consistens,
Decretalis.
Edictalis.
Mixta
Petitio hereditatis.
Finium regundorum.
Familiæ erciscundæ.
Communi diuidundo.
Extraordinaria, vt
De sepulchro violato.
De concussione.
De abigeis.
De præuaricatione.
De receptatoribus.
De furibus balneariis.
De effractoribus.
De expilatoribus.
Expilatæ hereditatis.
Stellionatus.
De termino moto.
De collegiis & corporibus illicitis.
Popularis, vt
De albo corrupto.
De his, qui effuderint, vel deiecerint.
De sepulchro violato.
De termino moto.
Impropriè dicta. C



C
Actionis verbum impropriè attribuitur
Interdicto quod vel est
De rebus sacris: vt, Ne quid in loco sacro fiat.
De rebus publicis, hoc est,
Locis, & itineribus: vt
Ne quid in loco publico, vel itinere fiat.
De loco publico fruendo.
De via publica, & itinere publico reficiendo.
Fluminibus, & ripis: vt
Ne quid in flumine publico ripáve eius fiat,
Quò peiùs nauigetur.
Quo aliter aqua fluat, quã priori æstate fluxit.
Vt in flumine publico nauigare liceat.
De ripa munienda.
De vltimis voluntatibus: vt
Quorum bonorum.
Quod legatorum.
De tabulis exhibendis.
De missione in possessionem: vt, Ne vis fiat ei, qui in possessionem missus fuerit.
De rebus immobilibus: vt
Vnde vi.
Vti possidetis.
De superficiebus.
Quod vi aut clam.
De seruitutibus: vt de
Itinere actúque priuato.
Aqua quotidiana, & æstiua.
Riuis.
Fonte.
Cloacis.
De arboribus: vt de
Arboribus cedendis.
Glande legenda.
De rebus mobilibus: vt
Vtrubi.
De migrando.
Saluianum interdictum.
De hominibus liberis: vt de
Homine libero exhibendo.
Liberis exhibendis.
Liberis ducendis.
Communiter de rebus immobilibus, mobilibus, & seruitutibus: vt De precario.
Exceptioni: sunt autem exceptionis plures species: vt
Pacti.
Rei vendicatæ & traditæ.
Rei iudicatæ.
Doli.
Metus.
Iurisiurandi.
Aleæ.
Litigiosi.
Fori.
Non numeratæ pecuniæ.
Non numeratæ dotis.
In factum.
Publicæ accusationi: vt
Læsæ maiestatis.
Adulterij, vel stupri.
De vi
Publica.
Priuata.
De sicariis.
De veneficiis.
De parricidio.
De falso.
Repetundarum.
De annona flagellata.
Peculatus.
Sacrilegij.
De residuis.
Ambitus.
Plagij.

Finis



- D IVDICIORVM
  - Finis est iustitia.
  - Materia est quadruplex: nempe
    - Conditio personæ: de qua est præiudicium.
    - Possessio: de qua est iudicium possessorium.
    - Dominium: de quo est iudicium petitorium.
    - Obligatio: de qua est iudicium personale.
  - Personæ sunt
    - Partim principales: vt
      - Iudex.
      - Litigantes
        - Actor
        - Reus.
    - Accedentes
      - Iudici: vt assessores, seu consiliarij.
      - Litigantibus: vt
        - Aduocati.
        - Procuratores.
      - Iudicio: vt
        - Actuarij, seu scribæ.
        - Executores.
  - Accidentia sunt
    - Locus.
    - Tempus.
    - Sportulæ.
  - Diuisio est bipartita in —
    - Ciuilia: quorum
      - Præparatoria sunt, quæ litem contestatam antecedunt: vt
        - Vocatio in ius.
        - Editio actionis.
        - Reconuentio.
        - Possessoris nominatio.
        - Satisdatio.
      - Principium est litis contestatio,
      - Media sunt, quæ litem contestatam sequuntur: vt
        - Iusiurandum calumniæ.
        - Positiones.
        - Interrogationes.
        - Responsiones.
        - Articuli.
        - Probationes.
        - Reprobationes.
        - Interrogatoria.
        - Publicatio processus.
        - Allegationes.
        - Causæ conclusio.
      - Actus modò præcedentes, modò sequentes litem contestatam, sunt, vt
        - Citatio.
        - Auctoris laudatio.
        - Interuentio.
        - Exceptiones.
        - Interlocutiones.
        - Iuramentum malitiæ, quod præstatur iure canonico.
        - Iuramentum dandorum & respondendorum, quod quibusdam locis praxis requirit.
      - Finis est sententia definitiua, vt
        - Absolutio.
        - Condemnatio.
      - Consequentia sunt, quæ sententiam definitiuã sequuntur, & eam vel
        - Infirmant: vt
          - Appellatio.
          - Supplicatio.
          - Reuisio.
          - Restitutio in integrum.
          - Querela nullitatis.
          - Exceptio.
        - Confirmant: vt transitio in rem iudicatam.
        - Exequuntur, vt
          - Pignoris capio.
          - Missio in possessionem.
          - Debitoris incarceratio.
    - Crimina: de quibus specialiter considerantur,
      - Deductio criminis in iudicium
        - Accusatione.
        - Annotatione.
        - Denunciatione.
        - Inquisitione.
        - Exceptione.
        - Euidentia facti.
      - Rei citatio,
      - Rei custodia, vel absentia & contumacia.
      - Purgatio criminis.
      - Quæstio.
      - Pœna.

CONVENTIONVM GENERA.



ANALY

ANALYSIS L. LECTA. D. DE REBVS CREDITIS.

In hac lege proponitur:

- I. Species, id est, chirographum, in quo tria continentur:
  - 1. Confessio mutui accepti. in princ.
  - 2. Stipulatio
    - Sortis kalendis proximis soluendæ. vers. & hæc.
    - Vsurarum ex mora. vers. si ea die.
  - 3. Pactum nudum, quo solutio sortis differtur, dilata in plures pensiones. vers. conuenitque.
- II. Quæstio, an dictum pactum impediat cursum vsurarum. vers. quæsitum.
- III. Responsio Pauli, quòd dilata dicto pacto dilatione sortis, consequenter censentur dilatæ etiam vsuræ. vers. dicebam.
- IV. Responsio Vlpiani tria cótinués.
  - 1. Rationem, qua Vlpianus sententiam suam confirmat: quia pactum est de sorte, ergo non pertinet ad vsuras. vers. pactum autem.
  - 2. Solutionem obiectionis: quia licet vsura non debeatur sine sorte, tamen ad hoc vt vsuræ efficaciter debeantur, sufficit sortem ipso iure deberi, nec obstat, quòd per exceptionem infirmatur. vers. & ideo.
  - 3. Conclusionem, perinde esse, ac si nominatim cóuenisset de vsuris totius sortis præstandis ex die stipulationis. vers. & ideo.
- V. Replicatio Pauli contra Vlpiani
  - Rationem. vers. sed cùm sortis.
  - Solutionem, quam vertit
    - 1. Δι' ἐνστάσεω.
    - 2. Δι' ἀντιπαράστασεω.
    - Vers. & si vt ille.
  - Conclusionem. vers. sed si quantitatem.

Paulus libro tertio Quæstionum.


LEcta est in auditorio [a] Æmilij Papiniani præfecti prætorio [b] Iurisconsulti, cautio [c] huiusmodi, *Lucius Titius scripsit me accepisse à P. Mæuio quindecim [d] mutua, numerata mihi de domo [e] & hæc quindecim proba [f] rectè dari kalendis futuris [g] stipulatus est Mæuius Publius, spopondi ego L. Titius. Si [ea] die supra scripta summa P. Mæuio, eive, ad quem ea res pertinebit [h], data soluta [i], satisue eo nomine factum [k] non erit; tunc eo amplius quo post soluam, pœnæ [l] nomine in dies triginta, inque denarios centenos, denarios singulos [m] dari stipulatus est P. Mæuius, spopondi ego L. Titius. Conuenitque [n] inter nos, vti P. Mæuio ex summa [o] suprà scripta menstruos refundere debeam denarios trecenos ex omni summa [p] ei heredive eius.*

Quæsitum est de obligatione Vsurarum: quoniam numerus mensium [q] qui solutioni [r] competebat [s], transierat. Dicebam, quia pacta [t] incontinenti facta, stipulationi inesse [u] creduntur, perinde esse, ac si per singulos menses certam pecuniam [x] stipulatus, quoad tardius soluta esset, vsuras adiecisset: Igitur finito primo mense, primæ pensionis [y] vsuras [z] currere: & similiter post secundum & tertium tractum [aa] vsuras non solutæ [pecuniæ] pensionis crescere: nec antè sortis non solutæ vsuras peti posse, quàm ipsa sors peti potuerat. Pactum autem, quod subiectum est [bb], quidam [cc] dicebant ad sortis solutionem tantùm pertinere, non etiam ad vsurarum, quæ priore parte [dd] simpliciter [ee] in stipulationem venissent. Pactúmque id tantùm ad exceptionem [ff] prodesse. & ideo non soluta pecunia, statutis pensionibus [gg] ex die stipulationis [hh], vsuras [ii] deberi, atque si id nominatim esset expressum [kk]. Sed cùm sortis petitio dilata sit: consequens est [ll], vt etiam vsuræ ex eo tempore, quo morã fecit, accedant. & si (vt ille [mm] putabat) ad exceptionẽ tãtùm prodesset pactum; (quamuis diuersa sententia obtinuerit [nn]) tamen obligatio vsurarum, ipso iure non committetur. non enim in mora est [oo] is, à quo pecunia propter exceptionem peti non potest. Sed si quantitatem, quæ medio [pp] tempore colligitur, stipulamur cùm conditio extiterit [qq]: sicut est in fructibus, idẽ & in vsuris. potest [rr] exprimi [ss], vt ad diem non soluta pecunia, quod competit vsurarum nomine, ex die interpositæ stipulationis præstetur.

In d. l. lecta. Breues notæ.

[a] Auditorium est locus, in quo iudices causas audiunt. 18. supr. de minor. l. minor. infr. de re iudic. l. contra. 54. [b] Functus est hoc magistratu, imperante Septimio Seuero: habuitque assessores Vlpianum & Paulum [c], id est, syngrapha siue chirographum. [d] subaudi sestertia, quæ æstimabantur singula denariis 250. Ita vt summa huius cautionis sit denarium 3750. [e] Hoc additur ad fidem veri mutui faciendam; propter exceptionem, quæ opponi posset, non numeratæ pecuniæ, sic *ex arca* in l. quidã 26. infr. de pec. constit. [f] Hoc verbum additur maioris cautionis causa, cùm & eo omisso, nihilominùs probam pecuniam soluere necesse sit. inf. de pig. act. l. eleganter. 24. §. 1. [g] id est proximis. inf. de ver. obl. [h] l. eum qui 45. in pr. id est, heredi, vt in fine huius syngraphæ. vide l. sciendum. 70. §. verba. inf. de ver. sig. [i] dare & soluere pro eodem accipiuntur. [k] soluitur, quod debetur; satis fit, cùm alio modo impletur desideriũ creditoris. sic distinguuntur etiam in l. 9. §. omnis inf. de pig. act. [l] Pœna est vsura, quæ debetur propter moram debitoris. fœnus est vsura, quæ debetur propter lucrum creditoris. [m] hæc est vsura centesima, cùm singulis mensibus soluitur centesima pars sortis [n]. nudo pacto ex continenti adiecto [o], id est, sortè sic & infrà. [p] id est, ex tota sorte, nam vsurarum nulla mentio fit: Vnde orta controuersia. [q] id est, aliquot mensium. [r] denariorum ccc. in singulos menses [s]. ex pacto [t], quæ detrahunt, vt in casu proposito. aliud puto dicendum de pactis quæ obligationi adiiciunt, arg. l. pacta conuenta. 72. infr. de contrah. empt. [u] Pactum contractui inesse dicitur, quod eius pars censetur, ita vt valeat ipso iure. [x] Denarios ccc. [y] Denarium ccc. [z] Denarios xxxvi. [aa] id est, mensem. [bb] stipulationis sortis, & vsurarum. [cc] Taxat (vt opinor) Vlpianum. [dd] syngraphæ [ee], id est, totius summæ, non diuisæ in plures pensiones. [ff] Quasi non insit contractui [gg]. singulis mensibus [hh]. Ex Kalendis proximis. [ii] Totius sortis [kk]. In pacto conuento. [ll] quia vsuræ sequuntur sortem, vt accessio rem principalem. [mm] Vlpianus [nn] in casu proposito, id est, quando pactum detrahit aliquid contractui. [oo] Pœna autem supponit moram, licèt in fœnore secus sit. [pp] Ex die stipulationis vsque ad diem moræ. [qq] id est, stipulamur sub conditione, si mora admissa fuerit. [rr] vide l. huiusmodi. 64. inf. de ver. obl. [ss] in pacto stipulationi adiecto.

ANALYSIS L. GALLVS. D. DE LIBERIS ET POSTVMIS.



Argumenta in d. l. Gallus.

AQuiliana formula instituendi nepotes postumos.

1 *Valet institutio nepotis postumi sub conditione si filius suus heres esse desierit.*

2 *Pronepos institui potest sub conditione si nepos.*

3 *Aut filius.*

4 *Aut vterque viuo testatore decesserit.*

5 *Valet institutio postumi quem præcedens persona, per capitis deminutionem viuo testatore ius suitatis amisit.*

6 *Potest institui nepos, qui auo testatore mortuo, patre autem apud hostes seu viuo seu mortuo nascetur, & omnino quibuscumque casibus nepos suus heres nasciturus est, institui potest tam verbis generalibus, quàm specialibus.*

7 *Valet institutio nepotis, pronepotisve in ciuitate concepti, apud hostes nati, si præcedente persona ac testatore mortuis reuertatur ab hostibus.*

8 *Præteritio nepotis viuo filio nati & mortui, non officit institutioni pronepotis.*

9 *Nepos non præfertur filio suo, qui sibi per adoptionem factus est frater.*

10 *In suprà dictis casibus intelligendum est filium in potestate constitutum, non item ceteros liberos, esse institutos.*

11 *Ad legem velleam.*

12 *Ex priore capite legis velleæ instituere licet eos, qui sui heredes, cùm nascentur futuri sunt, etiamsi tempore testamenti alius præcedat.*

13 *Liberi, qui in locum suorum heredum succedunt, testamentum antea factum, in quo rectè instituti vel exheredati sunt, non rumpunt.*

14 *Si filius viuo auo captus, post mortem aui apud hostes decesserit: nepos institutus non rumpet testamentum.*

15 *Non est inutilis institutio nepotis, qui post testamentum nascitur viuo auo & patre: mox in locum patris morientis succedit.*

Si suus heres emancipatur à testatore, fit heres voluntarius.

Scæuola libro sexto Quæstionum.

GAllus [a] sic [b] posse institui [c] postumos [d] nepotes [e] induxit: *Si filius meus* [f] *viuo me morietur* [h]. *Tunc si quis mihi* [i] *ex eo* [k] *nepos, siue quæ neptis post mortem meam in decem mensibus* [l] *proximis, quibus filius meus moreretur, natus nata erit, heredes sunto.* 1 ¶ Quidam [a] rectè admittendum [b] credunt, etiam si non exprimat [c] de morte filij, sed simpliciter [d] instituat [e]: vt eo casu valeat [f] qui ex verbis concipi possit g. 2 ¶ Idem [a] credendum est Gallum existimasse & de pronepote [b]: vt ita dicat testator: Si me [c] *viuo nepos decedat: tunc qui ex pronepos &c.* 3 ¶ Sed & si viuo filio, iam mortuo proepote [a], cuius [b] vxor [c] prægnans esset, testamentum faceret: potest dicere: *Si me* [d] *viuo filius decedat, tunc qui pronepos* [e], &c. 4 ¶ Num, si [a] & filius & nepos viuat, concipere [b], vtrisque mortuis viuo se [c], tunc qui pronepos nasceretur [d]. Quod similiter admittendum est: Ita sanè, si priùs nepos, deinde filius decederet: ne successione [e] testamentum [f] rumperetur g. 5 ¶ Et quid, [a] si tantum in mortis filij casum conciperet [b]? quid enim si aquæ & ignis interdictione [c] peteretur [d]? quid si nepos, ex quo pronepos institueretur, vt ostendimus, [e] emancipatus esset? [f] hic enim casus, & omnes ex quibus suus heres post mortem scilicet aui nasceretur, g non pertinent ad legem Velleam, sed ex sententia legis Velleæ & hæc omnia admittenda sunt, vt ad similitudinem mortis ceteri casus admittendi sint.

6 ¶ Quid si [a] qui filium [b] apud hostes habebat, testaretur, quare non induxere [c], vt si ante [d] quàm filius ab hostibus rediret, quamuis post mortem patris [e], decederet [f]: Tunc deinde g nepos [h]: vel etiam adhuc illis viuis, [i] post mortem scribere aui nasceretur, non rumperet [k]: nam hic casus [l] ad legem Velleam non pertinet. Melius ergo est, vt in eiusmodi vtilitate [m], præsertim post legem Velleam, quæ & multos casus rumpendi abstulit, [n] interpretatio admitattur, vt instituens nepotem, [o] qui sibi post mortem suus nasceretur, rectè instituisse videatur

tur quibuscunque casibus nepos post mortem natus, suus heres esset, rumperétque preteritus atque etiam [p] si generaliter [q] quidquid sibi liberorum natum erit post mortem, aut quicunque natus fuerit, sit institutus, si suus nasceretur [r]. 7 ¶ Si [a] eius [b] qui filium [c] habeat, & nepotem [d] ex eo instituat, [e] nurus [f] prægnás ab hostibus capta sit [g], ibique viuo [h] pariat, mox ille [i] post mortem patris atque aui, [k] redeat. [l] Vtrùm hic casus ad legem Velleam respiciat, an ad ius antiquum aptandus sit? [m] possitque vel ex iure antiquo, vel ex Vellea institutus non rumpere? quod quærendum, [n] si iam [o] mortuo filio [p] pronepotem instituat, [q] redatque [r] mortuo [s], sed cùm testamentum ab eo non rumpitur: nihil refert, [t] vtrùm ex iure antiquo, an ex lege Vellea [u] excludatur [x].

8 ¶ Forsitam [a] addubitet quis, an istis casibus [b] si nepos post testamentum nascatur viuo patre suo, deinde ex eo [c] concipiatur [d], isque mortuo [e] patre, deinde auo, [f] nascatur [g]: an non potuerit [h] heres institui [i], quia pater ipsius [k] non rectè institutus esset, quod minime est expauescendum. hic [l] enim suus heres nascitur, & post mortem nascitur [m]. 9 ¶ Ergo & si [a] pronepos [b] admittetur, [c] qui natus erit ex nepote, postea viuo filio, atque [d] si ex eo [e] natus esset, adoptatur. 10 ¶ In omnibus his speciebus [a] illud seruandum est, [b] vt filius dumtaxat, qui est in potestate, [c] ex aliqua parte [d] sit heres institutus, nam frustra exheredabitur post mortem suam [e] quod non esse necessariò [f] in eo filio [g], qui apud hostes est, si ibi decedat [h]: & in nepote [i] certè, & pronepote [k]: quorũ [l] si liberi [m] heredes instituantur, institutionem numquam exigemus, quia possunt præteriri [n]. 11 ¶ Nunc de lege Vellea videamus. voluit, viuis nobis [a] natos [b], similiter [c] non rumpere Testamentum [d].

12 ¶ Et [a] videtur [b] primum caput eos spectare, qui cùm nascerentur [c], sui heredes futuri essent. Et rogo: si filium habeas, & nondum natum [d] tantum [e] ex eo heredem instituas: filius decedat: mox viuo te nepos nascatur? ex verbis [f] dicendum est non rumpi testamentum, vt non solùm illud primo capite notauerit [g], si nepos qus [h] eo tempore instituatur, quo filius non sit [i], verùm & si viuo patre nascatur [k]. quid enim necesse est tempus testamenti faciendi respici [l], cùm satis sit obseruari id tempus, quo nascitur [m]? nam & si [n] ita verba sunt, *Qui testamentum faciet, si omnis* [o] *virilis sexus*, [p] *qui ei* [q] *suus heres futurus erit* [r], *&c.* [s] *etiamsi parente* [t] *viuo nascantur*. 13 ¶ Sequenti parte [a] succedentes [b] in locum liberorum [c] non vult [d] lex [e] rumpere testamentum [f]. & ita interpretandum est [g], vt si filium & nepotem, & pronepotem habeas [h], mortuis [i] vtrisque pronepos institutus [l] succedens in sui heredis locum, non rumpat [m]. Et bene verba [n] se habent, Si *quis ex suis heredibus suus heres esse desierit* [o] ad omnes casus pertinẽtia [p], quos supplendos in Galli Aquilij sententia diximus [q], nec solum si nepos [r] viuo patre [s] decedat [t] ne [u] succedens [x] pronepos [y] auo mortuo [z] rumpat [aa], sed & si superuixit [bb] patri [cc], ac decedat [dd] dummodò [ee] heres institutus sit, aut exheredatus [ff]. 14 ¶ Videndum, num hac posteriore parte [a], *Si quis ex suis heredibus suus heres esse desierit liberi eius*, &c [b]. *In locum suorũ sui heredes succedunto*, possit interpretatione induci: vt si filium apud hostes habens, nepotẽ ex eo [c] heredem instituas, non tantùm si viuo te filius decedat, sed etiam [d] post mortem [e] antequàm [f] ab hostibus reuersus fuerit, succedendo [g] non rumperet [h], nihil enim addidit, quo significaret tempus [k]: nisi quòd (licèt audenter [l]) possis dicere, viuo patre hunc [m] suum heredem esse desisse [n] licèt post mortem decedat: quia nec redit [o] nec potest redire. 15 ¶ Ille casus in difficili [a]: si filium habeas, & nepotem nondum natum instituas, isque [b] nascatur [c] viuo patre suo, [d] ac mox [e] pater decedat. non enim suus heres est [f] tempore quo nascatur [g], nec posteriori [h] alij [i] succedendo prohiberi videtur rumpere [k], quàm qui iam [l] natus erit. denique & superiore capite, vt liceat institui nondum natos, qui, cùm nascẽtur sui erunt, permitti. [m] posteriore capite non permittit institui, sed vetat rumpi [n], néve ob eam rem minùs ratum esset [o], quòd succedit [p]. Porrò procedere debet, vt vtiliter sit institutus [q], (quod nullo iure [r] potuit [s]) qui [t] nondum natus erat? [u] Iuliano tamen videretur, duobus quasi capitibus legis commixtis, [x] In hoc quoque inducere [y] legem [z] ne rumpantur testamenta.

16 ¶ Quæremus tamen, cùm recepta [a] est Iuliani sententia [b], an si nascatur [c] nepos [d] viuo patre suo [e], deinde [f] emancipetur [g], sponte adire possit [h] hereditatem: quod magis probandum est. nam emancipatione [i] suus heres fieri non potuit [k].

Annotationes in d. l. Gallus.

Ad princip. legis.

[a] G*Allus*] hic est Gallus Aquilius, qui in iudiciis regnauit, & in formulis conscribendis excelluit.
[b] *Sic*] non induxit Gallus, vt postumi possent institui, sed vt sic instituerentur, id est, introduxit formulam, secundum quam instituerentur.
[c] *Instium*,] id est substitui proinde, in sequenti formula intelligendum est præcessisse institutionem, vt testator dixerit, *filius meus heres esto*: deinde adiecerit, *si filius meus* &c. vt in Galli formula.
[d] *Postumos*.] notanda est triplex postumorum diuisio. Prima: aut sũt filij, aut nepotes, aut pronepotes, &c. Gallus locutus est de nepotibus, sed & de aliorum graduũ postumis aget Scæuola auctor huius legis: Secunda: aut sunt sui, vel alieni, Aquilius loquitur de suis: nam alieni non poterãt olim iure ciuili fieri heredes. Instit. de bon. poss. in princ. Multi putant Aquilium loqui de postumis alienis, sed falluntur. Tertia: Postumi dicũtur, I. Qui nascuntur post mortẽ parentis. inf. t. prox. l. 3. §. 1. Varro lib. 8. de lat. lati. Plutarchus in Coriolano. Festus in verbo *postumus*. Ita accipitur apud Plautũ in Aulularia, illo loco,

Si eam senex anum prægnantem fortuito fecerit:
Quid dubitas, quin sit paratum nomen puero Postumus?

& apud Virgilium sexto æneidos, cùm ait,

Siluius, Albanum nomen, tua postuma proles.
Quem tibi longæuo serùm Lauinia coniux,
Educet siluis regem, regúmque parentem.

In quibus versibus explicandis frustra Gellius laborat, allatis Apollinaris, & Cæselij interpretationibus, quorum neuter rectè hunc locum exposuit. Nam verbum *longæuo* non est referendum ad verbum *educet*, sed ad verbum *coniux*. atque hanc esse aio phrasim virgilianam, quæ tollit omnem difficultatem, vt sensus sit, Lauinia, quæ serùm tibi longævo coniux erit, educet siluis hanc tuam prolem postumam, quæ edetur te mortuo. Item dicuntur postumi, qui post mortem patris execto ventre sunt extracti, sup. h. tit. l. quod dicitur 12. & de inofic. testam. l. 6. in princip. II. Qui nascuntur viuo patre post factum ab eo testamentum: inf. tit. prox. d. l. 3. §. 1. & 2. & l. postumos 12. & de testam. tut. l. si quis ita. 16. §. vlt. III. Hi, quos post factum testamentum aliquis adoptat. sup. l. prox. & Instit. quib. mod. test. infir. §. 1. IV. Qui ante testamentum non sui heredes sunt nati, post testamentum autem à parente factum fiunt sui heredes, quia succedunt in locum sui heredis, vt nepos in locum filij morientis sup. l. prox. §. 1. & inf. tit. prox. l. postumorum 13. & instit. de exhered. liber. §. postumorum. V. Qui morte aui recedunt in potestatem patris sui. finge filiumfamilias militem, ex quo erat nepos in potestate aui, fecisse testamentum, deinde auum decessisse: nepos fit suus heres patri, in cuius potestatem

 recedit

recedit.sup l.prox.§. filiusfa.VI.filij naturales, quos pater post factum testamentum legitimauit: nam & hi sũt sui heredes. Gallus autẽ hic loquitur de postumis primi generis, qui nascuntur post mortem parentis, de alijs postumis tractabitur in alijs partibus huius legis.

a *Nepote*] ex filio in potestate.

f *Si filius meus,*] qui est in mea potestate, & cuius institutionẽ dixi precedere, alioquin testamẽtum esset ipso iure nullũ, sed ea est a Sequola breuitatis causa pretermissa.

g *Viuo me*] auo testatore.

h *Morietur*] si filius superstes esset, auo nepos posset preteriri, sup. h. t. l. postumos. 9. §. si filium & inf. de in ius rupt. l. 6.

i *Mihi*] qui sit mihi suus heres.

k *Ex eo*] filio. nam nepos ex filia est postumus alienus, qui Scæuolæ temporibus non poterat fieri heres.

l *In decem mensibus.*] hoc translatitium est. crediderunt enim decem viri tempus humani partus vltra decimum mensem non extendi, auctore Gellio lib. 3. cap. 16. quam ob rem nec ad legitimam hereditatem admittitur natus post decimum mensem, inst. de suis & legit. l. 3. §. penult. Ceterùm quod idem Gellius ait, diuum Adrianum causa cognita decreuisse in vndecimo quoque mense partum edi posse; videtur de mense inchoato, non de exacto esse intelligendum. nam vsque ad vndecimum exactum Iustinianus Nouel. 39. negat partum posse differri; variæ tamen sunt philosophorum & medicorum de tempore humani partus opiniones, quas Gellius refert dicto loco: sed nostrorum legislatorum sententiam Aristoteles quoque comprobat lib. 7. de histur. animal. cap. 4.

Ad §. 1.

a *Quidam*] Formula Galli Aquilij, quæ supra exposita fuit, fundamentum est totius legis: nam quendam casum Gallus notauit: alios ab illo omissos supplẽt Scæuola, Velleus, Iulianus. In primis notandum est Gallum diserte exprimere mortem filij, cùm dicat, *si filius meus viuo me morietur*: atquí filius potest etiã emãcipatione, & alijs modis exire de potestate patris, ergo alij modi tractabuntur in §. & quid si tantùm. nunc quæritur, quid dicendum, si verba testamenti generalia sint, veluti, *Si filius meus heres esse non poterit: tunc si quis mihi ex eo nepos post mortem meam nascetur, heres esto, aut qui mihi nepos post mortem meam nascetur, heres esto.* quæritur enim, an filio ante auum defuncto valeat Institutio nepotis: quoniam hic formula Aquiliana seruata non est. Scæuola tamen probat quorundam responsionem, qui dixerunt huiusmodi institutionem esse admittendam.

b *Admittendum*:] id est, admittendam substitutionem nepotis postumi.

c *Non exprimat*] testator.

d *Simpliciter*], id est, generaliter, vt mox loquetur in §. quid si qui filium.

e *Instituat*]. Id est, vulgariter substituat.

f *Valeat*] institutio nepotis.

g *Qui ex verbis concepi posset*:) lego, *qui & verbis concipi possit*: vt sensus sit, institutionem nepotis dictis verbis generalibus factam, valere iis casibus, qui potuerunt specialiter in testamento exprimi: vt ex mente Galli, si filius mortuus erit: & ex lege Vellea, si alijs modis filius desinet esse suus heres, vt posteriùs declarabitur.

Ad §. idem credendum.

a *Idem*,] Quod Gallus dixit de institutione nepotis, Scæuola produxit ad institutionẽ pronepotis in h. §. & duob. seqq. Hic autem notantur tres casus: aut enim filius mortuus est, nepos viuit: aut contrà filius est viuus, nepos mortuus: aut viuit vterque. primus casus tractatur in hoc §. secundus in §. seq. tertiùs in §. num si & filius.

b *De pronepote*) vel pronepte, pronepotem vel proneptem. hoc loco intellige ex filio defuncto, & nepote superstite.

c *Si me*, &c.] Intellige præcessisse institutionem nepotis, cui subiicitur hæc substitutio pronepotis.

Ad §. sed & si viuo.

a *Pronepote*,] sic flor. scriptum est. sed nemo non videt legendum esse *nepote*.

b *Cuius*] nepotis defuncti.

c *Vxor*] eademque testatoris pronurus.

d *Si me*, &c.] Hic quoque intellige institutionem filij præcessisse.

e *Tunc qui pronepos.*] supple, post mortem meam, &c. vt suprà.

Ad §. num si & filius.

a *Num si.*] Agit de substitutione nepotis postumi ex filio & nepote superstitibus. hic quoque intelligendum præcessisse institutionem filij. Nepos, cùm non sit suus heres, potuit præteriri, dummodo viuo filio moriatur: alioquin adgnascendo rumperet testamentum, vt mox explicabo.

b *Concipere*:] supple testator ita possit verba substitutionis ex Galli Aquilij sententia.

c *Vtrisque mortuis viuo se.*] id est, si me viuo filius & nepos decedant.

d *Tunc qui pronepos nasceretur*:] subaudi, post mortem proaui testatoris intra decem menses à die mortis patris, heres esset ipsi proauo.

e *Successione*) Nepotis in locum filij, quæ successio fieret, si filius viuo nepote moreretur.

f *Testamentum*] aui.

g *Rumperetur.*] Galli Aquilij temporibus, si filius moreretur ante nepotem, nepos siue præteritus, siue exheredatus, siue institutus adgnatione rumpebat testamentum aui, sed postea vetitum est lege Vellea, ne exheredatus vel institutus rumpat infr. h. l. §. sequenti parte: & Instit. de exhered. liber. §. postumorum.

Ad §. & quid si tantùm.

a *Et quid si.*] proponit casus quosdam omissos à Gallo Aquilio, & in l. Vellea, id est, si instituatur nepos, vel pronepos postumus, nasciturus post mortem testatoris: (hac enim ratione excluditur lex Vellea, quæ loquitur de aliis postumis vt posteriùs intelligetur) filius autem vel nepos non morte, sed alia ratione (vt cesset formula Galli) desinat esse suus heres: & his omnibus casibus concludit admittendam esse institutionem postumi.

b *Conciperet?*] subaudi, testator verba institutionis nepotis postumi. q. d. nonne omittit Gallus quosdam casus: nam si testator de morte tãtùm filij loquatur, tamen contingere potest, vt alijs modis (putà aquæ, & ignis interdictione) desinat esse suus heres, & faciat locum nepoti postumo.

c *Aqua & ignis interdictione.*] id est, media capitis deminutione.

d *Peteretur*] subaudi filius.

e *Ostendimus*] in §. idem credendum.

f *Emancipatus esset.*] id est, minima capitis deminutione desiisset esse suus heres. in filio posuit exemplum mediæ capitis deminutionis: in nepote minimæ. sed idem est intelligendum si filius minimam, vel nepos mediam capitis deminutionem passus esset.

g Post

g *Post mortem scilicet aui nasceretur.*] si viuo auo nasceretur, institutio valeret lege Vellea, de qua infrà. Auum vocat testatorem, qui est auus nepotis postumi instituti.
h *Ex sententia legis Velleæ.*] id est, coniunctis iure antiquo & legis Velleæ priori capite. Nam ius antiquum est de nepote nato post mortem testatoris, & instituto sub conditione si filius moriatur: Priùs caput legis Velleæ est de nepote, qui natus est post testamentum viuo adhuc testatore, & institutus est sub conditione si filius quocumque modo suus heres esse desierit: Casus autem propositus est de nepote post mortem testatoris nato, qui institutus est sub conditione si filius suus heres quocumque modo esse desierit. Ergo persona hæc nepotis potest institui ex iure antiquo. sed modus instituendi, id est, conditio sumitur ex lege Vellea. quocirca dixi hæc duo iura coniungi.

Ad §. quid si quis filium.

a *Quid si.*] docet posse institui nepotem, qui auo testatore mortuo, patre autẽ apud hostes seu viuo, seu mortuo nascetur. & omnino quibuscumque casibus nepos suus heres nasciturus est, institui eum posse tam verbis generalibus, quàm specialibus.
b *filium,*] & ex eo nurum prægnantem.
c *Non induxere*] Gallus, aut Velleus.
d *Si antea quam*] sensus est, hunc casum fuisse omissum, tam à Velleo, quàm à Gallo: cùm scilicet filius, qui ante aui testamentum captus fuit, apud hostes post mortem aui decessit, nepos autem mortuo auo nascitur siue ante siue post mortem patris sui. hoc enim casu posse institui nepotem postumum non induxere. Itaque hac particula *si*, reguntur omnia verba sequentia vsque ad verbum *non rumperet.*
e *Quamuis post mortem patris*] hunc casum omisit Aquilius, qui nepotem sic institui induxit, *Si filius meus viuo me morietur.*
f *Decederet.*] obserua filium dici decedere antequam redeat, qui numquam rediit, sed apud hostes decessit.
g *Tunc deinde,*] post mortem filij apud hostes.
h *Nepos.*] ex eo filio, porrò hæc oratio mox perficietur illis verbis, *nasceretur, non rumperet*, quæ verba in postremum locum reiiciuntur: quia non tantùm hunc casum, sed etiam proximè sequentem claudunt.
i *Illis viuis.*] id est, viuo filio apud hostes: nam iure consultis familiaris est in eodem themate tractando mutatio numerorum, & personarum.
k *Non rumperet.*] subaudi testamentum nepos his casibus institutus.
l *Hic casus,*] quo nepos nascitur mortuo auo.
m *In huiusmodi vtilitate.*] vtilitatis causa admitti dicitur, quod præter rationem stricti iuris admittitur benigne ex bono & æquo.
n *Multos casus rumpendi abstulit.*] id est, multis casibus prohibuit testamentum à postumis institutis rumpi.
o *Instituens nepotem,*] non secundùm formulam Galli, sed secundùm aliam similem, vtputà si dicat, *Si filius meus post mortem meam in potestate hostium decesserit, tunc si quis mihi ex eo nepos, &c.*
p *Atque etiam.*] ἀπὸ τοῦ κοινοῦ repete, *rectè instituisse videatur.*
q *Generaliter.*] In eadem significatione vsus est verbo *simpliciter*, suprà §. 1.
r *Si suus nasceretur.*] Ita demum (inquit) rectè facta erit hæc generalis institutio, & ex ea nepos admittetur, si suus heres nascetur: quoniam hoc iure postumus alienus non poterat heres institui.

Ad § si eius.

a *Si.*] docet valere institutionem nepotis pronepotisue in ciuitate concepti, & apud hostes nati, si præcedenti persona ac testatore mortuis reuertatur in ciuitatem; licèt dubitari possit, vtrùm institutio valeat iure antiquo, an lege Vellea.
b *Eius*] testatoris.
c *Filium*] in potestate, institutum heredem in primo gradu, vt suprà non semel monui subaudiendum esse.
d *Nepotem.*] postumum.
e *Instituat.*] id est, vulgariter substituat, putà verbis generalibus, *Si viuo me filius morietur, nepos heres esto.*
f *Nurus.*] eadémque dicti filij vxor.
g *Prægnans ab hostibus capta sit:*] siue ante, siue post aui testamentum: quoniam in hoc tractatu, qui sunt in vtero, non habentur pro natis.
h *Viuo*] socero testatore. Nihil autem interest, quod ad hoc vt institutio nepotis valeat, vtrùm filium quoque hoc tempore viuum ponas, an defunctum.
i *Ille.*] nepos institutus.
k *Post mortem patris atque aui.*] ponit decessisse primò patrem, deinde auum, ne successione rumpatur testamentum.
l *Redeat*] ab hostibus.
m *Vtrùm hic casus ad legem Velleam respiciat, an ad ius antiquum aptandum sit.*] Non videtur pertinere ad ius antiquum, quia nepos nascitur viuo auo: nec ad prius caput legis Velleæ, quia non nascitur suus heres: nec ad posteriùs caput eiusdem legis, quia non potest dici succedere in locum sui heredis.
n *Quod quærendum est,*] vtrùm scilicet hic casus pertineant ad ius antiquum, an ad legem Velleam.
o *Iam,*] antequam auus testaretur.
p *Mortuo filio.*] nepote autem superstite.
q *Instituat.*] id est, nepoti instituto substituat.
r *Redeatque*] pronepos ab hostibus.
s *Mortuo.*] patre, & proauo.
t *Nihil refert:*] quia & ius antiquum, & lex Vellea est pars iuris ciuilis.
u *Vtrùm, ex iure antiquo, an ex lege Vellea.*] Ne dicas institutionem valere, & neutro iure valere: quia nulla est institutio postumi, nisi iure aliquo sustineatur.
x *Excludatur*] à testamento aui rumpendo: quoniam ad hereditatem admittitur iure substitutionis.

Ad §. forsitan.

a *Forsitan.*] docet præteritionem nepotis viuo filio nati & mortui, non efficere institutioni pronepotis.
b *Illis casibus.*] quibus secundum ius antiquum instituitur pronepos, instituto quidem filio, nepote tamen præterito. finge testatorem generaliter filio instituto substituisse, *Quicquid sibi liberorum post mortem suam nascetur.* his verbis continetur nepos vel pronepos nasciturus, post mortem testatoris: non continetur nepos, si viuo patre & auo nascitur.
c *Ex eo*] nepote.
d *Concipiatur.*] pronepos.
e *Isque*] pronepos.
f *Mortuo.*] Flor. scriptum est *viuo*, mendosè.
g *Patre, deinde auo.*] hic ordo mortalitatis necessariò requiritur ne successione rumpatur testamentum. sup. h. l. §. num si & filius.
h *Nascatur.*] suus heres proauo testatori.
i *Non potuerit*] cum effectu, quasi institutio non valeat.
k *Institui*] pronepos.
l *Pater ipsius,*] id est, pater pronepotis, idémque nepos testatoris.
m *Hic*] pronepos.
n *Suus heres nascitur, & post mortem nascitur.*] post mortem (inquam) testatoris, vt dubitari non possit, quin rectè institutus sit iure antiquo.

Ad §. ergo & si pronepos.

a *Et si.*] leg. *& sic*, id est, hoc etiam casu.
b *Pronepos.*] Institutus.
c *Admittetur.*] ad hereditatem proaui, non obstante nepote, quia nepos in suitate non præcedit.
d *Atque*, &c.] id est, adoptatur in locum nepotis ex eo filio, ex quo est pronepos, vt iure ciuili fingatur frater patris sui, & natus ex eo, quo est naturaliter prognatus. hoc fieri potest, si priùs à proauo fuerit emancipatus, deinde quasi extraneus adoptatus in locum nepotis. supr. de adopt. l. si paterfam. 15. §. 1.
e *Ex eo*] filio.

Ad §. in omnibus.

a *In omnibus speciebus.*] in quibus postumus iure antiquo instituitur secundum Aquilianam, vel aliam similem formulam.
b *Seruandum est*] à testatore.
c *Filius dumtaxat qui est in potestate.*] non filius captiuus, non nepos, vel pronepos, vt mox subiicit Scæuola. Quid dicemus de filio emancipato? iure ciuili præteriri potest, iure prætorio non debet præteriri. Instit. de exhered. liber. §. emancipatos.
d *Ex aliqua parte.*] sub. saltem. nihil enim vetat eum ex asse heredem scribi.
e *Nam frustra exheredabitur post mortem suam.*] probat filium esse instituendum, quia non potest exherdari. supponit eum non posse præteriri, quia certum est filio præterito testamentum ipso iure non valere, sed regulariter debet institui vel exheredari. Cùm igitur hoc casu non possit exheredari, necessariò est instituendus, Quòd non possit exheredari, probat: quia post mortem suam exheredaretur: quę exheredatio nó valet. vt enim defuncto dari hereditas non potest. Ita nec adimi. sup. h. tit. l. si ita. 13. §. vlt. & infr. de heredib. Instit. l. 4. §. vlt. Quòd autem exheredaretur post mortem suam, sic ostendo: Aut nepos solus est institutus, aut etiam institutus est extraneus. Priori casu filius exheredatur post mortem suam: quia institutus est nepos post eius mortem nasciturus, exheredatio autem ab institutione vim sumit: d. l. si ita. §. vltim. & infr. de bon. poss. cont. tab. l. pen. vers. sed enim exheredatio. Posteriori casu supponendum est, filium esse exheredatum à tota hereditate, & tam à portione ae persona nepotis, quàm extranei, alioquin exheredatio sine dubio non valeret. sup. h. t. l. 3. §. filius. ergo respectu nepotis filius est exheredatus post mortem suam: ideóque pro hac parte exheredatio est inutilis: consequenter nullam vim habet, quia iam dixi non valere exheredationem à patre vel persona vnius heredis.
f *Necessariò*] supple, seruandum à testatore.
g *In eo filio*] testatoris.
h *Si ibi decedat.*] vide l. pen. infr. h. t.
i *In nepote.*] cuius filius viuit.
k *Pronepote.*] si aut filius aut nepos, aut ambo viuant.
l *Quorum*] nepotis vel pronepotis.
m *Liberi*] postumi, vt pronepos vel ab nepos testatoris.
n *Possunt præteriri*] nepos & pronepos, qui sunt sui heredes.
o *Nobis.*] testatoribus.
p *Natos.*] liberos nostros, qui nati sunt vel ante testamentum à nobis factum, vel postea: de postea natis est caput prius legis. de antea natis caput posterius.
q *Similiter.*] quemadmodum postumi instituti iure antiquo non rumpunt.
r *Testamentum.*] in quo instituti, vel exheredati sunt.

Ad §. & videtur.

a *Et videtur.*] Declarat primum caput legis Velleæ, ex quo capite licèt eos instituere, qui heredes cùm nascentur, futuri sunt, etiam si tempore testamenti alius præcedat. Verba legis imperfectè referuntur à Scæuola. Nos, vt sequentia possint meliùs intelligi, ita restitui posse putamus. *Qui testamentum faciet, is omnes virilis sexus, qui ei sui heredes futuri erunt, instituendi vel nominatim exheredandi potestatem habeto. Instituti, exheredatíve testamentum adgnatione ne rumpunto, etiam si parente viuo nascantur. de feminis, hoc excepto quod etiam inter ceteros exheredari possunt, idem iuris esto.* Nam hoc iure differentia est inter exheredationem masculorum, & feminarum: quam differentiam Iustinianus postea sustulit.
b *Videtur.*] id est, apparet, manifestum est.
c *Nascerentur*] post testamentum à parente factum.
d *Nondum natum.*] rectè: nam de nasciturís post testamentum agitur hoc priori capite legis.
e *Tantùm.*] leg. tamen, error manauit ex his notis, tñ, tm̃: quarum illa significat tamen: hæc, tantùm.
f *Ex verbis*] legis Velleæ.
g *Notauerit*] Velleus.
h *Qui*] aut hoc verbum est delendum aut est *qui* pro *quis*.
i *Filius non sit.*] quia iam obiit ante patris sui testamentum.
k *Viuo patre nascatur.*] aut legendum, *viuo patre instituatur*: aut delendum verbum *nascatur*, quia facile ex proximo repeti potest: aut denique ita legendum, *viuo patre instituatur, eóque mortuo nascatur.* Quocumque autem ex his modis hunc locum restituamus, eadem erit sententia.
l *Tempus faciendi testamenti respici.*] id est, hoc tempore spectari, an filius viuat, vt nepotem possit præcedere.
m *Nascitur*] nepos institutus.
n *Nam & si.*] leg. *tametsi*. sensus est, dictam sententiam colligi ex verbis legis, quamuis non specialiter iis contineatur: quia verba ita generalia sunt, vt hunc quoque casum complectantur.
o *Omnis.*] pro *omnes*, vel *omneis*.
p *Virilis sexus.*] hos iussit lex nominatim exheredari. infr. de in ius rup. l. 3. §. 1. probabile autem est legem subiecisse aliquid de feminis, vt nos supra legem restituentes suppleuimus.
q *Ei*] testatori.
r *Suus heres futurus erit.*] leg. *sui heredes futuri erunt*.
s *Et cetera.*] hac particula indicat prætermitti à Scæuola quædam verba legis. sic infr. §. videndum.
t *Parente*] testatore.

Ad §. sequenti parte.

a *Sequenti parte.*] id est, secundo capite.
b *Succedentes*] post factum à parente testamentum.
c *In locum liberorum.*] id est, in locum suorum heredum.
d *Non vult.*] vetat.
e *Lex*] Vellea.
f *Rumpere testamentum*] parentis sui, in quo testamento sunt rectè instituti, vel exheredati.
g *Interpretandum est.*] id est, interpretari oportet hoc secundum caput.
h *Habeas.*] In potestate, quando facis testamentum.
i *Mortuus*] post tuum testamentum.
k *Vtrisque.*] filio & nepote.
l *Institutus.*] vel exheredatus nominatim.
m *Non rumpat*] tuum testamentum successione quasi adgnatione.
n *Verba*] legis Velleæ, id est, posterioris capitis.
o *Desierit*] post testamentum parentis.
p *Ad omnes casus pertinentia.*] id est, non solùm mortem sui heredis complectentia, sed etiam capitis deminutionem.

Diximus

a *Diximus*] in §.1.& sequentibus.
s *Nepos*,] ex quo pronepotem institutum ponebamus.
t *Viuo patre*,] id est, patre suo, eodémque testatoris filio.
u *Decedat*] post testamentum aui.
u *Ne*] Flor.*nee*, corruptè.
x *Succedens*] in locum sui heredis.
y *Pronepos*] testatoris.
z *Auo mortuo*] testatoris filio, qui vocatur auus relatione habita ad hunc, de cuius institutione agitur, id est, ad testatoris pronepotem.
aa *Rumpat*] testamentum proaui.
bb *Super vixit*.] nepos testatoris.
cc *Patri*] id est, patri suo testatoris filio.
dd *Decedat*] testatore & eius pronepote superstitibus.
ee *Dummodo*] sub. hoc posteriori casu, quo nepotem filio superstitem ponimus.
ff *Institutus sit, aut exheredatus*] in testamento auito, ne testamentum rumpat praeteritus.

Ad §.videndum

a *Posteriore parte*,] posteriore capite legis Velleae.
b *Et cetera*.] Hoc verbum indicat quædam verba legis esse omissa, vt & sup. §. & videtur. desiderantur etiam extrema verba huius capitis: quod nos putamus ita posse restitui, *Si quis ex suis heredibus, suus esse desierit, liberi eius superstites & in potestate retenti, quos nullus praecedat, in locum suorum sui heredes succedunto, testamentumque à parente factum si preteriti sint, rumpunto. Si rectè instituti, vel exheredati sint, ne rumpunto.*
c *Nepotem ex eo*] in potestate retentum.
d *Etiam*.] repete, si filius tuus decedat.
e *Post mortem*] tuam.
f *Antiquam*] Hic quoque dicitur is decedere antequàm redeat, qui numquam rediit, vt supr. in §. quid si qui.
g *Succedendo*] in locum filij, id est, patris sui.
h *Non rumpet*] nepos testamentum aui, in quo testamento fuit institutus.
i *Addidit*] Velleus.
k *Tempus*,] quo quis definit esse suus heres. siue igitur viuo siue mortuo testatore suus heres decedat, nihil videtur interesse, quoniam liberi eius vtroque casu iura suitatis nanciscuntur.
l *Licet audenter*.] nam si ita respondeas, dum religiosè vis ius obseruare, minùs ea religiosus, & magis audes.
m *Hunc*] filium, qui post mortem patris decessit apud hostes.
n *Desiisse*] propter fictionem legis Corneliæ.
o *Rediit*] pro *redit*.

Ad §.ille casus.

a *In difficili*:] quia difficile est defendere institutionem, quæ hic proponitur.
b *Isque*] nepos.
c *Nascatur*,] postquàm auus testamentum facit.
d *Viuo patre suo*] & auo testatore.
e *Mox*] viuo adhuc auo.
f *Est*] hic nepos, quem pater præcedit.
g *Tempore, quo nascitur*,] idcirco non pertinet ad prius caput legis Velleæ.
h *Posteriori*] capite legis Velleæ.
i *Alij*,] id est, in locum alterius nempè sui heredis. in aliis libris legitur, alius. quæ lectio planior est.
k *Rumpere*] testamentum, in quo est institutus, vel exheredatus.
l *Iam*] ante factum testamentum.
m *Permitti*.] leg. *permittit*. subaudi, Velleus.
n *Rumpi*] Quasi adgnatione eius, qui institutus, vel exheredatus est.
o *Ratum esse*] testamentum, in quo nepos est institutus, aut exheredatus.
p *Succedit*] nepos in locum sui heredis.
q *Institutus*] nepos.
r *Nullo iure*] ciuili.
s *Potuit*,] concessum fuit. Obserua non valere institutiones heredum; nisi quatenus iure aliquo confirmantur. rectè: nam testamenti factio est iuris publici: nec est in potestate priuatorum hominum, nisi quatenus eis à lege vel à principe permittitur. sup. tit. prox. l. 3.
t *Qui*] nepos.
u *Nondum natus erat*,] quando auus testabatur.
x *Commixtus*:] vt proposita species, quæ ad neutrum caput referri in totū potest, pro partibus ad vtrumque referatur. Species talis est: qui filium habebat, instituit nepotem postumum. natus est nepos post factum ab auo testamentum viuis patre & auo. mox pater mortuus est, deinde auus. Hæc species non pertinet ad ius antiquum: quia nepos est natus viuo auo testatore non suus heres: ius autem antiquum est de iis qui post mortem testatoris nascuntur sui heredes. ergo referenda est ad legem Velleam. sed neque ad prius caput solum, quia nepos non est natus suus heres: neque ad posterius, quia natus est post testamentum. verùm quatenus nepos nascitur post testamentum aui, hęc species refertur ad priùs caput legis & quatenus nascitur non suus, deinde succedit in locum sui heredis, inducitur alterum caput legis: atque ita coniunctis capitibus institutio nepotis sustinetur.
y *In hoc quoque inducere*,] ad hanc quoque institutionem producere.
z *Legem*] Velleam.

Ad §.vltim.

a *Recepta*] vsu & moribus.
b *Sententia*,] exposita in §. præced.
c *Nascatur*] post testamentum aui.
d *Nepos*] institutus ab auo.
e *Viuo patre suo*,] & auo quoque.
f *Deinde*] post mortem patris.
g *Emancipetur*] ab auo.
h *Sponte adire posset*,] tamquam factus per emancipationem hæres voluntarius & extraneus, cùm ante emancipationem esset heres suus & necessarius iure ciuili.
i *Emancipatione*,] id est, propter emancipationem.
k *Suus heres fieri non potuit*,] heres tamen fieri potuit.

ANALY

ANALYSIS ORATIONIS DOMINICÆ

Colophonem huic operi imponet.

Oratio dominica continet

- Inuocationem. — *Pater noster, qui es in cœlis.*
- Petitionem
  - Eorum, quæ impetrare cupimus. Hæc spectant
    - Ad gloriam Dei, qui rogatur. — *Sanctificetur nomen tuum.*
    - Ad nos rogantes, atque hæc respiciũt
      - Partim religionẽ: quæ quidem duo sũt
        - Sanctificatio nostra, quę fit Deo in nobis regnãte. — *Adueniat regnum tuum.*
        - Bona opera. — *Fiat voluntas tua, sicut in cœlo & in terra.*
      - Partim ad huius vitæ necessitatem. — *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.*
  - Vt remoueantur impedimẽta, quæ obstant, quò minùs
    - Exaudiri à Deo debeamus. Hæc sunt peccata admissa. — *Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.*
    - Totò retineamus, & conseruemus eã, quæ impetrauimus. Hæc impedimenta sunt,
      - Carnis tentatio. — *Et ne nos inducas in tentationem.*
      - Diaboli insidiæ. — *Sed libera nos à malo, ἀπὸ τοῦ πονηροῦ.*
- Rationem petitionis
  - Secundæ. — *Quia tuum est regnum,*
  - Tertiæ, & sequentium. — *Et potentia,*
  - Primæ. * — *Et gloria,*
  - *in secula seculorũ. Amen.*

* Hic ordo artificiosè inuertitur: vt oratio, quæ à Dei gloria sumpsit initium, in eamdem desinat.

Δόξα τῷ Θεῷ.

TABVLARVM FINIS.

IVL. PACII

IVL. PACII
A BERIGA I. C.
COMMENTARIVS
IN TITVLOS DIGESTO-
RVM ET CODICIS,

De pactis,
De transactionibus, &
De errore calculi.

IVL. PACII A BERIGA I.C.
COMMENTARIVS IN TITVLOS DIGESTORVM ET CODICIS,
DE PACTIS.

DIGESTORVM LIB. II. TIT. XIV.
DE PACTIS.

Ad principium L. I.



LPianus suo more incipit à commendatione edicti, quod ostendit esse naturali æquitati consentaneum. Hoc princ. diuiditur io duas partes: prior dictum, posterior dicti rationem continet.

Prior pars continetur illis verbis, *Huius edicti æquitas naturalis est*. In primis contra hæc verba occurrit dubitatio, quæ interpretes turbauit, cùm dicat Vlpianus, *Huius edicti*: edictum tamen oon habeatur hîc: sed infr. l. 7. §. ait prætor. Nam pronomen *hoc*, vt Doctores loquuntur, est demonstratiuum ad oculum; ideóque rem præsentem requirit, infr. de hered. instit. l. nemo. § 8. Ad hanc obiectionem respondeo, non requiri præsentiam corporalem; nec opus esse, vt res sit subiecta oculis corporis; sed sufficere si mente & animo repræsentetur. Quamuis igitur verba edicti hoc initio tituli non ponantur, tamen eius sententia hîc, & in toto titulo est præsens: hæc autem præsentia adeo sufficit, vt interdum dicatur hoc edictum, vbi verba edicti desiderantur, vt in l. 1. infr. de bon. libert. & in l. 1. infr. si ventr. nom. Non obstat d. l. nemo. vbi talis institutio, *hic heres esto*, reprobatur, nisi heres institutus præsens sit, ita vt oculis cerni possit. Illa enim decisio non nititur significatione prouocabuli *Hic*, sed naturà institutionis heredum: quia heres institutus, certus esse, seu certa demonstratione significari debet: infr. de hered. instit. l. quoties. 9. §. heres. non est autem certa demonstratio, oec certus heres, si testator dicat, *hic heres esto*; ille autem præsens non sit. Opus igitur est præsentia heredis, non ad verificandum pronomen *hic*; sed ad hoc, vt certa sit demonstratio. Vnde si alia ratione appareat, quis sit heres institutus, sine dubio institutio absentis valebit, etiamsi testator vtatur pronomine demonstratiuo *hic*; veluti si testator dicat, *Si quis mihi filius nascetur, hic heres esto*: aut, *Qui Titius negotia mea gessit, hunc heredem instituo*. Hæc de pronomine *Huius* dicta sufficiant. Cùm autem Vlpianus dicat, huius edicti æquitatem esse oaturalem, innuit aliam esse æquitatem ciuilem, quæ non confirmat pacta, adeo vt prætor hoc edicto confirmet ius naturale, ac suppleat quod deest iuri ciuili. Scimus enim prætoria edicta modò confirmare, interdum emendare, aliàs supplere ius ciuile, Instit. de bon. poss. in princ. Videndum igitur est, an sit quædam æquitas ciuilis, & quid à naturali distet. Hæc vt breuiter explicem, quædam sunt præmunienda, I. Æquitatis vocabulum esse homonymum. Plerumque enim æquitas opponitur stricto seu

A summo iuri, vt in l. placuit. 8. C. de iudic. & aliis permultis locis. Sicque Aristoteles 5. Ethic. cap. pen. opponit τὴν ἐπιείκειαν τῷ ἀκριβοδικαίῳ. Interdum verò æquitas latiùs accipitur pro quocumque iure, non excluso stricto iure, sicut accipitur à M. Tullio in Topic. vbi ius ciuile definit, æquitatem constitutā iis, qui eiusdem ciuitatis sunt, ad res suas obtinendas. Æquitas igitur in prima significatione accipitur pro humanitate & benignitate iuris, quæ vocatur etiam vtilitas, & bonum & æquum: quamquam & hoc interdum latè accipitur, eodem modo quo æquitas; vt cùm ius definitur ars boni & æqui, supr. de iustit. & iur. l. 1. in princ. In altera autem significatione æquitas sumitur pro æqualitate iuris, & meritò complectitur omne ius: quia omne ius
B consistit in æqualitate vel geometrica, vel arithmetica, vt philosophus docet d. lib. 5. eth. II. Verbum quoque *ius ciuile*, esse homonymum; & vt omittam aliquot significationes, quæ ad iostitutum oostrum non pertinent, ius ciuile modò accipitor pro eo iure, qood separatum est à iure naturali vel gentium, & ius positiuum appellatur; vt cum diuidimus ius in naturale, gentium & ciuile. Nam membra diuisionis distincta sunt & separata. Interdum sumitur pro toto Romano iure, quod constat ex præceptis naturalibus, gentium & ciuilibus, Instit. de iustit. & iur. §. vlt. & de iur. natur. §. sed hæc quidem. His præmunitis, ponenda sunt aliquot axiomata, quibus tota quæstio proposita explanabitur.

I. Axioma: Si æquitas latè accipiatur pro quocumque iure, sicut ius diuiditur in naturale & ciuile: (na-
C turalis eoim appellatione complectimur etiam ius gentium, qood & ipsum naturale dicitur, Instit. de rer. diuis. §. singulorum.) ita etiam æquitas alia est naturalis, alia ciuilis, infr. depositi. l. bona fides. 31. in princ. & D. si is qui liber esse iussus. l. 1. §. 1.

Alterum axioma: Si æquitas angustè & propriè accipiatur pro iuris benignitate distincta à stricto iure, ius autem ciuile accipiatur in posteriori illa significatione, vt sit totum quiddam constans ex iure naturali, gentium & ciuili, tunc æquitas naturalis & æquitas ciuilis idem sunt. Æquitas enim naturalis est pars iuris ciuilis ita accepti: atque hæc est quæ à doctoribus vocatur æquitas scripta, cuius multa exempla passim occurrunt io nostris libris.

III. Axioma: Si & æquitas & ius ciuile propriè atque
D angustè accipiantur, æquitas ciuilis nulla est: sed omnis æquitas est naturalis, ita vt hac ratione verbum illud *Naturalis* nō sit διαφορά, sed ἐπίθετον æquitatis, hoc enim non seiungat hanc æquitatē à ciuili, sed declaret proprietatem æquitatis, quia propriū æquitatis est, vt sit naturalis. Fieri enim nequit, vt aliquid æquum sit, quin iure naturali comprobetur. Ergo descendit ex iure naturæ. Quod si dicas, id etiā iure ciuili confirmari, necesse est fatearis ius ciuile id sumere à iure naturali:

non est igitur pars iuris ciuilis, nisi quatenus ius ciuile accipitur latè, vt contineat etiam præcepta naturalia: nos autem in hoc tertio axiomate accipimus ius ciuile angustè pro iure distincto à naturali. Quod dicimus, proposito exemplo fiet apertius. Qui ponunt æquitatem ciuilem distinctam & à naturali æquitate & à stricto iure ciuili, dant exemplum vsucapionis: dicunt enim vsucapionem receptam esse contra naturalem æquitatem: quia iniquum est vsucapiētem rem meam, locupletari cum mea iactura, infr. de condict. ind. l. nam hoc natura. 14. & rem meam sine facto meo auferri, infr. de diu. reg. iur. l. id quod nostrum. 11. ergo admitti ob ciuilem quandam æquitatem, ne rerum dominia semper sint incerta, infr. de vsucap. l. 1. & vt lites minuantur, infr. pro suo l. vlt. Atqui lites minui, & rerum dominia certa esse, descendit ex naturali æquitate. Naturalem enim æquitatem, & ius naturale intelligimus, non commune omnibus animalibus, sed proprium hominum, quod vocamus etiam ius gentium. Hoc igitur cùm ius discreuerit rerū dominia, sine dubio hoc requirit, vt dominia certa sint, alioqui non satis discernerentur, supr. de iustit. & iur. l. ex hoc iure. Rursus cùm natura inter omnes homines societatem quandam & coniunctionem statuerit, ita vt ius naturale nolit alterum ab altero lædi, supr. eod. l. 3. certè huic iuri consentaneum est, vt lites minuantur, & quoad eius fieri potest, tollantur: quandoquidem non potest esse lis, quin alterutra litigantium pars lædatur. Concludo igitur vsucapiones esse naturali æquitati consentaneas. Ex his, quę diximus, oritur dubitatio: videtur enim esse absurdum, quòd vsucapiones aduersentur naturali æquitati, & nihilominùs introductæ sint ob naturalem æquitatem: sic enim fiet, vt ius naturale seu naturalis æquitas secum pugnet, idémque eodem iure probetur & reprobetur. Respondeo ad hanc obiectionem ex Arist. l. 5. ethico. cap. pen. esse quidem hoc vitium quoddam, non tamen vitium legislatoris, nec iuris, sed subiectæ materiæ: quemadmodum in rebus physicis fiunt monstra non naturæ, sed materię vitio. Sicut enim natura rem efficit quàm optimam potest ex materia quam habet, ita etiam ius optima præcepta constituit, humanásque actiones non simpliciter optimè regit, sed quàm optimè regi possunt. Etenim si homines adduci possent ad hoc, vt legibus & iuri parerent, nihil vitij, nihil absurdi contingeret. Sed quia homines contra iura peccant, eorúmque peccata sunt punienda: inde fit, vt quædam absurda contingere videantur, quæ tamen nō sunt absurda, quia materia subiecta, id est, hominum natura talis est, vt ita debeat regi atque gubernari. Sicut igitur edictum *Quod quisque iuris*, per se consideratum, iniquum est, quia iubet vt contra ius iudicetur; iustum tamen est ratione subiecti argumenti, vt scilicet ea ratione puniatur is, qui malè iudicauerit: ita etiam lex introducens vsucapiones, introducit aliquid, quod, si per se spectetur, est iniustum, adeo vt repudiari deberet, si omnes homines honestè & rectè viuerent; sed ideo est iustum, quia plurimi sunt litigiosi, &, nisi lex prospiceret, infinitæ, & immortales essent lites, quarum minuendarum causa introductæ sunt vsucapiones. Hîc igitur locum habet, quod in multis aliis casibus, vt minus malum eligatur tamquàm bonum: bonum, inquam, non simpliciter, sed quatenus hac ratione vitatur maius malum: sicuti non simpliciter bonum est proiicere merces in mare, sed bonum est seruandæ nauis causa, ne patiatur naufragium. Denique naturalia præcepta, si per se spectentur, non sunt inter se contraria, sed in subiecta materia, vitio materiæ, contraria videntur, quatenus præceptum aliquod iuris naturalis non obseruamus, non quòd habeamus illud præceptum pro iniusto, sed quod putamus ho-

A mines indignos, qui eius præcepti beneficio fruantur.

His expositis, breuiter videamus in quo sensu dicat Vlpian. edictum de pactis consentaneum esse naturali æquitati. His verbis significat hoc edictum non habere æquitatem ciuilem, sed naturalem & ciuilem æquitatē hîc accipe, & in d. l. 1. infr. si liber esse iussus. vt sensus sit, pacta iure ciuili negligi, iure tamen naturali confirmari, ideóque prætorem, vt suppleat quod deest iuri ciuili, & confirmet ius naturale, proposuisse edictum de pactis, quo iubet pacta conuenta seruari. Naturalis igitur æquitatis appellatione nihil aliud significatur, quàm ius naturale. Si quis quærat, cur æquè ius ciuile non confirmauerit pacta: respondebo, noluisse ius homines facilè obligari, aut obligationes acquisitas amittere, ne facilè circumuenirentur, &
B in captiones inciderent: eadem ratione, qua voluerunt quæcumque militis verba haberi pro testamento, infr. de testam. milit. l. Diuus. 24. & Instit. eod. §. 1. Vt igitur constaret de voluntate conuenientium & eorum consensu, nimirum eos seriò egisse, non ioci fortasse causa, vel (vt dici solet) per curialia verba, voluerunt iura certos esse modos conueniendi, putà per stipulationem, vnde voluntas & consensus expressiùs appareat. Quocirca statuendum est, ex pacto nudo, iure naturali, obligationem nasci vel tolli, iure ciuili nec dari nec tolli, iure prætorio tolli, non dari: propensiores enim sumus ad liberandum, quàm ad obligandum, infr. de oblig. & act. l. Arrianus. 47. Hæc ita regulariter obtinent. Interdum ex pacto nudo ius ciuile dat vel tollit obligationē & actionem, infr. hoc tit. l. 6. in-
C terdum prætor non solùm exceptionem, sed etiam actionem dat, infr. de constit. pec. l. 5. Interdum neutrum concedit, sed prorsus negligit pactum, putà si factum sit contra leges, vel dolo malo, infr. eod. l. 7. §. ait prætor. & §. dolo.

Exposui dictum Vlpiani, quo commendat edictum de pactis à naturali æquitate: sequitur eius dicti confirmatio, cùm ait, *Quid enim tam congruum fidei humanæ, quàm ea, quæ inter eos placuerunt, seruari?* Vtitur argumento à genere ad speciem: pactum enim est species placiti, id est, conuentionis & consensus, vt ex definitione intelligemus in §. & est pactio. Tale igitur est argumentum.

Omne placitum seruari postulat fides humana:

Omne autem pactum est placitum.

D *Omne igitur pactum seruari fides humana postulat.*

Maior propositio repetitur in l. ex empto. 11. inf. de act. empti. fit autem mentio humanæ fidei, cùm probatio facienda sit de naturali æquitate, quia Vlpianus supponit tamquàm manifestum, naturalem æquitatem hoc exigere, vt data fides præstetur. Porrò Accursius dubitat, quomodò verum sit, quod ait I. C. nihil magis humanæ fidei conuenire, quàm pacta seruari, cùm magis conuenire videatur, vt Deum colamus. Respondet Vlpiani dictum accipiendum esse ὑπερβολικῶς. Ego autem simpliciter verum esse puto: non enim ait Vlpianus, nihil magis hominem decere, quàm seruare pacta, sed nihil magis conuenire humanæ fidei, fidem autem accipit, non vt in tit. C. de summa trinitate & fide catholica, ex qua fideles dicuntur, sed vt accipitur à M.
E Tullio lib. 1. de offic. cum ait fidem esse dictorum & factorum veritatem & constantiam, dictam ex eo quòd fiat id quod dictum est. Huic igitur fidei nihil magis congruum est & consentaneum, quàm id fieri, de quo conuēnit. Vt enim Deum colamus, vt patriæ & parentibus pareamus, aliæ virtutes à nobis requirunt, non hæc fides, de qua loquitur in præsentia Vlpianus. Rectè autem ait, *Quæ inter eos placuerunt.* Nam pacta non à quibuscumque seruanda sunt, sed tantùm ab ipsis paciscentibus, infr. hoc tit. l. si vnus. 27. §. pacta quæ turpem.

turpem. in fin. hæc de princip. legis dicta sufficiant.

Ad §. 1.

IAm incipit Vlpianus nobis explicare materiam pa-
ctorum:& primùm loquitur de ipso vocabulo, non
tradens nominis definitionem, vt falsò Cuiacius exi-
stimauit, sed παρωνυμίαν, id est, denominationem, quæ à
nominis definitione plurimùm differt. Hoc igitur §.
duo continentur: denominatio pacti, & denominatio
pacis: quoniam vtrumque vocabulum habet eandem
originem: siquidem vtrumque dicitur à pactione, &
pax quidem (vt hoc breuiter expediam) ideo dicitur à
pactione, quia pactionibus fit, infr. eod. l. 6. de pacto
videamus. In primis notandum est, varias esse viro-
rum doctorum sententias de pacti & pactionis signi-
ficatione. Nam quidam inter hæc duo distinguunt,
vt Duarenus, qui pactionem, pacti genus esse statuit,
ita vt sub pactione non rantùm contineantur pacta, sed
etiam contractus. Alij verò pactum & pactionem pro
eod. accipiunt: atque hi diuiduntur in duas sectas; quia
nõnulli, vt Ferrettus, Hotomanus & Donellus vtrum-
que, (id est, & pactum & pactionem) tam latè patere
volunt, quàm vocabulum conuentionis, adeo vt non
solùm pactio, vt dicebat Duarenus, sed etiam pactum,
quod secundum hos idem valet, rectè dicatur genus
nudi pacti, & contractuum: Cuiacius autem & pactum
& pactionem angustè accipi vult, vt semper à contra-
ctibus distinguantur: secundum quam sententiam con-
uentio est genus, duas species sub se continens: pactum
seu pactionem, & contractum. Hanc sententiam postre-
mam probo, & constanter affirmo, nusquàm pacti vel
pactionis verbum accipi pro genere contractus, sed à
contractibus perpetuò distingui, vt ex sequentibus ma-
gis apparebit. Nunc enim ea tantùm dicere institui,
quæ ad hunc §. pertinent: idcirco in aliud tempus reii-
cio etiam quæstionem, an omne pactum nudum sit, &
an pactum, siue pactum nudum differat à pacto con-
uento. Iam igitur, quod ad præsens institutum attinet,
absurdum videtur, si pactum idem sit quod pactio, &
nihilominùs pactum deducatur à pactione. Aut enim
Vlpianus respicit ad pura vocabula, aut ad res ipsas.
Si ad vocabula; primùm professionis suæ fines egredi-
tur; quia leges imponuntur rebus, non verbis, C. com-
mun. de legat. l. 2. in fin. deinde (quod plus est) falsam
deriuationem affert: norunt enim grammatici, non
pactum dici à pactione, sed pactionem à pacto, id est,
à participio pactum, pactum autem ab antiquo verbo
pago. Quòd si dicamus iurisconsultum respicere ad res
ipsas, vt etiam respexit in l. 1. supr. de iustit. & iur. (vbi
deduxit ius à iustitia, cùm grammatici è contrario de-
ducant iustitiam à iusto, & iustum à iure) & Aristote-
les in Categoriis, capite de qualitate, vbi dixit iu-
stum dici à iustitia, fortem à fortitudine, & album
ab albore; cùm grammaticè deductio vocabulorum
è contrario sit facienda: si (inquam) hoc in præsen-
tia dicamus, incidimus in eam absurditatem, quòd
idem diceretur à semetipso. Vt hæc absurditas vite-
tur, oportet aliquid addere, & ex parte corrigere
sententiam Cuiacij. Pactum enim & pactio non sunt
prorsus idem, vt ille ponere videtur, sed re idem sunt,
ratione differunt. Quòd re sint idem, primum appa-
ret ex eo, quod deductio non potest fieri à re planè di-
uersa, vt album non dicitur à grammatico, sed ab al-
bore, at grammaticus non ab albore, sed à grammati-
ca. Præterea quæ definitio tribuitur pactioni, infr. h. l.
§. & est pactum. eadem tribuitur pacto, inst. de polli-
citat. l. 3. Quòd autem ratione differant, primùm ex
eo probatur, quod paulò antè dixi, non posse idem
deriuari à semetipso. Deinde linguæ Latinæ ratio
ostendit, pactionem significare ipsam actionem, dum
A est in fieri, vt in scholis loquuntur: pactum autem
significare eandem rem, quatenus consideratur in fa-
cto esse, vt cum iisdem scholasticis loquar, id est qua-
tenus ea res facta est. Quod enim est discrimen inter
effectionem & effectum, idem est inter pactionem
& pactum. Quatenus igitur fit, vocatur pactio: qua-
tenus est, appellatur pactum. Sed quia vtrobique res
est eadem, idcirco pactum & pactio passim cõfundun-
tur, eodem modo quo stipulatus & stipulatio, spon-
sus & sponsio, actus & actio, & id genus alia vocabu-
la. Vnde apparet, Vlpianum respicientem, non ad nuda
vocabula, sed ad eorum significationes, rectè deducere
pactum à pactione, non pactionem à pacto: quia poste-
rius deriuatur ex priore, res autem prius fit, quàm sit:
B sic pactio est prior, quàm pactum: & ideo est pactum,
quia fuit pactio: id est, ideo est pactum, quia aliqui
pepigerunt.

Ad §. *Et est pactio.*

OMnes interpretes putant in hoc §. tradi defini-
tionem pactionis: videamus igitur, quid, & quo-
modo definiatur. Verba ostendunt definiri pactio-
nem, à qua suprà diximus deduci pactum. Itaque Dua-
renus negat hîc definiri pactum, quòd aliud sit pa-
ctum, aliud pactio, id est, pactum sit species pactio-
nis, adeo vt hæc definitio latiùs pateat, quàm vt pa-
cti propria dici possit. Conuenit enim secundum Dua-
C renum, non solùm pactis, sed etiam aliis pactionibus,
id est, contractibus. Quod autem pactio latiùs pateat,
quàm pactum, & complectatur etiam contractus, non
solùm ex hac definitione probat, sed etiam ex l. 7.
§. quod ferè. inst. hoc tit. Hanc sententiam non pro-
bo: quia iam dixi eandem definitionem tribui pacto
in l. 3. infr. de pollicitat. Docui etiam; pactum à pactio-
ne, non re, sed tantùm ratione & accidentaria qua-
dam consideratione differre: idémque dici pactionem,
quatenus fit, & pactum, quatenus factum est. Quo-
niam igitur in definitione res simpliciter spectatur,
non quatenus est, vel fit (cùm esse aut fieri sint acciden-
tia, accidentia verò in definitionibus poni non de-
beant) inde fit vt eadem definitio cuicumque rei con-
D ueniat, siue consideretur vt fit, siue vt est: verbi gratia,
non definies aliter hominem, quatenus fit, & aliter
quatenus est, sed vnam afferes definitionem, qua
simpliciter explicabis naturam hominis. Sic igitur
vna & eadem definitio conuenit pacto, quatenus est
pactum, id est, quatenus est, & quatenus est pactio, id
est, quatenus fit. Non obstat quod ait Duarenus, hanc
definitionem conuenire contractibus: hoc enim nega-
bo, cùm ipsam definitionem exponam. Non obstat
etiam d. §. quod ferè. vt in eius interpretatione osten-
dam. Ergo hîc definitur pactum seu pactio generaliter
accepta, cùm nulla limitatione restringatur, & omnia
pacta sub hoc tit. explicentur. Itaq; repudiãda est etiam
Iasonis interpretatio existimantis hîc definiri tantùm
E pactum expressum, excluso pacto tacito. Hęc de defini-
to: venio ad definitionem, in qua pro genere accipitur
consensus, idem autẽ significat consensus, quod cõuen-
tio. Nisi malis consensum latiùs accipere, vt sit genus
cõuentionis, ideóq; hęc duo vocabula promiscuè vsur-
pantur in §. seq. & in d. l. 3. inf. de pollicitat. Reliqua de-
finitionis verba significant differentias, quibus pacta à
reliquis conuentionibus separentur. Atq; hęc definitio
nobis explicat quatuor pactorum causas, formalem,
efficientem, materialem & finalem. Forma pacti est
consensus seu conuentio: efficiens sunt duo pluresve
paciscentes: materia est id quod fieri placet, seu de quo
cõuenit: finis autem est, vt id fiat, de quo cõuenit. Iam vt
perspicuè intelligatur, quomodo hæc definitio secernat

pacta ab aliis conuentionibus, notanda est conuentionis seu consensus diuisio. Primum igitur aut consensus est vnius, vt in pollicitatione, quæ pendet à sola voluntate offerentis, sicut testamentum à sola voluntate testatoris: aut plurium, quæ propriè dicitur conuentio, & est conueotio nuda, id est, constans nudo facto, vel adnexam habet causam, id est, vim quamdam sibi à iure tributam, vt clariùs explicabo ad l. 7. Nuda conuentio est pactum: quæ verò causam adiunctam habet, est cootractus. Quamobrem I. C. in l. si vnus. 27. §. pactus ne peteret. infr. eod. rectè ait in pactis nudum factum, io stipulationibus verò etiam ius versari. Quod enim ibi dicitur de stipulatione, id de aliis quoque contractibus intelligi debet. Pactum igitur distinguitur à pollicitatione per illa verba *Duorum pluriúmve*: nam pollicitatio est consensus tantùm voius, d. l. 3. de pollicitat. Dubitatur quomodò pactũ distinguatur per hanc definitionem à contractu. Hoc enim haud facilè apparet: ideóque Duarenus, & multi alij putant hanc definitionem coouenire etiam contractui: quia nullus est contractus absque duorum pluriúmve coouentione, infr. §. prox. Ego verius puto, eò distinguĩ pactum à contractu, quod pactum nihil aliud est quàm coosensus, seu pactum est tantùm consensus; contractus verò est consensus causam habens. Verba igitur definitionis sic sunt accipienda, quasi Vlpianus dixerit, pactionem nihil aliod esse, quàm solum consensum. Hæc interpretatio atque hæc definiendi ratio noua non est, cùm quia auctores sæpe ita loquuntur, vt in definienda actione, quæ dicitur nihil aliud esse, quàm ius persequendi, &c. tum etiam quia Porphyrius ita definiuit speciem specialissimam: *qua attribuitur multis differentibus numero*: quam definitionem negat conuenire speciei subalternæ, aut generi: quamuis apertè doceat, omnia superiora genera dici de inferioribus indiuiduis, proinde attribui multis differentibus numero. Ergo ea definitio conueniet etiam speciei subalternæ & generi, nisi ita accipiatur, quòd species attribuitur multis nomero differentibus, id est, attribuitur his solis; genus autem attribuitur non solùm multis differentibus numero, sed etiam multis differentibus speciè: simili prorsus ratione definitio pacti conueniet contractui, nisi ita accipiatur, vt exposui, vt dicamus pactum esse tantùm consensum, cootractum verò esse coosensum & causam. Confirmo hanc solutionem ex eo, quod præcipua contractus pars est causa, quæ perficit coouentionem, quasi forma materiam, vode contractus non tam definitur consensus seu conuentio, quàm obligatio, infr. de verb. signif. l. Labeo lib. primo. 19. oon quod contractus propriè sit obligatio: non est enim species, sed causa obligationis, cùm dicamus obligationem oriri vel ex cõtractu, vel ex quasi contractu, &c. sed quia per metonymiam effecti I. C. ibi accipit obligationem pro causa obligationis, id est, pro ea vi, quam contractus à iure accipit ad obligationem & actionem producendam. Occurrunt & aliæ dubitationes contra hanc definitionem: nam Iason (vt suprà attigi) non potat hanc defioitionem competere pacto tacito: quia pactum expressum fit consenso paciscentium: pactum verò tacitum inducitur à lege, veluti cum inquilinus res suas infert in ædes locatoris: lex inducit pactum tacitum, vt eæ res locatori sint pignori, infr. h. t. l. 4. in princ. Huic obiectioni respondeo, quomodo est pactum, eodem modo esse consensum. Sicut enim lex inducit tacitum pactum, ita etiam inducit tacitum consensum, sine quo actum esse non potest: præsumit enim partes in id consensisse, ideóque non solùm vocantur tacita pacta, sed etiam tacitæ conuentiones, infr. eod. l. 2. & l. 4. Præterea videtur hæc definitio conuenire omni consensui duorum pluriúmve,

A etiamsi non sit pactum. Veluti si duo iurisconsulti simul de eadem quæstione eodem modo ex communi consensu respondeant, videtur esse consensus duorum in idem placitum, non tamen est pactum. Huic obiectioni ita occurrendum puto, vt dicamus in definitione pacti intelligi consensum paciscendi, non omnino quemcumque consensum: quod ita declaro & confirmo. Solemus dicere, emptionem & venditionem perfici nudo consensu, locationem & conductionem itidem nudo consensu, similiter pacta fieri nudo consensu: non tamen hæc omnia fiunt eodem modò, alioqui emptio & locatio essent nuda pacta: sed intelligere oportet, emptionem fieri nudo consensu, id est, cùm partes conseotiunt in id, vt altera velit vendere, altera emere: similiter locationem & coo-

B ductiooem fieri nudo consenso, id est, cùm contrahentes in id consentiunt; vt locationem & conductionem contrahant: sic igitur etiam pactum est consensus, seu fit oudo consensu, cùm partes habent animum paciscendi, & hoc est, quod ait Vlpianus in d. l. 7. §. quod ferè, hæc verba, *rogauit Titius, spopondit Meuius*, non tãtum pactionis vim habere, sed etiam stipulationis, id est, esse pactionem, si paciscendi animum habuerint, vel esse stipulationem, si stupulari voluerint: consensus enim regit contractus & conuentiones. Ita data pacti definitio defendi aliquo modo potest. Mihi tamen hæc solutio non satisfacit: quia nihil est in definitionibus subaudiendum: sed omnes partes essentiales expressè poni debent. Quare veriùs puto Vlpianum in hoc §. non definire pactum seu pactionem,

C (hæc enim duo vocabula accipio ἐκ παραλλήλου) sed tradere coouentionis proprietatem, quæ tam pacto in hoc §. quàm contractui in seq. §. tribuitur. vnde intelligimus harum conuentionum similitudinem, inter quas differentia ponetur in §. vltim. Perfecta autem pacti seu pactionis definitio est consensos duorum pluriúmve de re danda vel facienda, contractus nomine carens, vt docui in tractatu de pactis, cap. 2. Quærit Accursius, quid dicendum sit, si duo inter se paciscantur, vt tertius det aliquid quarto. Respondet hoc oon esse pactum: quia oon licet alteri pacisci, nec de facto alieoo. Quæ sententia si vera est, pacti definitio subuertitur: quia conuenit etiam huic conuentioni, quam Accursius negat esse pactum. Duarenus ait, hoc esse pactum impropriè, quemadmodum testamentum, quod

D iure non valet, καταχρηστικῶς appellatur testamentum, infr. testat. quemad. aper. l. 2. §. 1. Sed neque hæc sententia admitti potest, quoniam redarguitur per argumentum à definitione: cui namque aliqua definitio conueoit, illud sine dubio est verè & propriè tale. Vt igitur omnis difficultas tollatur, notanda est proprietas quædam pactorũ, quibus pacta à cõtractibus & à testamentis seiunguntur: quoniam in pactis nihil aliud est quàm factum, id est, consensus paciscentium; in contractibus autem ius versatur, inf. h. t. l. si vnus. 27. §. ne pactus peteret. id est, solo consensu pactum fit, consensu autem non fit contractus, nisi foueatur à iure, à quo accipiat causam, per quam producat obligationem & actionem. Hinc est, quod Vlpian. in l. 7. §. sed etsi. infr. eod. ait, omnem contractum habere in se causam: hinc etiam est,

E quod Labeo definiuit contractum per obligationem, inf. de verb. signif. d. l. Labeo libro primo. In testamento quoque ius versatur, siquidem testameotum definitur, voluntatis oostræ iusta sententia, &c. infr. qui testam. fac. poss. l. 1. Ex hac differentia, qua distinximus pacta à coutractibus, & testamentis oritur alterum discrimen, quod pacta inualida dicuntur propriè pacta, contractus autem inualidi non sunt propriè contractus, & testamenta inutilia non sunt propriè testamenta: quia cùm dicimus aliquem actum valere, aut esse inutilem, respici

lem, respicimus ad ius, quod illum actum confirmat, aut reprobat. Meritò igitur prætor in edicto non fuit contentus dicere se pacta seruaturum, sed adiecit exceptionem, nisi aduersentur legibus, &c. d. l. 7. §. ait prætor. quoniam intellexit hac quoque appellatione pactorum contineri.

Ad §. Conuentionis.

DVarenus & Cuiacius hunc §. ita cum superioribus connectunt, vt dicant Vlpianum exponere edictum illud prætoris *Pacta conuenta* &c. quod habetur in l. 7. §. ait prætor, infr. h. t. ideóque cùm declarauerit verbum *Pacta*, nunc accedere ad explicandum verbum *Conuenta*. Hæc connexio patitur magnam difficultatem, quoniam hac ratione videtur Vlpiani interpretatio falsa esse: quia prætor in edicto de pactis non ita latè accepit vocabulum *Conuenta*, vt Vlp. hîc conuentionem interpretatur: ideo clariss. quidam & eruditissimus vir, eod. Duareno referente, publicè profitebatur, atque etiam deierabat Vlpianum non intellexisse verba edicti. Ipse Duarenus obiectionem soluere conatur, dicens Vlpianum rem paulò altiùs repetere. Sed hæc solutio non satisfacit; quia nihil addit Vlpianus quo significet prætorem angustiùs accipere verbum *Conuenta*. Quare cùm vnam vocabuli significationem afferat, sine dubio indicat, eam esse accipiendam in edicto, quod interpretatur: alioqui non erit interpretatio edicti. Aut igitur concedendum est, verba edicti ab Vlpian. malè explicari, aut (quod est verius) nullo modo explicari. Nam quomodo Vlpianus explicaret verba edicti, quæ nondum proposuit? Deinde si respiceret ad edictum prætoris, quorsum tam longa digressio de contractibus nominatis, & innominatis, quæ nihil pertinet ad vocabulum *Conuenta*, positum in edicto prætoris? Putò igitur aliam esse mentem Vlpiani. Nam si cum Doctoribus dicamus eum proximè definiuisse pactum, ex ea definitione constat, genus pacti esse conuentionem seu consensum: non tamen facilè apparet, quomodò pactum ab aliis conuentionibus distinguatur: vnde etiam multi putarunt, eam definitionem contractibus conuenire. Meritò igitur Vlp. sumit explicandum illud genus, quod etiam diuidit in species, vt planissimè intelligamus, quomodo pacta sub eo genere contineantur, & quomodo ab aliis speciebus sub eod. genere contentis secernantur. Quod si (vt mihi verius videtur) in præced. §. exposuit attributum quoddam pacti, quod est etiam contractibus commune, videlicèt conuentionem in idem placitum: rectè in præsentia ostendit idem attributum conuenire etiam omnibus contractibus, vt harum conuentionum (id est, pacti, & cõtractus) similitudo manifesta reddatur. Vt hæc appareant, docet conuentionis seu consensus vocabulum, (vtrumque enim pro eodem & promiscuè accipit) latè patere, adeo vt conuenire dicantur, quicumque consentiunt vel negotij contrahendi, vel transigendi causa. Appellatione contractus hoc loco non significatur quasi contractus, qui non est duorum, sed vnius consensus, vt in negotiis gestis, siquidem geruntur negotia absentis & ignorantis, infr. de nego. gest. l. 2. & de oblig. & act. l. 5. in princ. Transigendi autem vocabulum latè accipitur, vt in l. transacta. 229. infr. de verb. sign. pro quocumq; modo, quo aliquid ex cõsensu terminatur, quamuis propriè transactio dicatur, quę est de re dubia & controuersa, aliquo dato, vel promisso, vel retento, infr. de transact. l. 1. & C. eod. l. transactio. Ergo hîc contrahere, & transigere, opponuntur, vt inchoare siue efficere & terminare: adeo vt conuenire seu consentire dicantur, tam de aliquo negotio contrahendo seu conficiendo, quàm de eo finiendo & terminando.

A Ait Vlpian. *Conuentionis verbum generale est.* Generale vocat ea ratione, quam ipse in sequentibus verbis declarat, id est, quia pertinet ad ea omnia, quæ fiunt negotij contrahendi, vel transigendi causa. Perperam Accursius generale interpretatur, quasi commune sit conuentioni animorum, & conuentioni corporum: quoniam hac ratione non esset verbum generale, sed æquiuocum, aut metaphoricum: genus autẽ nec æquiuocum esse debet, neque *κατὰ μεταφορὰν*, auctore Aristotele 4. Top. ca. 3. Ait *transigendique.* Coniunctionem accipe pro disiunctione, vt sit *que* pro *ve*, quod in iure non est nouum, infr. de verb. signif. l. sæpe. 53. Porrò transactio non semper ponitur vt species conuentionis, sed interdum ab ea distinguitur, nempe cùm specialiter accipitur conuentionis vocabulum, vt apud B Paulum lib. 1. sent. tit. 1. §. de rebus. Ait, *Nam sicuti conuenire dicuntur, qui ex diuersis locis in vnum colliguntur.* Conuentionis significationem declarat à simili, id est, conuentionem animorum declarat à cõuentione corporum, tãquam ignotius à notiore. Ait, *adeo autem,* &c. Cùm docuerit cõuentionis vocabulum omnibus conuenire, nunc ostendit id adeo verum esse, vt conueniat etiam iis, de quibus maximè videtur dubitari posse, hoc est, non solùm conuenire contractibus, qui solo consensu constant, sed etiam iis, qui re, aut verbis perfici dicuntur. Omittit contractum chirographarium, ex quo oritur literarum obligatio; vt & in §. seq. & in l. 1. infr. de oblig. & act. & omnino in vniuerso Pandectarum opere: literarum obligatio, qualis olim fuit in vsu, cum nominibus obligatio contrahi dicebatur, abolita C est; ea verò qua nunc vtimur, Vlpiano & reliquis veteribus Iurisconsultis ignota fuit, vtpote quæ introducta est à recentioribus Imperatoribus. Vide titulum Instit. de literarum obligationibus. Ait, *Conuentionis nomen generale est.* Hæc verba confirmant sententiam à nobis supr. traditam, id est, conuentionis vocabulum dici generale, non quia complectitur etiam conuentionem corporum, sed quia continet varias animi conuentiones: in hoc enim §. nulla mentio fit conuentionis corporum. Ait, *Nullam obligationem,* subaudi ex contractu; quia certum est multas esse obligationes sine consensu, veluti ex delictis, aut quasi delictis: quin etiam obligatio ex quasi contractu nascitur absque consensu eius qui obligatur, infr. de nego. gest. l. 2. l. 3. §. etsi furiosi. & Inst. de oblig. quæ qua. ex contr. to. tit. Ait, *Nisi habeat* D *consensum.* Veluti quia ioci causa, aut facilioris interpretationis causa facta sit, infr. de obligat. & act. l. 3. §. vltim.

Ad §. vltim.

SImilitudine pacti, & contractus exposita, quòd vtrumque est conuentio in idem placitum, subiicit, proprietatem contractus, per quam à pacto secernitur. Hæc autem est, in aliud nomen transire. Dicuntur autem transire in aliud nomen, quæ præter illud nomen generale, quo vocantur cõuentiones, vel contractus, accipiunt nomen speciale, quod à generali diuersum est, veluti cùm dicitur emptio, locatio, &c. Intellige conuentionem accipere nomen, non à Gram- E maticis, nec à vulgo; alioquin falsò Iurisconsultus diceret, permutationem esse contractum innominatum; infr. de rer. permu. l. 1. sed accipere à lege; ita vt illi dicantur contractus nominati, ex quibus lex duodecim tabularum nominatim actiones dedit. (Nam ex ea lege descendunt actio empti, venditi, locati, conducti, & pleræque aliæ.) innominati autem contractus appellentur, quorum nullam mentionem ea lex fecit. vnde ex eis non datur actio nominata, sed actio præscriptis verbis, quam Iurisconsulti per interpretationem introduxe

introduxerunt, quatenus contractus innominati sunt A nominatis similes, vt permutatio emptioni & venditioni: quapropter si quis est contractus innominatus, qui non sit nominato similis, qualis est contractus facio vt des, ex eo non datur actio ciuilis, neque ex verbis, neque ex mente legis; sed necesse est confugere ad prætoriam & subsidiariam actionem de dolo, vt disertè Paulus docet in l.5. infr. de præsc. verb. Nota primò, ex dictis colligi subdiuisionem conuentionum innominatarum, quæ est trimembris. Aut enim sunt pacta, quæ actionem nō pariunt: aut sunt contractus parientes actionē ciuilem præscriptis verbis, veluti, do vt des, do vt facias, facio vt facias: aut deniq; sunt contractus, ex quibus oritur tantū actio prætoria de dolo, veluti, facio vt des. d.l.5. Nota secundò, ex propositis in contextu exemplis colligi subdiuisionem conuentionum B nominatarum; quòd scilicèt aut consensu perficiuntur, vt emptio, & locatio; aut re, vt pignus; aut verbis, vt stipulatio cur autem literæ omittantur, docui ad §. præcedent. Nota tertiò, pignus esse vocabulum homonymum, quod accipitur tribus modis. I. Pro contractu pignoris, vt hîc. II. Pro re pignerata, vt in §. item Seruiana, Inst. de act. & to. tit. de pignor. distrab. III. Pro iure creditoris, vt in tit. quibus mod. pignus vel hypoth. solu.

Ad L. II.

EXistimant interpretes hîc afferri vnam diuisionem siue enumerationem modorum, quibus conuenire possumus: quo supposito, difficile est explicare C singula membra: idcirco alij distinguunt conuentionem re factam à conuentione tacita, & exponunt in contextu *Re*, id est, expressè, vt Cuiacius; alij, vt Accursius & Duarenus, è contrario interpretantur *Re*, id est, tacitè: alij alias interpretationes affingunt, in quibus recensendis & refellendis tempus non teram. Dicam igitur hîc afferri, non vnam, sed tres diuisiones separatas, in quarum singulis omittitur membrum manifestum, vt factum est etiam in l. præced. §. adeo, ita tamen omittitur, vt per particulam implicatiuam indicetur. Prima diuisio est, quòd non solùm possumus conuenire verbis expressis, sed etiam re, vel per epistolam, vel per nuncium. *Re* igitur hîc significat sine verbis & sine literis, veluti cùm inquilinus res infert in ædes conductas. Epistolam autem accipe, non D tantùm quæ emittitur ab absente, sed etiam quæ à præsente, vt in l. Titius Seio. 24. D. de pecun. constitu. & in l.1. C. de contrah. stipul. Rursus distinguimus literas à verbis, quemadmodum & literarum obligatio distinguitur ab obligatione verborum, eodémque modo hæc duo separauit Ouid. de Ponto, lib. 1. eleg. 8. ita scribens.

Litera pro verbis tibi Messaline salutem.

Altera diuisio est, quod non solùm conuentio fieri potest inter præsentes, sed inter absentes quoque: nam solius stipulationis proprium videtur, vt præsentiam contrahentium requirat, C. de contrah. stiput. d. l.1. Membrū illud inter præsentes nō exprimitur in contextu, sed implicitè innuitur, dum I.C. ait *inter absentes* E *quoque*. III. Diuisio est, Omnem conuentionem aut esse expressam, aut tacitam. sic enim accipienda sunt verba illa, *Etiam tacitè consensu conuenire intelligitur*, id est, non solùm expressè, sed etiam tacitè.

Ad §. Et ideo.

CVm dictum sit conuentiones tacitè fieri posse, consequenter in hoc §. & 2. ll. seqq. afferuntur varia exempla conuentionum seu pactionum tacitarum. Hîc proponitur primum exemplum: quia creditor debitori suo reddens chirographum, videtur tacitè remittere obligationem, id est, pacisci ne petat. Pro interpretatione huius §. primò explicanda est species, 2. speciei decisio, 3. quærenda est ratio decisionis: postremò soluendæ sunt quæstiones quædam non inutiles, quæ ex dictis in hoc §. oriuntur.

Quod ad primum attinet, ait lex, *Si debitori meo reddiderim cautionem*, id est, syngrapham seu chirographū. Hîc notetur persona reddens, & persona cui redditur. Reddit chirographum ipse creditor. Idem intelligas, si alius quilibet reddat volente creditore: secus, si eo inuito, C. de solut. l. quod debitori. 15. quia sine facto nostro non debent iura nostra nobis auferri, infr. de diu. reg. iur. l. id quod nostrum. 11. Redditur autem debitori; & hîc quoque idem dicendum est, si alius recipiat nomine debitoris: immo hîc non requiro scientiam & voluntatem debitoris, sicut requirebam voluntatem creditoris: quia etiam inuitus & ignorans liberari potest, infr. de nego. gest. l. soluendo. Ideo autem Iurisconsultus ait *debitori*, vt indicet re vera subesse obligationem: nam si obligatio iure non consisteret, frustra chirographum inutile redderetur, id est, per eam chirographi restitutionem non posset is liberari, qui nihil deberet: obstaret enim vulgata regula, quòd priuatio supponit habitum, & liberatio supponit obligationem, à qua quis liberetur, infr. de iuretur. l.6. & de verb. sign. l. decem. 116.

Exposui speciem: sequitur decisio, quæ declarat effectum chirographi redditi à creditore. Effectus est, quòd creditor videtur remisisse obligationē. Ne intelligas obligationem sublatam esse ipso iure: hîc enim non est modus legitimus tollendæ obligationis: sed debitor tutus erit exceptione taciti pacti: quia tacitè videtur creditor pepigisse ne petat, eo ipso quòd chirographum restituit: hoc enim est exemplum tacitæ conuentionis, id est, taciti pacti. Ratio huius decisionis multiplex affertur. Martinus & Hugolinus, quos Cuiacius sequitur, hanc rationem afferunt: quia chirographum continet in se ius obligationis, proinde reddito chirographo videtur reddi ius illud & obligatio. Hanc rationem Accursius impugnat, quia instrumenta ad probationem tantum valent, non ad essentiam obligationum pertinent, inf. de pignor. l.4. & infr. de probat. l.4. Ferrettus igitur ait, rationem decisionis esse: quia instrumentum continet probationem, ideóque reddito instrumento creditor amittit probationem, infr. de legat. 3. l. qui chirographum. 59. amissa autem probatione perinde est, ac si obligatio esset extincta, secundum illam regulam, Paria sunt aliquid non esse, & probari non posse, infr. de testa. tut. l. duo sunt Titij. 30. Hæc quoque ratio est repudianda: quia facillimè contingere potest, vt creditor etiamsi chirographum restituerit, tamen nihilominus habeat obligationis probationem vel per testes, vel alio modo, cùm varia sint probationum genera. Ioannes, Accursius, & alij communiter hanc rationem probant, ne redditio chirographi sit inanis, & absque effectu. Nihil enim operaretur, nisi diceremus debitorem liberari. Ergo vt hic actus aliquid operetur, dicendum est, liberationem obtingere. Hæc ratio mihi videtur omnium, quæ ab aliis afferuntur, optima: non vsquecumque tamen satisfacit: quoniam ea admissa, cogimur fateri, vt etiam Doctores fatentur, decisionem nostram non procedere simpliciter, id est, non habere locum, quotiescumque potuit esse alius vsus, & alius effectus redditi chirographi: I.C. autem simpliciter loquitur & simpliciter liberationem tribuit. Sed & si exceptionem quandā, quæ proponetur in fine l. sequentis, velimus etiam huic decisioni accommodare, vt notabo ad d. l. seq. tamen

adhuc

adhuc videtur sententia communis parum tuta: quia notum est, exceptionem firmare regulam in casibus non exceptis: vnde cùm alia exceptio afferatur, hæc videtur tacitè repudiari, quam vulgò afferunt, id est, nisi alius possit esse effectus. Ego veram rationem esse puto: quia quod plerumque fieri solet, tacitè fieri videtur, nisi probetur contrarium, infr. de ædil. edic. l. quòd si nolit. 31. §. quia assidua. atqui plerumque fieri solet, vt creditores tum demum chirographa debitori reddant, cùm nihil ampliùs sunt petituri. Ergo, nisi probetur contrarium, creditor, qui reddit chirographum, videtur nihil velle ampliùs petere, ideoque inducitur præsumptio taciti pacti. Superest, vt breuiter dissoluam duas quæstiones ex prædictis emergentes. Primò quæro, an decisio huius l. tunc habeat locum, cùm (vt interdum contingit) plura sunt chirographa authentica, id est, si ex pluribus authenticis instrumentis creditor vnum reddat debitori, quæro, an debitor inde habeat exceptionem taciti pacti. Bartolus exceptionem debitori concedit hoc argumento: quia sicuti vnum est testamentum, quamuis sint plures chartæ, infr. qui testa. fac. poss. l. vnum. 24. ita etiam vnum est instrumentum, quamuis plures sint chartæ seu membranæ: vno igitur reddito, videtur tota obligatio reddita, perinde ac si non esset aliud instrumentum. Hanc Bartoli sententiam alij communiter meritò reiiciunt. Primò contra Bartolum noto, eum malè comparare testamentum instrumento. Cùm enim testamentum sit verbum homonymum, vt docui in Isag. D. initio partis 5. num. 7. & inter alia significet modò ipsas tabulas, vt in tit. testa. quemad. aperian. modò testatoris voluntatem, vel illius voluntatis sententiam, quæ scripturâ & tabulis continetur, vt in definitione testamenti, infr. qui testam. fac. poss. l. 1. cùm (inquam) testamenti vocabulum tam variè accipi possit, sine dubio in d. l. vnum non accipitur pro scriptura, nec pro tabulis, quia supponimus plures esse scripturas, & plures tabulas seu codices, & nihilominus dicimus esse vnum testamentum, quia vna est voluntas, & vna est sententia. Quare sicut ibi vna est sententia, & plures chartæ, ita etiam hîc vna est obligatio, & plura instrumenta huius obligationis. Præterea noto argumentum Bartoli eo vitio laborare, quod Græci ἀντιστρέφον appellant, de quo Gell. lib. 9. cap. vlt. Hoc enim argumentũ contra ipsum Bartolum facilè retorqueri potest. Sicut enim ipse ait totam obligationem in vno quoque chirographo contineri, vnde colligit vno chirographo reddito totam obligationem reddi ac dissolui: ita è contrario possum ego colligere, vno chirographo retento totam obligationem retineri. Concludo veram esse communem sententiam, vno chirographo reddito, altero retento, obligationem in suo statu manere: quoniam hoc casu cessat ratio inducens tacitum pactum de non petendo. Cùm enim plura sunt chirographa, facilè solent creditores vnum debitori concedere, & ipsi alterum retinere, non animo perimendæ obligationis, sed putantes sibi vnum chirographum sufficere. Sequitur altera quæstio, quid dicendum sit, si chirographum reperiatur penes debitorem, neque constet, vtrùm creditor ei reddiderit, an debitor alia ratione ipsum nactus sit. Prima facie videtur dicendum, non contingere liberationem, nec dari exceptionem taciti pacti per expressum contex. in l. vn. §. ille autem, C. de Latin. libert. toll. vbi statuitur, si dominus instrumentum emptionis seu seruitutis reddiderit seruo, eo ipso videri manumittere: non tamen libertatem seruo competere, si instrumentum penes eum reperiatur, nisi per quinque testes probet sibi fuisse traditum à domino. Rationem Imp. hanc affert, ne detur occasio delinquendi, id est, instrumentum surripiendi. Eadem ratio videtur habere locum in nostro

A casu, id est, ne detur debitoribus occasio surripiendorum instrumentorum, & si fauor libertatis non potest operari, vt seruus, qui habet instrumentum, præsumatur id accepisse à domino, multò minùs videtur hoc admittendum in causa pecuniaria, vbi non est tantus fauor debitoris. Hac tamen obiectione non obstante, contrarium est verius, videlicet instrumentum præsumi à creditore redditum, proinde liberationem obtingere: primùm quia in dubio nõ est præsumẽdum furtum, sed potiùs debitorem accepisse chirographum à creditore: deinde quia cùm specialiter constitutum sit in seruo, ne præsumatur accepisse instrumentum à domino, d. l. vnic. contrarium regulariter & in aliis personis obtinebit. Quòd autem in seruo sit speciale, nec idem obtineat in aliis personis, manifestò proba-
B tur ex eo, quod in d. l. vnic. tractatur de instrumento cancellato, vbi non præsumitur cancellatum à domino, sed à seruo: ideóque seruus manet, instrumentum autem obligationis in dubio præsumitur cancellatum à creditore, adeo vt tollatur obligatio, infr. de probat. l. si chirographum. 14. Differentiæ ratio est: quia seruus est persona domestica, quæ faciliùs potest surripere instrumentum, aut clam domino cancellare: talis autem suspicio in extraneum debitorem non cadit. Adde, etiam quòd cùm libertas sit pretiosior quàm pecunia, faciliùs seruus alliceretur ad delinquendum, vt consequeretur libertatem, quàm debitor vt liberaretur ab obligatione pecuniaria.

C

Ad L. 3.

QVia in fine legis præcedentis dictum fuit, eum, qui reddidit cautionem, videri tacitè pactum de non petendo, cautionis autem vocabulum est homonymum, & inter cetera modò significat syngrapham seu chirographum, modò pignus: idcirco ne quis putaret, quod de cautione reddita diximus, id in pignore reddito obtinere, commodè subiicitur hæc lex docens distinctionem inter redditam syngrapham & redditum pignus. Pro interpretatione huius l. vtemur eadem methodo, qua sumus vsi in interpretatione §. & ideo, l. 2. & primò explicabimus speciem, 2. decisionẽ, 3. rationem decisionis, postremò soluemus quæstionem quandam non prætermittendam. Sed inprimis notanda est breuiter legis diuisio: quæ constat tribus
D partibus, in quorum prima proponitur species, in altera decisio, in tertia & vltima, exceptio.

Quod ad speciem attinet, ait lex, *Postquam pignus.* Hîc pignus non accipitur pro contractu, vt in fine legis primæ, sed pro re pignerata. Ait *Vero debitori.* Ponit lex pignus redditum debitori, quòd aliàs inanis esset quæstio, an liberetur reddito pignore: quia qui nihil debet, liberari nequit, vt notaui ad d. §. & ideo. non fuit autem Iurisconsultus contentus dicere *debitori*, sed adiecit *Vero*, vt indicaret se loqui de debitore propriè dicto, qui ita definitur, *à quo inuito exigi potest*, infr. de ver. sign. l. debitor. 108. id est, de debitore ciuiliter obligato, atque ita excludere naturalem debitorem, qui non dicitur debere, nisi impropriè, infr. de fideiuss. l. fideiussor. 16. §. naturales. Ideo autem vult excludere
E debitorem naturalem: quia dicturus est debitum peti posse non obstante restitutione pignoris, naturalis autem debiti siue obligationis hæc est natura, vt eius nomine non detur actio, pignus tamen consistat, infr. de pignor. l. quæsitum. 14. §. 1. Deinde ait, *Si pecunia soluta non fuerit.* Idem intelligendum est de quacumque satisfactione: siue enim obligatio fuerit nouata, siue fuerit acceptòlatum, siue quid aliud simile interuenerit, certum est, non posse ampliùs peti. Porro hæc verba possent ita accipi, vt continerent exceptionem, videlicèt

si species

si species ita proponeretur, vt tantùm diceremus, redditum pignus: sed malui speciem perfectiùs propositam accipere, vt duas partes contineat, id est, pignus redditum, & pecuniam non solutam: hoc enim casu meritò quæritur, an soluendum sit, alioquin nulla esset dubitatio, & nulla quæstio, si iam pecunia debita soluta fuisset. Hæc dicta sunt de specie, ex cuius interpretatione intelligimus, quàm sit præcedenti similis: vtrobique enim sunt eædem personæ, id est, vtrobique creditor reddit debitori; item vtrobique redditur cautio, quæ contractui & obligationi accessit: eo tantùm differunt, quòd in priori specie cautio illa erat chirographum, in hac posteriori est pignus. Hinc oritur ratio dubitandi: quia similes species similem decisionem requirunt, infr. ad leg. Aquil. l. illud. 32. Contrarium tamen hoc casu respondetur, nempe debitum nihilominùs peti posse, id est, debitum principale, cui accessit pignus: de ipso enim pignore reddito mox quæremus. Ratio decisionis hæc communiter affertur: quia redditi pignoris potest esse alius effectus, & alia vtilitas, quàm liberatio debitoris, proinde non præsumitur creditor voluisse eum liberare. Hanc rationem non prorsus repudio: malim tamen sic dicere; Aut pignus spectatur per se, quandoquidem pignoris contractus ab aliis distinguitur, supr. h. t. l. 1. §. vlt. aut consideratur, quatenus accedit obligationi principali, & sine ea consistere non potest. Si priori modo spectetur, non potest à pignore argui ad obligationem principalem, cùm sit quæstio de pacto, pactum autem de vna re factum, non debeat ad aliam produci, infr. eod. l. si vnus. 27. §. pacta quæ turpem. in fi. Vnde etiamsi concedatur, ex reddito pignore induci tacitum pactum, tamen hoc tacitum pactum non pertinebit ad principale debitum, siquidem nec pactum expressum ad illud pertineret. Quòd si posteriori modo consideremus pignus, id est, vt accessionem contractus principalis, similiter non valebit argumentum à pignore ad contractum principalem: quoniam accessorium sequitur principale, non contra, infr. de diu. reg. iur. l. cùm principale, &c. de vsur. l. eos. 26. in pr. Dicta decisio regulariter obtinet: fallit autem in casu à Iurisconsulto expresso illis verbis, *Nisi specialiter contrarium actum esse probetur.* Cuius exceptionis ratio generalis est, quòd præsumptiones eliduntur per contrarias probationes: quapropter idem dicendum est in specie præced. vt ita demum reddito chirographo præsumatur tacitum pactum de non petendo, nisi probetur alia fuisse reddentis voluntas. Hinc est, quòd apochæ dicitur esse maior cautio, quàm syngraphæ redditæ: quia conscriptâ apochâ omnimodo contingit liberatio, reddita verò syngrapha seu chirographo, ita demum, si non probetur obligatio in suo statu mansisse, C. de solut. l. pecuniæ. 14. Ideóq; non displicebit, si ex mente Iustiniani hanc exceptionem, nisi specialiter &c. referas ad vtramque speciem præcedentem.

Superest, vt dissoluamus quæstionem emergentem. Cùm enim dicat lex, reddito pignore manere obligationem principalem, nec explicet, an maneat obligatio pignoris; occasionem dat huic quæstioni, an saltem pignus tacitè remissum videatur. Quidam putant pignoris causam durare. Mouentur primò, quia videtur ead. ratio esse pignoris, & obligationis principalis, cur enim obligatio principalis manebat? quia potuit in alium finem reddi pignus debitori: eadem igitur ratione dici potest manere causam primam. II. Mouentur, quia in dubio nemo præsumitur donare, & iura sua remittere, infr. de probat. l. cùm de indebito. His tamen non obstantibus, non dubito, quin contraria sententia verior sit. I. Quia si reddito instrumento censetur remitti obligatio eo instrumento contenta, vt di-

A ctum fuit in fi. l. præced. multò magis reddita ipsa re obligata videtur remitti obligatio: quandoquidem obligatio magis consistit in re obligata, quàm in instrumento. II. Et fortius. Qui pignus legat debitori, videtur remittere obligationem pignoris, infr. de liberat. lega. l. 1. Si igitur testator, dum vult pignus ab herede suo reddi, censetur remittere obligationem pignoris, multò magis hoc est credendum, si ipsemet reddat, vt in nostra specie. Postremò, generaliter traditur in l. 7. C. de remiss. pignor. dissolui pignus eo ipso quod creditor iubet reddi pignus debitori: ergo multò magis dissoluetur, si ipse creditor actu reddat. Non obstat prior obiectio, quòd eadem sit ratio pignoris, & principalis obligationis. Nego enim esse eandem rationem: quoniam ex reddito pignore faciliùs indu-
B citur pactum de pignore, id est, de ipsa re quæ redditur, quàm de alia re quæ non redditur. Actus igitur ille, id est, redditio non operatur pactum, nisi in ea re, in qua ipse actus spectatur, & à pignore ad principalem obligationem iam ostendi non rectè argui. Præterea non obstat altera obiectio, quòd nemo præsumitur iactare suû, seu donare, propterea quòd remissio pignoris non est donatio, inf. quæ in frau. credit. l. si pignus. 18. Vnde hæc obiectio magis locum haberet in specie præced. vbi remittebatur obligatio principalis, proinde inducebatur donatio: sed inde apparet etiam donationem ex iustis causis præsumi, & multò faciliùs præsumi remissionem pignoris, quæ non est donatio.

Ad princ. L. 4.

C HIc proponitur aliud exemplum taciti pacti, & species præcedenti quodammodo opposita: ibi namque pignus tacitè dissoluebatur, hîc verò tacitè constituitur. Summa hæc est: inquilinum, eo ipso quòd res suas infert in ædes conductas, tacitè videri pacisci, vt sint pigneratæ locatori. Vt autem singula methodicè explicentur, quatuor hîc sunt expendenda: primò res, quæ pigneratur, 2. personæ, 3. contractus principalis, cui hoc pignus accedit, 4. ipsum pignus.

Quòd ad primum attinet, ait lex, *Inuecta illata.* Primò subaudiendum est, hæc esse in bonis inquilini, vt vel sit dominus, vel saltem quasi dominus, vt is, cui datur actio Publiciana, infr. de pign. l. si ab eo. 18. in rebus enim alienis pignus non tenet, infr. de pign. act.
D l. rem alienam. 41. & de pignor. l. & quæ. 15. §. 1. Præterea oportet intelligere inuecta siue illata in ædes conductas eo animo, vt ibi maneant: nam hoc tacitum pignus non habet locum in iis, quæ inquilinus infert in ædes conductas, ea mente, vt mox aliò transferat, infr. eod. l. debitor. 32. & in quib. caus. pign. tac. contr. l. 7. Cui simile est, quod alibi traditur de loco, qui ita demû fit religiosus illatione mortui, si inferatur, eo animo, vt ibi manere debeat, non quasi paulò post transferendus, infr. de religios. l. si quis. 40. Hæc dicta sint de rebus, quæ pignerantur.

Quod attinet ad personas, primò intelligendæ sunt personæ habiles ad constituendum pignus. vnde Accurs. & Bart. putant decisionem huius l. in pupillo inquilino locum non habere: quamquàm multi alij hanc
E exceptionem repndiant. Præterea qoidam excipiunt eum, qui à conductore conducit. Veluti, si ædes tuas conduxero, & eas per partes locauero, vt facere solent, qui cœnaculariam exercent: ij, qui à me condoxerunt aliquod cœnaculum, dum res suas eò inferunt, non censentur tacitè eas tibi domino ædium oppignerare, ita nonnulli sentiunt per l. si in lege. 24. inf. locati. quæ tamen hanc sententiam non probat: quia non loquitur de ædibus locatis, sed de prædio rustico, in quo tacitum pactum de rebus conductoris pignerandis fieri non

non censetur, vt paulò pòst explicabo, & omnino hæc exceptio reprobatur in l.solutum. 11. §. solutam, infr. de pign. act. vbi expresè contrarium deciditur, nimirum secundum inquilinum, qui non à domino ædium conduxit, sed ab altero cui dominus locauit, videri tacitè de pignore pepigisse cum ipso domino ædium. Hæc de personis.

Deinceps videamus de contractu principali, cui hoc tacitum pignus accedit, siquidem pignus per se non consistit, sed requirit obligationem principalem, cui adhæreat. Ait, *In vrbanis habitationibus locandis.* Principalis igitur obligatio est locati conducti, & ædes locatæ sunt, quæ hîc vocantur vrbanæ habitationes, vt alibi passim vrbana prædia, quæ scilicet habitandi causa extruuntur siue in vrbe, siue ruri: infr. commun. præd. l. 1. & quibus mo. pig. tac. contrah. l. 4. & de verb. signif. l. vrbana prædia. 198. & Inst. de seruit. §. prædiorum. Vtrumque hîc expendere oportet, id est, contractum locationis, & prædium quod locatur. Quod ad contractum attinet, separanda est locatio, quæ necessariò mercedem requirit, à gratuita habitationis concessione: nam is qui gratis inhabitat, non censetur tacitè domino ædium res à se inuectas oppignerare, infr. in quibus cau. pign. tac. contr. l. 5. Hæc adnotatio ideo est necessaria, quia (vt postea docebo) pignus tacitè obligatur domino ædium, non solùm propter mercedem debitam, quæ obligatio in eum non cadit, cui gratis habitatio concessa est, sed etiam si ædes ab inhabitante deterioratæ fuerint, quo nomine potest teneri etiam is qui gratis inhabitat: in dubio tamen non præsumimus pactum de pignore: quia ratio inducendi taciti pignoris hoc casu cessat, vt posteriùs explicabo. Insuper de locationis contractu quæri potest, vtrùm quod hîc dicitur de tacito pignore, locum habeat in ea sola locatione, quam quidam putant solam esse veram locationem, cuius merces consistit in pecunia numerata, an etiam in aliis locationibus, in quibus alia quantitas mercedis nomine præstatur locatori, putà oleum, vel frumentum, vel vinum: hanc enim alij contendunt esse veram locationem, alij negant. Sed siue sit vera locatio, quod ego magis arbitror, siue impropriè dicatur locatio: dicendum omnino est, in ea quoque obtinere ius taciti pignoris: non solùm quia Iurisconsultus generaliter loquitur de locatione, & illa quoque vocatur locatio, C. de loca. l. si olei. 21. sed etiam quia etiamsi negemus esse veram locationẽ, tamẽ cogimur fateri, eam esse veræ locationi persimilem: scimus autem contractus innominatos sequi naturam contractuum nominatorum, quibus sunt similes, l. 5. infr. de præsc. verb. l. 5. vnde si in vera locatione tacitum pignus locum habet, etiam in contractu innominato, qui quasi locatio est, locum habebit. Denique omnium locationum eadem est ratio, propter quam præsumitur tacitum pignus. Sequitur, vt videamus de re locata. Diximus hoc tacitum pignus habere locum in locatione prædiorum vrbanorum: in aliis rebus locandis cessat, atque adeo in prædiis rusticis locandis non obtinet. Sed hoc paulò diligentiùs est explicandum, vt intelligatur verum discrimen inter locationem vrbani, & rustici prędij. Communis sententia est, in prædiis quidem vrbanis locandis res ab inquilino illatas, tacitè pignerari domino ædium, in prædiis autem rusticis res coloni non pignerari tacitè domino fundi, nisi dominus sciuerit eas res inferri. Nam si sciat, putant induci tacitum pactum de pignore per l. 5. C. de loca. vbi dicitur voluntate domini res inuectas in fundum pignori esse: voluntatem enim ibi pro scientia accipiunt, eò quòd postea in ead. l. subiicitur, scientiam domini non requiri in ædibus locandis: quoniam eo quoque ignorante, inducitur tacitum pactum rerum

A illatarum: vnde videtur lex voluntatem & scientiam accipere promiscuè. Quidam, vt Fortunius Garzias, & Cuiacius, reprobant hanc exceptionem, nec admittunt vllo modo tacitum pactum in rebus coloni: voluntatem autem in d. l. 5. non accipiunt pro scientia, sed pro pacto expresso de rebus pignerandis. Quam interpretationem confirmant per l. 5. §. 1. infr. in quibus caus. pig. tac. contrah. vbi dicitur, voluntate domini pignus induci posse, ita vt in partem debiti sit obligatum: ibi namque voluntas significat pactum de eo factum, vt pignus teneat pro dimidia debiti parte, adeo vt ea dimidia soluta pignus liberetur, quamuis non in totum sit satisfactum creditori. Mihi videntur hæ interpretationes parum ipsi verbo conuenire, cùm voluntas & à scientia, & à pacto distinguatur: quamuis enim nemo B velit, quin sciat id quod vult, tamẽ potest scire id quod nolit: vnde cùm lex in tacito pignore inducendo in rebus coloni requirat voluntatem domini, malè Doctores vulgò sunt contenti scientia domini; quia plus est voluntas, quàm scientia, quandoquidem voluntas scientiam in se continet, non contrà. Rursus non omnis voluntas est pactum, & quamuis interdum sit pactum, non tamen intelligendum est pactum de quacumque re, sed de ea re quam quis dicitur velle. Sic in d. l. 5. §. 1. infr. in quib. cau. pign. voluntas, vt res pro parte debiti sit obligata, rectè accipitur pro pacto, vt res pro parte debiti sit obligata: hoc enim est id ipsum quod dicitur velle. Verùm in d. l. 5. C. de loca. non dicitur dominus velle, vt res coloni sint pignori, alioquin concederem Fortunio & Cuiacio ibi esse pactum ex- C pressum de pignore, sed hoc tantum dicitur velle, vt res coloni inferantur in fundum conductum: si igitur expressum pactum est, non est pactum de pignore, sed de rebus inferendis: hoc autem pactum ab illo diuersum esse, ex eo apparet, quòd possunt res inferri in prædium conductum, & non esse pignori. Ego igitur puto non esse recedendum à propria vocabuli significatione, & d. l. 5. breuiter sic interpretor, vt res coloni tacitè intelligantur pigneratæ domino ædium, si dominus voluerit, id est, si pactus sit vt res à colono inferrentur: in dubio namque præsumimus eum ideo voluisse res inferri, vt sibi essent pignori: in prædiis autem vrbanis secus est: quia in his locandis tacitum pactum faciliùs inducitur, id est, eo ipso quod res ab inquilino inferuntur in ædes conductas: & tantùm D abest, vt requiramus voluntatem domini ædium, quasi non aliter sint res pigneratæ, quàm si dominus voluerit, & pactus sit de rebus illis inferendis: tantum (inquam) hoc abest, vt vel ipso domino ædium ignorante, res inuectæ illatæ, pignori sint. In eo igitur est differentia constituenda inter res coloni, & res inquilini: quòd hæ tacitè pignerantur ex sola illatione; illæ verò non ex sola illatione, nisi accesserit pactum de rebus inferendis: differentiæ rationem paulò pòst exponam.

Nunc transgrediamur ad explicandam ipsam obligationem pignoris, quod est vltimum caput nostri propositi. In primis notandum est, hoc tacitum pignus colligi non ex ipso contractu locationis, sed ex rerum illatione. Quod adeo verum est, vt etiamsi pactum ex- E pressum proponatur interuenisse de rebus inuectis pignerandis, tamen obligatio pignoris dicatur ex ipsa rerum illatione oriri: quod habet hanc vim, vt si quis primùm ædes conduxerit, postea res suas Titio pignerauerit, deinde eas res in ædes conductas induxerit, dominus ædium in persequendo pignore sit posterior Titio: propterea quòd illatio rerum in ædes locatas secuta est obligationem Titio quæsitam, licèt locatio ædium sit antiquior, inf. qui pot. in pign. hab. l. potior. 11. §. 1. Iam explicanda est ratio huius taciti pignoris, quam optimè explicat Cuiacius, eam deducens ex veterum

veterum Romanorum moribus. Plerumque enim locatores ædium pacisci solebant de pignore rerum ab inquilinis inuehendarum: quod autem plerumque fieri solet, id tacitè fieri in dubio præsumitur, infr. de ædil.ed.l.quòd si nolit.31.§.quia adsidua. Qua ratione similiter fructus fundi locati sunt tacitè pignerati locatori, infr.quib. caus. pign. tac. contrah. l.7. quia plerumque solebant, qui fundos locabant, de fructuum pignore pacisci, inf.de furtis.l.seruus.61.§.locaui. Hinc apparet ratio differentiæ inter locationem, & alios contractus: necnon inter locationem prædij vrbani, & rustici: in prædiis enim vrbanis locandis tacitè pignus rerum illatarum contrahitur: quia hoc fieri expresfsè plerumque solebat: cùm autem habitatio gratis conceditur, non præsumitur tacitum pignus, vt suprà docui: B quia concedentes gratuitam habitationem non solebant pacisci de pignore: item in prædiis rusticis locandis dicimus, fructus tantùm, non etiam res coloni esse tacitè pigneratas: quia plerumque solebant hi, qui fundos locabant, pacisci de pignore fructuum, non etiam rerũ coloni, d.l. si seruus.§.locaui. Si quis quærat rationem eius diuersæ consuetudinis, id est, cur solerent veteres pacisci de pignore rerum inquilini, non de pignerandis rebus coloni: dicã rationem esse, quia cùm putarent domini prædiorum rusticorum sibi satis esse cautum ex fructuum pignore, nihil erat cur adderent pignus in rebus coloni: cùm autem ex ædibus non colligantur illi fructus naturales, ex quorum pignore caueri possit dominis, ideo solebant domini cauere de C pignore constituendo in rebus inquilini.

Ait, *Quia conuentiones*, &c. Particula, *quia*, hoc loco nõ indicat rationem decidendi, sed solutionem tacitæ obiectionis: alioquin inepta ratio afferretur. Ait *locatori*, hoc verbum habet emphasin. Intelligendum enim est, res esse obligatas locatori, quà locator est, id est in solam causam locationis, nimirum debita mercedis nomine, aut si quid debeatur propter ædes deterioratas: quòd si aliàs locator cum inquilino contraxerat, putà pecuniam ei crediderat, in hanc causam pignus non tenet, infr. in quib.caus.pign.tac. contrah. l. 2. Ait *Etiamsi nihil*, &c. Ex his verbis quidam malè colligunt, tacitum & expressum concurrere, cùm I. C. nihil aliud dicat, quàm pignus esse, licèt expressum non fue- D rit, quod proinde est, ac si diceret, vbi pignus non est expressum, ibi esse pignus tacitum: non dicit autem esse pignus tacitum, etiam cùm de eo expresfsè conuenit. Denique fateor particulam *etiamsi* habere vim implicandi, & minuendi casum emissum, ita vt perinde sit, ac si I.C. dixisset: siue expresfsè de pignore conuenerit, siue non conuenerit, nihilominùs res esse pignori: vtroque enim casu res pignori est: sed non propterea vtroque casu pignus tacitum dici debet. Verùm altero casu est expressum, altero tacitum: hæc autem duo tacitum & expressum, cùm sint contraria, non possunt simul in eodem vera esse. Ait *Nominatim*, id est, expresfsè.

Ad §. Secundum hæc.

EX dictis colligit, mutum posse pacisci. Quod ita doctores accipiunt, quasi dicatur ideo mutum posse pacisci, quia pacta possunt fieri tacitè. Sed notandum est, quædam esse pacta tacita, quæ non possunt fieri à muto, vt ea pacta, quæ ex verbis colliguntur, putà cùm in stipulatione tacitum pactum inest, de quo posteriùs dicetur. Rursus esse quædam pacta expressa, quæ possunt fieri à muto, putà si paciscatur literis seu per epistolam. Quæ cùm ita sint, illa ratio non videtur bona; pactum potest fieri tacitè: ergo mutus potest pacisci. Quare ego puto argumentum iurisc̃ósulti aliter esse intelligendum: non enim ait secundum hoc, quod proximè dictum fuit pacta tacita valere: sed ait *secundum hæc*,

A respiciens ad ea omnia, quæ supr. dixit, nimirùm cùm dixit, posse conuenire etiam re, vel per epistolam, &c. deditque exempla tacitarum conuentionum re contractarum. Secundum igitur hæc mutus pacisci potest, id est, vel re tacitè, vel per epistolam expresfsè.

Ad §. Huius rei.

QVod dictum fuit, conuentiones tacitas valere, confirmat I.C. hoc exemplo: quidam nuptias contracturus, dotem sibi dari simpliciter & purè est stipulatus: quæritur, an possit dotem petere ante contractas nuptias. Prima facie videbatur posse petere: quia stipulatio fuit pura, infr.de verb.signif. l. cedere diem. 213. Contrarium hìc respondetur, ante nuptias malè peti: B quia videtur tacitè conuenisse, ne petatur ante nuptias; vnde si sponsalia sint dirempta, stipulatio dotis ipso iure inutilis redditur. Hìc duo sunt notanda. I. Hanc tacitam conuentionem non esse pactum, ne ante nuptias petatur, sed esse conditionem, quæ tacitè inest promissioni dotis. Cùm enim dos sine matrimonio esse nequeat, infr.de iur. dot.l. 3. consequenter is, qui dotem promittit, etsi purè promittere videtur, tamen semper adnexa est conditio, si nuptiæ contractæ fuerint, infr. eod. l. dotis promissio. 68. quamquàm si dicamus esse pactum, idem erit iuris effectus: quia hoc pactum contractui inest, proinde eandem vim minuendæ aut suspendendæ obligationis habet, quàm conditio, quæ fortasse causa est, cur pactum sæpe vocetur conditio, C vt in l.nam & seruus. 21. in princ. infr. de negor. gest. l. vlt. infr. de sponsal. & aliis locis. II. Notandum est, verbum, *Malè petitur*, accipi impropriè: quia propriè loquendo ille dicitur malè petere, qui actionem habet, sed exceptione aliqua potest submoueri: qui verò actionem non habet, non dicitur malè petere: seu malè agere; sed nihil facere, seu nihil agere, infr. quando dies vsusfruct.legati cedat, l. vnic. in fin. atqui in casu proposito ipso iure non datur actio: quandoquidem conditio promissionis pendet, d.l. cedere diem. Ergo magis propriè dicemus nihil agi vel non posse agi, vt dicitur in l.promittendo.41.§.1.infr.de iur. dot. quàm malè peti.

Ad §. vlt.

D HIc proponitur vltimum exemplum tacitæ conuentionis, quod tale est. Creditor pactus est cum suo debitore, ne sortem ab eo petat, quamdiu ille vsuras soluat: sortem autem ipsam purè stipulatus est sibi reddi non sub conditione, nisi vsuras soluerit. Quæritur, an ex hac stipulatione possit statim petere sortem. Quod videbatur dicendum, eò quòd stipulatio est pura. Nec obstat pactum suprà propositum: quia dum contrahentes posteà purè sunt stipulati, videntur à præcedente conuentione recessisse, id est, ab eo pacto de non petenda sorte, quamdiu soluantur vsuræ: proinde solutio vsurarum non potest impedire exactionem sortis secundum regulam traditam in l.vlt.in fin. C. de E iur. dot. Contrarium tamen hìc respondetur: quia etiamsi verbis solis inspectis stipulatio pura videatur, tamen conditionem tacitè adnexam habet, quæ ex præcedenti pacto colligitur. Hìc quædam sunt notanda. I. Notetur confirmatio illius regulæ; Quæ dicuntur in præfationibus, censentur tacitè repetita in conclusionibus. II. Notandum, posse hìc dubitari, vtrùm conditio accipiatur in vulgata significatione pro adiectione illa, quæ actum suspendit in futurum incertum euentum, an pro pacto. Sed vtrumuis dicamus idem erit effectus, id est, sortis exactio atque obligatio ipso iure differtur: quia non solùm hæc est vis conditionis, d. l. cedere diem. sed etiam pacti, quod contractui inest, infr.de reb. cred. l.lecta.40. Mihi tamen videtur

hoc loco ea interpretatio esse accipienda, vt intelligatur tacitum pactum de non petenda sorte, quamdiu soluuntur vsuræ. Vnde emergit alia dubitatio, vtrùm ponenda sit stipulatio in continenti adiecta esse pacto, an etiam possit esse ex interuallo. Bartolus putat decisionem huius contextus non habere locum, si stipulatio ex interuallo secuta sit pactum: idcirco supponit eam factam esse in continenti, propter regulam iuris, de qua dicetur in l. 7. quod pacta in continenti facta insunt contractibus, & valent ipso iure: pacta autem ex interuallo pariunt exceptionem. Hæc Bartoli interpretatio mihi non probatur: nam primò cùm lex generaliter loquatur, generaliter debet accipi: illa enim limitatio Bartoli est voluntaria, & præter verba textus. Præterea si sententia Bartoli esset vera, Iurisconsulti decisio esset falsa, quatenus ait, esse tacitam conuentionem: quia pactum de non petendo fuit expressum: ergo si in continenti est factum, cogimur fateri expressum pactum inesse stipulationi. Verius igitur est, quoniam pactum præcessit, Iurisconsultum ita interpretari stipulationem subsequentem, vt contrahentes intelligantur, non recessisse ab eo pacto, quod antea fecerant, sed id tacitè confirmasse. Pactum igitur præcessit, sed eius pacti repetitio, tacitè stipulationi inest.

Ad L. 5.

PRoponitur hoc loco vtilissima conuentionum diuisio, primùm trimembris, deinde redacta ad bimembrem, ita vt ex diuisione & subdiuisione colligantur tres species conuentionum. Cùm enim omnis conuentio vel sit publica vel priuata, subdiuidatur autem priuata in legitimam & iurisgentium, apparet tres esse species: conuentionem publicam, conuentionem priuatam legitimam, & priuatam iurisgentium. Quidam repudiant hanc diuisionem, sicut etiam reprobant similem iuris diuisionem, qua ius tribuitur in publicum & priuatum; & priuatum subdiuiditur in naturale, gentium, & ciuile. Sed in præsentia dicemus tantum de diuisione conuentionis. Cui diuisioni obiiciunt, quòd absurdum est de aliquo dici speciem, de quo non dicatur etiam genus: quod tamen hîc contingere videtur. Sicut enim conuentiones priuatæ partim sunt legitimæ, partim iurisgentium: ita etiam (vt isti inquiunt) conuentiones publicæ aut sunt legitimæ, aut iurisgentium. Ergo de conuentione publica dicitur (verbi gratia) quòd sit iurisgentium; atqui conuentio iurisgentium per Vlpianum est species conuentionis priuatæ: ergo conuentio quoque publica dici poterit conuentio priuata, quod est perspicuè absurdum. Pro solutione huius obiectionis, & vt intelligatur, quibus vitiis hæc obiectio laboret, duo sunt notanda. I. Falsum esse, quod illi supponunt, conuentionem publicam subdiuidi in legitimam & iurisgentium. Conuentio enim legitima dicitur à iure legitimo, id est, ciuili: quod est eorum proprium, qui sunt eiusdem ciuitatis, vt apparet ex definitione iuris ciuilis, Institut. de iur. natural. §. ius autem ciuile. & apud Cicer. in Topic. dum ait, ius ciuile esse æquitatem constitutam his, qui eiusdem ciuitatis sunt: conuentiones autem publicæ non fiunt inter has personas; proinde non sunt legitimæ, sed iurisgentium. Præterea obseruandum est, cùm diuidimus conuentionem priuatam in legitimam & iurisgent. nos non intelligere, quicquid legitimum est, aut quicquid iurisgentium est: sed per-

A inde esse ac si diceremus: conuentionum priuatarum alias esse priuatas legitimas, alias esse priuatas iurisgentium: breuitatis tantùm causa non repetimus verbum *priuatas*, sicut etiam non repetimus verbum conuentionis: ceterùm vtrumque debet subaudiri in singulis membris. Eadémque ratione & eadem interpretatione vtendum est in sexcentis aliis diuisionibus: membra enim diuisionis debent explicari & coangustari, ne excedant id, quod definitur: verbi gratia, cùm dicimus substitutionem esse speciem institutionis, seu cùm diuidimus institutionem generaliter acceptam in institutionem primi gradus, & substitutionem, non intelligimus quamcumque substitutionem, sed eam dumtaxat, quæ sub institutione continetur: proinde recta est diuisio, quamuis B reperiantur multæ substitutiones, quæ non sunt institutiones; vt cùm legatarius legatario substituitur, aut fideicommissarius fideicommissario, infr. de lega. ij. l. vt heredib. 50. in princip. & C. de cadu. toll. l. vnic. §. sin autem. vt omittam substitutionem arborum in locum demortuarum, infr. de vsufru. l. arbores. 59. in princip. & Instit. de ret. diu. §. sed si gregis. vel substitutionem pecudum in locum capitum defunctorum, infr. de vsufruct. l. vel inutilem. 69 & de legat. j. l. si grege. 12. Sic cùm dicimus fideicommissum esse speciem vltimæ voluntatis, non intelligimus quicquid fidei alicuius commissum est: id enim etiam inter viuos fieri potest: sed accipimus pressiùs, vt subaudiatur esse vltima voluntas. Similiter ergo, cùm dicimus conuentionem C legitimam, vel iurisgentium, esse speciem conuentionis priuatæ, non intelligimus quamcumque conuentionem iurisgentium, sed eas tantùm quæ priuatæ sunt. Eadem ratione diuidimus imperium in merum, & mixtum, supr. de iurisd. l. 3. cùm multa sint mera, & multa mixta, quæ ad imperium non pertinent; sed, vt dixi, generaliter tenendum est, membra diuisionis arctè esse intelligenda, ita vt semper subaudiatur id, quod diuiditur. Secundum hanc interpretationem obiectio cessat: quia conuentio publica non potest dici priuata iurisgentium. Hæc dicta sint de diuisione conuentionis. Transgrediamur ad explicationem singularum specierum.

Primo loco definitur conuentio publica, quæ D fit per pacem, quoties inter se duces belli quædam paciscuntur: sic legitur Florentiæ. Secundum quam lectionem intelligendum est, non esse veram definitionem, sed qualem qualem descriptionem per exempla: quia non tantum pax pertinet ad publicas conuentiones, sed etiam induciæ, & quæcumque fœdera, vel sponsiones: fœderum autem & sponsionum differentiam lege apud Liu. libr. 9. Altera tamen lectio, quæ hîc in vulgatis libris reperitur, mihi magis arridet, vt legamus, ***quæ fit per principem, aut quoties***, &c. secundum quam lectionem Vlpianus describit publicam conuentionem à causa efficiente, quo modo etiam descripsit ius naturale, gentium, & ciuile, in l. 1. supr. de iusti. & iur. Porro hac descriptione indicat Vlpia- E nus publicam conuentionem fieri à principe vel per se, vel per alium, vt per duces belli, quibus curam & administrationem bellicam commisit. Hoc loco tres quæstiones occurrunt non omittendæ: quæ partim ex eo oriuntur quod Vlpianus ait, conuentionem publicam fieri per principem: partim ex eo, quòd ait fieri per duces belli. I. Igitur quærendum est, an fides hosti data seruari debeat. II. An dux belli inconsulto principe pacisci

cum hoste, pacém ve facere possit. Postremò, an princeps, qui subditis suis aliquid promisit, id præstare teneatur.

Quod attinet ad primam quæstionem, an fides hosti seruanda sit, non desunt argumenta in vtramque partem, quæ breuiter expendam: & primùm eorum argumenta, quibus videtur probari, fidem non esse seruandam hosti: deinde ea, quibus contraria sententia videtur adstrui. Quod igitur fides non sit hosti præstanda, I. Videtur probari per l. 1. §. non fuit. infr. de dolo. vbi I.C. distinguit inter dolum bonum, & dolum malum; atque ait dolum bonum esse solertiam, præsertim cùm quis aduersus hostes, aut latrones aliquid machinatur: vnde apparet hostes posse licitè decipi, consequenter non videntur pacta esse seruanda, quæ cum hoste facta sunt: quia his non seruatis, hostes per bonum dolum decipiuntur. Vt singula argumēta proponam, ita etiam eadem soluam. Ad hoc igitur primum argumentum respondeo, dolum bonum à I. C. appellari, non quando fides frangitur, sed cùm salua fide hostis circumuenitur aliquo militari stratagemate, vel insidiis dispositis, vel aliqua alia ratione: cuius doli boni siue solertiæ, quæ longè abest à fide rupta, extant passim in historiis permulta exempla. II. Pro eadem sententia videtur facere l. nihil interest. 26. inf. de captiu. vbi dicitur, nihil interesse, quomodo captiuus reuersus sit, vtrùm dimissus, an quia vi seu fallacia potestatem hostium euasit. Ex quo videtur effici, vt si captiuus pacto aliquo seu conuentione hostem deceperit, & in ciuitatē sit reuersus, rectè eum & lege permittente fecisse. Respondeo, ibi quoque talem fallaciam intelligi debere, quæ fiat salua fide: verbi gratia, si captiuus fingat, se tus proficisci alicuius negotij causa, & clàm reuertatur in patriam, bona simulatione & fallacia vsus est, sed inde non sequitur, captiuo licere etiam fidem frangere. III. Adduci potest l. 5. §. qui captus, inf. de re militari. vbi dicitur: eum, qui captus ab hostibus potuit redire nec rediit, haberi pro transfuga. Finge igitur captiuum hostibus promisisse se non reuersurum ad suos: ea promissione non obstante, non solùm poterit, sed etiam debebit reuerti in patriam, quàm primum reuertendi potestatem nactus fuerit: sic igitur apparet, datam fidem hosti non esse seruandam. Respondeo, quod in hoc argumento supponitur captiuum posse reuerti, & ideo nisi reuertatur, haberi pro transfuga, rectè accipi debere: quoniam ea tantùm facere posse intelligimur, quæ rectè & iure atque honestè facere possumus salua fide & salua existimatione nostra, infr. de condit. instit. l. filius qui. 15. & de verb. sign. l. nepos. 125. Non habetur igitur pro transfuga is, qui de facto potest redire nec redit, nisi honestè redire possit: proinde non debet ita redire, vt propterea datam fidem frangat, si rectè & honestè promisit ei in cuius est potestate. Dixi, *rectè & honestè*: quia quod ad pactum modò propositum attinet, meritò dicere aliquis posset, illud pactum de non redeundo in patriam non valere, non quia sit factum cum hoste, sed quia sit contra vtilitatem publicam, & contra iura patriæ. Esto igitur pactum eiusmodi cum hoste factum non valere: quia nec omnia pacta inter ciues Rom. facta seruantur, putà si sint contra ius vel vtilitatem publicam, infr. hoc tit. l. 7. §. ait prætor. cum sim. Verum inde non potest colligi, quorumcumque pactorum cum hostibus factorum fidem frangi posse. Quid enim, si captiuus pactus sit de certa pecunia pro sui capitis redemptione, cùm in patriam redierit, mittenda? cur hoc pactum non seruabit, quandoquidem potest ita fidem suam liberare, vt non propterea patriam deserat, nec pro transfuga habeatur? Postremò ex

A co argumentari possumus, quòd pactum cum hoste factum videri potest metu aut vi extortum, proinde non seruandum. Respondeo, hanc præsumptionem non habere locum, vbi inter se duo hostes paciscuntur, quorum alter alterius potestati non est subiectus. Immo & in captiuo hæc præsumptio non est necessaria. Neque enim dominus dicitur vim seruo suo facere, aut per metum aliquid ab eo extorquere, cùm iure suo vtitur, nec vult seruum dimittere, nisi certis conditionibus: alioquin idem dici posset de seruis ciuium Roman. qui interdum pro libertate cum dominis suis paciscuntur, vt extant in nostris libris multa exempla. Hactenus argumenta contra conuentiones factas cum hoste. In contrariam partem, quod fides hosti seruanda sit, I. Est auctoritas M. Tullij, qui libr. 1. & libr. 3. de offic. ita hanc quæstionem definit. Præterea videtur hæc sententia confirmari l. nam & Seruius. 21. in princip. infr. de neg. gest. vbi tres à Lusitanis capti, cum hostibus pacti sunt, vt duo ex ipsis captiuis Romam proficiscerentur, pecuniamque redemptionis nomine, non tantùm pro se mitterent, sed etiam pro tertio, quem apud hostes relinquebant: cùm autem ex conuento pecuniam non misissent, ideóque tertius, vt ab hostibus dimitteretur, redemptionem pro se & sociis suis soluisset: Iurisconsultus ait ex eo pacto, siue ex ea conuentione vtile iudicium à prætor dandum esse. Respondeo, in hac specie actionem dari, non hosti contra ciuem Roman. sed ciui contra ciues, qui

B vnà capti fuerant. Ergo ex ea lege nihil potest colligi, quo nostra quæstio decidatur: quia non sequitur, pactum cum hoste factum seruari debere, etiamsi seruanda sint pacta inter ipsos ciues Romanos captiuos facta. His in vtramque partem adductis, & dissolutis, superest, vt quæstionem dissoluamus. Hîc adhibenda est distinctio duplex: quarum altera sumitur ex persona paciscentium, altera ex iure. Aut enim publicæ personæ pactæ sunt, putà duces belli inter se pepigerunt: aut priuatus aliquis ciuis Romanus cum priuato hoste conuenit. Rursus aut quærimus, an pactum cum hoste factum valeat iure gentium, aut iure ciuili. His distinctionibus positis, statuantur hæc axiomata. I. Duces belli conuentiones à se rectè factas seruare debent, non

C solùm iure gentium, supr. hoc tit. l. 1. in princip. sed etiam iure proprio ciuium Romanorum, nempe iure Feciali, quod ad bella pertinebat, auctore Cicerone dictis locis. Intellige pacto obstringi ipsum ducem, qui pactus est; an autem pactum ducis, cui belli cura commissa est, obliget principem, cuius auspiciis bellum geritur, paulò post explicandum erit. II. Si priuatus cum hoste priuato paciscatur, iure gentium tenetur fidem præstare, propterea quòd iure gentium societas est constituta inter omnes homines, sup. de iustit. & iur. l. 3. & hoc ius omnes tenet, vt ex ipsius definitione apparet. Cùm igitur hoc iure generaliter cautum sit, vt pactorum & conuentionum fides præstetur, consequens est

D vt dicamus, etiam hosti seruandam esse, propterea quòd licèt hostis sit, tamen eodem iure gentium nobiscum viuit, & societate iunctus est, quam natura ita inter omnes gentes constituit, vt nullo bello dissolui possit. III. Si priuatus cum priuato hoste pepigerit, iure ciuili vel prætorio pactum seruare non tenetur. Probo hoc axioma. Primùm ex eo, quòd ius ciuile est proprium ciuium Romanorum, vt ipsius definitio ostendit, adeo vt huius iuris beneficio hostes vti nequeant, alioquin ipsi quoque hostes essent

E ciues

ciues Romani. & generaliter tenendum est, quod ad- A
huc magis explicabo ad legem sequentem, nihil esse
commune ciuibus Romanis & hostibus vel peregri-
nis, quod ex iure ciuili descendat. Idem axioma probo
auctoritate Ciceronis lib. 1. offic. vbi ait: decem capti-
uus post Cannensem cladem ab Hannibale Romam
missos, vt de redimendis captiuis agerent, &, nisi re-
demptio impetraretur, ad Hannibalem redirent, fidem
fregisse, ac Romæ mansisse, ideoque à censoribus in
ærarios relatos, quod peierassent: iurauerant enim
Hannibali se reuersuros. Tantùm igitur propter periu-
rium pœna aliqua fuere affecti: consequenter ea pœna
cessaret, si simpliciter pacti fuissent. Adde, quòd ea pœ-
na non fuit legitima, sed arbitrio censorum inflicta.
Ad hæc axiomata generalis exceptio addenda est, nisi
iusta aliqua causa suadeat, conuentionem non esse ser- B
uandam. Cùm enim quædam conuentiones inter ci-
ues Romanos factæ non seruentur, velut si dolo ma-
lo aut contra ius pacti fuerint, certum est eiusmodi
conuentiones inter hostes factas multò minùs seruan-
das esse: ac talis videtur esse conuentio, de qua sup. di-
xi, si captiuus hosti promiserit, se non rediturum in pa-
triam, quamuis aliquando redire potuerit. Hæc de pri-
ma quæstione: reliquas duas breuiter expediam.

Secunda quæstio erat, an dux belli pacem cum ho-
ste facere possit inconsulto principe. Respondeo, eum
non posse pacem facere, nisi speciale mādatum à prin-
cipe habeat, argumento l. mandato generali. 60. infr. de
procur. Proinde senatus & populus Romanus rectè
solitus est repudiare pacem se incōsultis factam à con-
sulibus seu belli ducibus. Sic sponsio, quam Spurius C
Postumius & Titus Veturius consules cum Caio Pon-
tio Samnitium imperatore fecerunt, rata habita non
fuit, immo ipsi consules hostibus fuerunt dediti. Ea-
démque ratione, reprobato fœdere, & repudiata pace,
C. Mancinus deditus fuit Numantinis, vt auctores
sunt Liuius lib. 9. & M. Tullius 3. Offic.

Tertia quæstio est de principe, an subditis ea sua
promissione teneatur. Et primò non videtur teneri,
propter illam regulam, quod princeps est legibus solu-
tus, supr. de legib. l. princeps. E contrario videtur tene-
ri, quatenus se legibus subiicit, & secundum leges se
viuere profitetur, C. eod. l. digna vox. Breuiter hic quo-
que distinguendum puto. Aut enim princeps promisit
iis, qui iam erant subditi, aut futuris subditis, velut si
ciuitas aliqua certis conditionibus se dediderit, quas D
princeps se seruaturum promisit. Primo casu subdi-
stinguendum est. Aut enim quæritur de iure gentium,
aut de iure ciuili. Iure gentium princeps simpliciter
tenetur: cùm enim constet, inter dominum & seruum
contrahi naturalem obligationem, multò magis con-
trahetur inter principem, & subditos, qui sunt homi-
nes liberi & ciues Romani. Iure etiam ciuili nascitur
obligatio, & danda est etiam in principem actio, non
inspecto stricto iure, nec inspecta summa potestate
principis, sed ex bono & æquo quatenus princeps spō-
te sua (vt iam dixi) legibus se submittit. Idcirco rectè
obseruari solet, vt summi principes lites à subditis in-
tentatas excipiāt, & iudices dent, quos etiam iuramen-
to fidelitatis, quo sunt obstricti, liberant, vt plenam iu-
dicandi potestatem etiam in principem habeāt: quam- E
quam ea remissio iurisiurandi videtur mihi esse super-
uacua. Nam qui iurat fidelitatem principi, non iurat se
aliquid inhonestè vel iniustè facturum pro principe,
nec iurat se iniquè iudicaturum pro principe: sed saluo
iureiurando fidelitatis, in causa sibi à principe com-
missa potest secundum leges iudicare, atque adeo
etiam contra principem pronunciare, si æquitas & ius
id requirat.

Ad L. 6.

A Conuentionibus publicis transit ad priuatas, &
cùm harum duo genera constituerit: primùm in
hac lege tractat de conuentionibus legitimis: deinde
in l. seq. de conuentionibus iurisgentiū. Legitima con-
uentio hîc declaratur definitione, & effectu, qui ex ea
definitione colligitur. Definitio proponitur his verbis,
Legitima conuentio est, quæ lege aliqua confirmatur. Pri-
mùm explicabo rem definitam, postea definitionem.
Quod ad rem definitam attinet, appellatione legitimæ
conuentionis intellige etiā prætoriam, propterea quòd
legitima hîc non opponitur prætoriæ, sed iurisgentiū:
Sic & in definitione legis vocabulum latè est accipien-
dum, non angustè pro ea iuris specie, quæ à senatus-
consultis, constitutionibus principum, & aliis partibus
iuris separatur, Inst. de iure natur. §. constat. Nam I. C.
mox senatusconsulti quoque mentionē faciet; eadémq;
ratio est constitutionis principalis, & edicti prætorij:
siquidem legitimum & legem hîc opponimus iurigen-
tium. Quod quidem manifestiùs apparebit, vbi afferé-
mus exempla pactorum legitimorum. Legitima igitur
conuentio est, quæ lege aliqua confirmatur, id est, siue
lege propriè dicta, siue senatusconsulto, siue constitu-
tione principis, siue etiam iure prætorio. Contra hanc
definitionē primùm oppono, quòd generaliter omnes
ferè conuentiones & omnia ferè pacta iure prætorio
confirmantur, id est, exceptis iis solis, quæ iuri, aut bo-
næ fidei vel honestati repugnāt, sup. h. t. l. 1. in pr. & inf.
l. prox. §. ait prætor. Rursus oppono, quòd hæc definitio
latiùs patet, quàm definitum: & conuenit, non solùm
conuentionibus legitimis, sed etiam conuentionibus
iurisgentium. Nam inter conuentiones iurisgentium
enumerantur, non solùm pacta nuda, sed etiam contra-
ctus tam nominati, quàm innominati, l. seq. Atqui con-
tractus nominati sine dubio confirmati sunt lege xij.
tab. ita vt ex iis detur actio, quemadmodum & ex con-
uentionibus legitimis hîc dicitur dari actionem; cur
igitur iurisconsulti referunt emptionem & venditio-
nem, similésq; contractus inter cōuentiones iurisgen-
tium, cùm ita lege confirmentur, vt pariant actionem,
& legitimæ conuentionis definitio eis competat? Vt
augeam difficultatem, dico legitimas conuentiones à
conuentionibus iurisgentium, & omnia ea quæ sunt
legitima, ab iis quæ sunt iurisgētium, non posse distin-
gui, nec origine, nec formá, nec confirmatione & effe-
ctu. Non origine: quia tam pacta legitima, quam con-
tractus originem habent à iuregentium: illa tamē di-
cuntur esse legitima, hi verò iurisgentium. Præterea
acceptilatio inuenta est à iure ciuili, sed nihilominus
hoc iure vtimur, vt intelligatur esse iuris gentium, inf.
de acceptil. l. an inutilis. 8. §. vlt. Ergo distinctio ab ori-
gine sumi nō potest. Sed nec à forma, quamquàm hinc
distinctionem sumere solent: quia pacta legitima ha-
bent formam à iure gentium, sicut & omnia alia pacta:
non tamen dicuntur iurisgentiū, sed legitima; e cōtra-
rio acceptilatio formam habet à iure ciuili, sicut stipu-
latio: nō tamen dicitur legitima seu iurisgentium. De-
nique distinctio non est sumenda à confirmatione &
effectu: quia & pacta legitima & cōtractus æquè con-
firmantur iure ciuili, atque adeo ipsa lege xij. tab. ita vt
actionē pariant: & nihilominus distinguuntur, nec vo-
cantur omnia legitima, sed alia legitima, alia iurisgen-
tium: ergo aliunde petenda est distinctio. Hāc ex Ro-
mana historia & multorū auctorum lectione mihi vi-
deor collegisse. Sic igitur statuo ea esse legitima seu iu-
ris ciuilis, quæ ita sunt propria ciuiū Romanorum, vt
ciues Romani iis vtantur tantùm inter se, non etiam
cum peregrinis vel hostibus, etiamsi peregrini quo-
que aut hostes inter se eadem vsurpare videantur:

iurisgentium autem sunt, non omnino quibus omnes gentes vtuntur, sed quibus omnes gentes vtuntur inter se, id est, quibus vtuntur ciues Romani, cum peregrinis. Omne enim ius, vt Aristoteles pulchrè docet, in vitæ communione consistit, adeo vt vbi nulla est communio vitæ, ibi commune ius esse nequeat. Sic meritò dicimus patriam potestatem, tutelas, testamenta, successiones ab intestato esse iuris ciuilis, non quòd apud alias gentes hæc non reperiantur, sed quia nulla est vitæ communio, quod ad hæc, inter ciues Romanos & peregrinos: vt puta ciuis Romanus nec peregrinum in potestate habere, nec in peregrini potestate esse potest: vnde fit, vt deportatione patris vel filij tollatur patria potestas: quia deportatio adimit ciuitatem Romanam, & ea quæ sunt iuris ciuilis, infr. de pœnis. l. sunt quidam. 17. §. 1. & infr. de interdict. & releg. l. deportatus. 15. Eadem ratio est ceterorum, quæ dicuntur esse iuris ciuilis. Contractus autem dicuntur esse iurisgentium, non quia barbari inter se quoque contrahunt, sed quia contrahere possunt cum ciuibus Romanis: quamuis enim ciuis Romanus aliquid legare non possit peregrino, tamen ei vendere, vel ab eo emere, aliterve contrahere nõ prohibetur. Secundum hanc expositionem intelligenda est diuisio modorum acquirendi dominij, quorum alij iurigentium, alij iuri ciuili tribuuntur; verbi gratia, ciuis Romanus rem poterit peregrino tradere, non autem per vsucapionem à peregrino factam amittere: ideóque traditio dicitur esse iurisgentium: vsucapio, iuris ciuilis. Hinc etiã est, quòd deportatus, cùm amittat ea, quæ sunt iuris ciuilis, & retineat ea, quæ sunt iurisgentium, non potest facere testamentum, nec acquirere ex testamento: potest tamen emere, vendere, & alios contractus celebrare, inf. de lega. iij. l. 1. §. à præfectis. & C. de hered. inst. l. 1. & infr. de pœnis, d. l. sunt quidam. §. 1. & de interdi. & relegat. d. l. deportatus. Ergo similiter in nostro tractatu de conuentionibus dicendum est, eas esse conuentiones legitimas, quæ fieri possunt tantùm inter ciues Romanos: eas verò esse iurisgentium, quæ fieri possunt cum peregrinis. Ex dictis etiam intelligere licèt, cur dicat I. C. in d. l. an inutilis. §. vlt. D. de accept. quamuis acceptilatio sit iuris ciuilis, tamen nos hoc iure vti, vt sit iuris gentium: quamuis enim acceptilatio originem & formam habeat à iure ciuili, tamen producitur etiam ad peregrinos, ita vt si obligatio inter ciuem Rom. & peregrinũ consistat, per acceptilationem dissolui possit: quod fieri non posset, si acceptilatio esset iuris ciuilis: quoniam peregrini non sunt participes iuris ciuilis. Hac ratione, si Imperator nouum ius conderet, quo permitteret, ciues Romanos capere ex testamentis peregrinorum, & peregrinos ex testamentis ciuium Romanorum, dicerentur testamenta, quæ sunt iuris ciuilis, facta esse iurisgentium. His expositis, vt omnis difficultas tollatur, propiùs accedamus ad obiectiones contra definitionem legitimæ conuentionis adductas, easque diluamus. Notandum est, duplicem esse iuris confirmationem. Interdum enim lex ciuilis ita confirmat ea quæ sunt iurisgentium, vt nihilominùs ea iurigentium relinquat: interdum verò ita confirmat, vt ea faciat legitima: declaro exemplo vno, atque altero. Ecce enim constitutiones principum confirmant edicta prætoria, vt putà de bonorum possessionibus: nihilominus tamen manet ius prætorium. interdum verò ita confirmant, vt faciant esse iuris ciuilis: sic cognati iure Codicis & Institutionum succedunt tantùm ex iure prætorio, quod à Iustiniano confirmatum est. Sed quamuis Iustinianus successionem cognatorum disertè probauerit, non propterea tamen dicendum est eos succedere

A re iure ciuili. Nouella autem constitutio 118. ita confirmauit successionem cognatorum, vt eam fecerit ciuilem. Aliud exemplum: ius ciuile interdum confirmat naturalem obligationem, ita vt eam ciuilem reddat, & aptam ad pariendam actionem, vt obligationem ex empto vendito, locato conducto, &c. interdum ita confirmat, vt maneat obligatio naturalis tantùm, quamuis potestate iuris nascatur actio; talis est obligatio, qua pupillus locupletior factus obstringitur: nam diuus Pius eam confirmauit, & actionem eo nomine dedit: sed nihilominus vbique vocatur naturalis obligatio, nusquàm ciuilis: ideóque dicitur dari actio vtilis, non directa. Similiter igitur in præsentia dicendum est, conuentiones iure ciuili confirmari bifariam. Aut enim ita confirmantur, vt ciuiles seu legitimæ B fiant, id est, ita vt propriæ ciuium Romanorum fiant: aut ita confirmantur, vt maneant iurisgentium, id est, maneant communes ciuibus Romanis cum barbaris & peregrinis: hæ igitur vocantur iurisgentium, illæ appellantur legitimæ. Ergo in definitione conuentionis legitimæ, verbum *Confirmari* κατ' ἐξοχὴν, & in priori significatione debet accipi, vt significet maximam cõfirmationem, per quam conuentio legitima euadit. Hinc apparet obiectionum solutio. Prior enim obiectio erat, omnia pacta licita iure prætorio confirmari. Ergo omnia esse legitima, secundum datam definitionem. Respondeo, non omnia ita confirmari iure prætorio, vt confirmari dicuntur conuentiones legitimæ. Sed alia pacta confirmantur primo modo, id est, ita vt fiant legitima, vt pactum de pignore, ex quo datur C actio prætoria, infr. h. t. l. si tibi. 17. §. 1. alia verò secundo modo, id est, vt maneant iurisgentium, vt sunt pleraque pacta, ex quibus tantùm exceptio non etiam actio competit. Altera obiectio similiter soluenda est: dicebatur enim omnes contractus iure ciuili confirmari, nec tamen esse omnes legitimos, sed plerosque iurisgentium. Respondeo, eos rectè dici iurisgentium: quia confirmantur à iure ciuili secundo modo; legitimas autem conuentiones, eas tantùm vocamus, quæ confirmantur primo modo. Hæc dicta sint pro expositione legitimæ conuentionis.

Contra quam occurrit noua obiectio sumpta ex l. obligationes. 27. inf. de obligat. & act. vbi dicitur, obligationes quæ propriis viribus non consistunt, nec officio iudicis, neque prætoris imperio, neque legis po- D testate confirmari: vnde videtur colligi, inanem esse confirmationem, quæ iure ciuili fit. Aut enim conuentiones per se consistunt & valent, aut non consistunt, sed sunt inutiles: priori casu non videntur egere confirmatione; posteriori autem casu non possunt confirmari, d. l. obligationes. Respondeo, has conuentiones per se quidem consistere etiam sine iure ciuili, sed ab hoc iure accipere maiorem vim & maius robur, nempe vt actionem pariant, vel ipso iure tollant. Non est igitur confirmatio inutilis, quæ auget vim conuentionum confirmatarum: dicta autem l. obligationes. de iis loquitur, quæ prorsus non valent, vt quæ sunt contra ius, aut contra bonos mores.

Transgrediamur ad alteram partem legis, id est, ad effectum conuentionum legitimarum. Ait Paulus, *Et* E *ideo interdum ex pacto actio nascitur vel tollitur, quoties lege vel senatusconsulto adiuuatur.* In primis obseruandum est, hæc à Paulo proferri exempli gratia. Nam definitio erat conuentionis legitimæ generaliter acceptæ: hic autem Paulus specialiter loquitur de pacto legitimo: pactum autem non est idem, quod conuentio, sed est species conuentionis, vt fuit expositum ad l. 1. Conuentio igitur legitima aut est pactum, vt in exemplis, quæ mox proponam: aut est contractus: vt stipulatio.

ſtipulatio. Quamobrem I.C. in l.5. ſupr. de iuſt. & iur. non dixit omnes contractus eſſe iurisgentium, ſed pleroſq; ſeu ferè omnes, indicans excipi nonnullos, qui ſunt contractus legitimi, ſeo iuris ciuilis, de quibus ibi glo. & Doct. Præterea notandum eſt, hîc explicari effectus pacti legitimi, qui colligitur ex definitione conuētionis legitimæ, vt apparet ex eo vocabulo, *ideo*, vnde intelligitur, ideo hæc pacta producere vel tollere actionem: quia legitima ſunt. III. Notetur hîc intelligendum eſſe actionem tolli, quæ tollitur ipſo iure, quemadmodum accipitur etiam in tit. Inſt. quib. mod. oblig. tollit. ceterum pacta iurisgentium tollunt actionem ope exceptionis, inf. l. proxima in pr. & §. ſed cùm nulla. IV. Notandum eſt, præter eam diuiſionem conuentionis legitimæ, quam paulò antè propoſui, colligi ex verbis Pauli duas alias diuiſiones à nobis breuiter explicandas: quarum altera ſumitur ab effectu, nempe quòd pactum legitimum ſeu conuentio legitima aut parit, aut tollit actionem: altera ſumitur à cauſa efficiente, videlicèt quòd legitima conuentio vel adiuuatur lege, vel ſenatusconſulto: ſupplè vel conſtitutione principali, vel edicto prætoris.

Vtriuſque diuiſioois membra exemplis declaremus. Ex pacto otitur actio, veluti ex pacto de vſuris ciuitati præſtandis, infr. de vſur. l. etiam. item ex pacto de pignore datur actio Seruiana vel quaſi Seruiana, inf. h.t. l. ſi tibi. 17. §. de pignore, infr. h.t. ex pacto quoq; nudo datur actio de conſtituta pecunia, inf. de pec. conſtit. l. 1. & Inſt. de action. §. conſtituta. Contrà ex pacto actio tollitur ipſo iure, veluti ſi quis paciſcatur ne agat iniuriarum, aut furti: quoniam hæc pacta lege xij. tab. confirmata fuere, d. l. ſi tibi. §. 1. Vnde etiam habemus exēpla pactorum lege confirmatorum: quandoquidem pactum ne furti, aut iniuriarum agatur, lege xij. confirmatum eſt, pactorum autem ſenatuſconſultis confirmatorum nullū exemplum mihi occurrit, ac puto nullum exemplū in Iuſtinianicis libris extare. Exemplum verò pacti conſtitutione confirmati ſuppeditat Impe. in l. ſi quis argentum. 35. infr. de donat. vbi conſtituit, ex nudo pacto donationis cauſa facto dari actionem. Eſt & aliud exemplum in l. 6. infr. de dot. promiſſ. vbi ex nudo pacto datut actio de dote: ſed id hodie non procedit: qooniam hodie nunquam eſt pactum nudum de dote. Niſi enim ſtipulario expreſſa fuerit, tacitè tamen interueniſſe intelligitur: & ſublata actione rei vxoriæ, perinde actio ex ſtipulatu competit, ac ſi re vera ſtipulatio facta eſſet, inf. de rei vxor. act. l. vn. in prin. Exempla pactorum iure prætorio confirmatorum ſup. attuli: talia namque ſunt pacta de pignore, & de conſtituta pecunia. His expoſitis, quæro, an pactum legitimum, ſit pactum nudum. Accurſios reſpondet eſſe pactum veſtitum lege, ſeu legis auxilio. Ego autem puto, vocandum eſſe pactum nudum, non minùs quàm pacta iuriſgentium: dicuntur enim pacta nuda, nō quia careant legis auxilio, ſed quia vacant causâ, vel quia ſola ſunt, vt explicabo commodiùs ad legem ſequentem. Rurſus quæro, quænam actio detur ex pacto nudo. Reſpondeo, interdum ius dare certam actionem, vt prætor ex pacto de pignore dat actionem Seruianā, & ex pacto de conſtituta pecunia dat actionem cōſtitutoriam: his igitur caſibus eas competere actiones, quæ iure expreſſæ reperiuntur: interdum actionis nomen nullum exprimi, ſed caueri ſimpliciter, vt actio competat, túncque dari condictionem ex lege. Sic Iuſtinianus in d. l. ſi quis argentum, §. vlt. ſimpliciter dedit actionem ex pacto donationis, non expreſſo nomine actionis, proinde intelligitur dediſſe condictionem ex lege per l. vn. infr. de condict. ex lege. atque ita ipſemet interpretatur ſuam conſtitutionem Nou. conſtit. 16x. cap. 1.

Ad princ. L. Iuriſgentium. 7.

EXpoſitis cōuentionibus legitimis, deinceps enarrantur conuentiones iurisgentium, quarum definitio prætermittitur, eò quòd ex præcedentibus facilè poteſt colligi. Omnes enim conuentiones iure gētium confirmantur, ſupr. h. t. l. 1. in pr. cum ſimilibus. Cùm igitur hæ dicantur legitimæ, quas ius ciuile ſibi ſumpſit & legitimas fecit: conſequenter reliquæ ſunt iuris gentiū, quas ius ciuile eo modo non confirmauit. Harum conuentionum iurisgentium hîc proponitur ab effectu diuiſio bipertita, quòd quædam pariant actiones, quædam exceptiones: ſed hæc diuiſio eſt imperfecta, & poſtea ſupplebitur tertium membrum: quædam enim præterea informant actiones, infr. h.t. §. quin immo. Addi poteſt etiam quartum membrum, quòd nonnulla actionem tollunt ipſo iure, inf. eo. l. ſi tibi. 17. §. 1. Nec eſt nouum, vt aliquod membrum prætermittatur in diuiſione, quod poſtea ſuppleatur. Sic enim Imp. in §. omnium. Inſt. de action. diuidit actiones in duo genera, videlicèt in actiones reales, & perſonales: poſtea in §. quædam. eod. t. ſupplet actiones mixtas. Sic etiam in §. actionum tribuit actiones in duo genera, quod aliæ ſint bonæ fidei, aliæ ſtricti iuris: deinde in §. præterea. adiicit actiones arbitrarias. Nec tantùm in diuiſionibus, ſed etiam in definitionibus hoc interdum fit: nam in §. 1. Inſt. de legitima adgna. tut. proponitur adgnatorum definitio imperfecta, quæ perficienda eſt ex §. vlt. eiuſd. tit. Vt autem breuiter explicem membra huius diuiſionis, quæ poſtea diligentiùs exponā, actionem pariunt contractus nominati, vel innominati: exceptio oritur ex pactis nudis, niſi io continenti contractibus ſint adiuncta: informantur actiones vel tolluntur iis pactis, quæ in continenti ſunt facta, & contractibus inſunt.

Ad §. 1.

INcipit explicare membra diuiſionis ſupr. dictæ. & primùm declarat, quænam conuentiones pariant actionem. Intellige conuentionem parere actionem non ἀμέσως, ſed per obligationem: nam conuentio parit obligationem; obligatio parit actionem, inf. de procurat. l. licet. 42. §. ea obligatio. Ergo conuentiones, quæ actiones pariunt, cùm ſint conuentiones iurisgentium, nullæ aliæ ſunt quàm cōtractus: qui quidem diuiduntur in nominatos, & innominatos: de nominatis eſt hic §. de innominatis ſequens §. Vt autem intelligantur, quæ in hac parte à I. C. traduntur, notanda ſunt tria diſcrimina, quibus contractus à pactis ſeiunguntur. I. Omnia ferè pacta ſunt innominata, pleriq; contractus ſunt nominati. Nominatos intellige, vt expoſui ad l. 1. quia nominatim confirmantur l. xij. tab. innominatos autem, quorum illa mentionem non fecit. Atque hoc eſt, quod dicitur in l. 3. infr. de præſc. verb. actionem præſcriptis verbis dari ex iis contractibus, quorum appellationes iure ciuili proditæ non ſunt. Hac ratione permutatio vocatur contractus innominatus, infr. de rer. permutat. l. 1. quia hoc verbum permutatio vulgò quidem eſt in vſu, ſed non eſt proditum lege xij. tabularum. II. Contractus præter conuentionem habent etiam cauſam: cauſam verò non dico, vt alij dicunt, eſſe rem, vel factum: ſed cauſam definio, vim illam cuicumque actui à iure tributam, vnde oritur obligatio & actio, & meritò dicitur cauſa per relationē ad ſuum effectum: quia eſt cauſa obligationis, & actionis. Cùm enim obligatio definiatur iuris vinculum, Inſt. de oblig. in princ. & in iure conſiſtat, Inſt. de reb. corpor. & incorpor. non poteſt ab vllo facto produci abſq; vi & poteſtate iuris. Quotieſ-

cumque igitur ius ita fouet actum aliquem, vt ei tribuat vim pariendæ obligationis, illa vis vocatur causa. Nec putandum est, causam inesse falsis cõtractibus, & multò minùs, inesse solis contractibus innominatis, vt quidam falsò existimarunt: sed causa inest cõtractibus, quasi contractibus, delictis, & quasi delictis: non potest enim effectus esse, id est, obligatio sine causa: & ita causa generaliter accipitur in l. filiusfam. 39. infr. de obligat. & act. nominatim autem & contractibus nominatis & quasi contractibus tribuitur in l. 1. §. debitum, inf. de pecun. constit. In hac igitur significatione nunc accipimus verbum *causa*: & per hanc distinguuntur contractus à pactis: quoniam pacta non habent in se causam; ne quidem pacta legitima, vt diximus ad leg. præced. quia si causam haberent, essent contractus. Nec obstat, quòd ex illis detur actio: quoniam actio illa immediatè oritur ex iure, nec inscitè ait Bart. esse miraculum iuris, quod tunc detur actio, quemadmodum miraculum est (nam hoc exemplo Bart. vtitur) quòd virgo absque viri coniunctione pariat. Denique non tam ex pacto, quàm propter pactum lex actionem dat. Aliter hoc verbum *causa* aliis locis, vt in libro homonymorum exposui, quem aliquando, si Deus voluerit, sum editurus. III. Discrimen inter contractus & pacta ex secundo oritur. Cùm enim conuentio sit facti, causa verò & obligatio atque actio sint iuris: consequens est, vt in pactis sit nudum factum, in contractibus autem sit factum & ius: factum, id est, conuentio: ius, id est, causa obligationis, infr. h. t. l. si vnus. 27. §. pactus ne peteret, & infr. de curator. furio. l. 7. in fin. Cum autem contractuũ duæ sint partes, conuentio & causa, seu factum & ius: causa seu ius est præcipua eius pars, nempe quæ facit contractum esse contractum, & quæ facit contractum esse efficacem. Hinc est, quòd Labeo contractum definiens, non dixit contractum esse conuentionem, sed esse obligationem: vbi obligationis vocabulo *μετωνυμικῶς* significauit causam obligationis, infr. de verb. sign. l. Labeo libro primo. 19. Hinc etiam est, quòd verbum contractus est verbum iuris: quia causa est iuris, quæ facit esse contractum, vnde emptio & venditio (verbi gratia) quatenus significant conuentionem, est facti, d. l. 7. in fi. sed quatenus significant contractum, potiùs est iuris, quàm facti. His expositis, propiùs accedamus ad nostrum §. in quo declarantur contractus innominati definitione, exemplis, & effectu. Vt ab effectu incipiam; iam dixi ex his contractibus oriri actiones. Definitio autem hæc est: contractus innominati sunt, qui in suo nomine non stant, sed transeunt in proprium nomen contractus. Pro interpretatione huius definitionis, notandum primò, hîc non fieri mentionem causæ, non quia causa reperiatur solùm in contractibus innominatis: hoc enim falsum esse, supra ostendi, & apertè est contra contex. in d. l. 1. §. debitum, infr. de pec. constit. sed quia quod est commune omnibus contractibus, non debet poni in definitione vnius speciei, vt contractus nominati. Notandum secundò, cùm Iurisconsultus hæc duo membra inter se opponat: in suo nomine stare, &, in proprium nomen contractus transire: Suum nomen dici, quod conuentionem seu factum significat, vt apparet ex ipsis verbis Iurisconsulti; ait enim, *quæ*, (repete *ἀπὸ τοῦ κοινοῦ* conuentiones) *pariunt actiones, in suo nomine non stant*. Cùm igitur dicat conuentiones non stare in suo nomine, nõ possumus commodiùs explicare, quàm vt intelligamus suum ipsius conuentionis nomen. Quapropter quę habent tantùm nomen conuentionis, non sunt contractus nominati: quæ verò transeunt in proprium nomen contractus, id est, quæ conuentiones habent nomen significans contractum, seu, quod idem valet, quæ conuentiones habent appella-

A tionem iure ciuili proditam, vt I.C. loquitur in d. l. 5. infr. de præsc. verb. sunt contractus nominati, id est, habent à lege xij. tabularum proprium nomen, quo non tantùm conuentio, sed etiam causa, atque adeo contractus significatur. Exempli gratia, permutatio est nomen tantum conuentionis, non contractus: emptio verò & venditio non solùm est nomen conuentionis, sed etiam contractus: propterea quòd (vt supr. exposui) cõtractus est verbum iuris, nec potest esse nomen contractus, nisi quod iure est proditum. Atqui lex xij. tab. non facit mentionem permutationis, sed emptionis & venditionis, ergo emptio & venditio est nomen contractus: permutatio verò non est nomen contractus: proinde rectè dicimus permutationẽ esse contractum innominatum, id est, esse contractum non nominatum
B lege xij. tabularum: seu, quod idem valet, non habere nomen contractus, sed tantùm nomen conuentionis. Notandum tertiò proprium hîc non opponi improprio, sed generali: vt sensus sit, contractus nominatos non solùm generali vocabulo vocari contractus, sed etiam habere proprium & speciale nomen, quo singuli ab aliis secernuntur: tale enim est nomen emptionis & venditionis, locationis & conductionis, mandati, societatis &c. Definitione & effectibus cõtractuum nominatorum expositis, superest, vt breuiter consideremus exempla in contextu proposita. Vlpianus proponit tres contractus, qui perficiuntur consensu, nempe emptionem & venditionem, locationem & conductionem, & societatem: duos, qui re perficiuntur, commodatum, & depositum: omittit literarum
C obligationem cuius nusquàm fit mentio in Pandectis, vt notaui supr. ad l. 1. §. conuentionis. item omittit stipulationem, quæ verbis contrahitur, propterea quòd loquitur de contractibus iuris gentium: stipulatio verò est contractus iuris ciuilis. Ne tamen existimemus hos solos esse contractus nominatos, qui nunc propositi fuerunt, addit *& cæteri similes contractus*, putà mandatum, mutuum, pignus. Hæc de contractibus nominatis dicta sint.

Ad §. Sed & si in alium.

Diuido hunc §. in duas partes. In prima explicantur contractus innominati, eadem methodo, qua suprà fuerunt expositi contractus nominati, id est, defini-
D tione, effectu, & exemplis. Altera pars continet corollarium, quo ex prædictis deciditur quæstio quædam secundum Mauritianum contra Iulianum: hæc posterior pars continetur vers. & ideo. Singula suo ordine enarremus.

Definitio contractuum innominatorum habetur primis illis verbis, *Sed & si in alium contractum res non transeat, subsit tamen causa*. Sensus est, tunc etiã contractum esse innominatum, cùm talis est conuentio, quæ nomine contractus caret, causâ verò non caret. Sunt igitur in hac definitione tres partes, id est, genus, & duæ differentiæ. Genus est conuentio iurisgentium, quæ tribuitur non solùm his contractibus innominatis, sed etiam nominatis, & nudis quoque pactis. Altera differentia est, quod nullum est nomen contractus. Al-
E tera, quod subest causa. Prior separat hos contractus innominatus à nominatis: posterior seiungit à nudis pactis. Aut enim est conuentio sine nomine & sine causa, & est pactum nudum: aut est conuentio cum causa sine nomine, & est cõtractus innominatus: aut causa absque conuentione, & est quasi contractus, vel delictum, vel quasi delictum: quid autem sit nomen contractus, & quid sit causa, exposui suprà. Sed placet singula verba contextus expendere. Ait, *Sed & si in alium contractum res non transeat*. Quod ait, *Res*, sic accipe,

id est,

id est, res, de qua nunc loquimur, népe conuentio iuris gentium: alioqui, si generaliter verbum rei accipias, definitio esset imperfecta, & conueniret etiam quasi contractibus, in quibus res non transit in nomen contractus, causa tamen subest, vt probaui suprà. Deinde quòd ait transire in contractum, sic accipe, id est, in proprium nomen contractus: & quod inquit, *In alium*, sic explica, id est, in alium contractum similem emptioni, venditioni, & ceteris suprà enumeratis. Nam hæc verba, *In alium contractum*, debent explicari ex verbis proximè præcedentibus: dixerat enim, *& ceteri similes contractus*: nunc addit, *Sed etsi*, &c. id est, etiamsi non sit alius contractus similis, immo sit dissimilis, eò quòd sit innominatus, modò causa subsit, nascitur obligatio ciuilis. Deinde ait, *Subsit tamen causa*, id est, insit in conuentione: quia ius ei conuentioni tribuerit vim pariendi obligationem. Exposui definitionem: sequitur effectus, cùm Vlpianus subdit, *Eleganter Aristo Celso respondit esse obligationem.* Obligationis verbum hic accipe angustè & propriè pro obligatione ciuili, ex qua datur actio, quo modo accipitur etiam in §. fed cùm nulla. & eodem modo accipitur in definitione obligationis, Institut. de obligat. in princ. ita vt excludamus obligationes naturales: quia impropriè dicuntur obligationes, infr. de fideiuss. l. fideiussor. 16. §. naturales. Post hæc, proponit Vlpianus duo exempla contractuum innominatorum, cùm ait: *vtputà dedi tibi rem vt mihi aliā dares: dedi, vt aliquid facias: hoc συνάλλαγμα esse, & inde nasci ciuilem obligationem.* Vt hæc exempla intelligantur, in primis notandum est quatuor esse genera contractuum innominatorum: do vt des, do vt facias, facio vt des, & facio vt facias, de quibus prolixè Paulus in l. 5. infr. de præsc. verb. Ratio huius diuisionis, propter quam sunt præcisè quatuor genera, ex eo pendet, quod omnis obligatio dicitur vel in dando, vel in faciendo consistere, Instit. de verb oblig. in princ. & §. vlt. hæc autem duo membra, dare & facere, possunt complicari quatuor dictis modis. Ex his quatuor Vlpianus in præsentia duos proponit, nempe do vt des, & do vt facias. Ac de his duobus contractibus duo docet, genus, & effectum. Docet genus, dum ait hæc esse συναλλάγματα, id est contractus: vbi obseruandum est inter συνάλλαγμα & contractum nullam esse differentiam, præterquàm quod alterum est vocabulum Græcum, alterum Latinum, vnde parùm commodè loquuntur, qui dicũt in se habere συνάλλαγμα: perinde enim est, ac si dicerent contractũ habere in se contractum. Porrò συναλλάγματος, seu contractus verbum est homonymum. Angustissimè namque acceptum pertinet ad eos solos cõtractus, qui sunt vltrò citróq; obligatorij, quales sunt emptio & venditio, locatio & conductio, societas & plerique alij, infr. de verb. signif. l. Labeo libro primo. 19. secundu n quam significationem stipulatio non est contractus: quia non obligat stipulantem, sed solùm promittentem. Paulò latiùs sumitur verbum contractus, vt complectatur etiam eos, qui ab vna tantùm parte pariunt obligationem, & vocantur contractus μονόπλευροι. ita accipitur à Iustiniano in §. vlt. Instit. de obligat. & in eadem significatione sumpsimus in definitione tam contractus nominati quàm innominati: proinde hîc quoque eadem significatio est accipienda. Interdum adhuc latiùs sumitur, vt complectatur etiam quasi contractus, vt in l. 1. §. debitum, infr. de constit. pec. Latissimè verò sumitur ab Aristotele 5. eth. cap. 2. vbi appellatione contractus siue συναλλάγματος comprehendit etiam delicta. Hæc de genere. Deinde Vlpianus docet effectum horum contractuum innominatorum, dum ait, *hinc nasci ciuilem obligationem.* Videndum est, in quo sensu hîc accipiatur obligatio ciuilis: quia non semper sumitur eodem modo, sed interdum dicitur ciuilis ad differentiam obligationis iuris gentium: interdum quatenus distinguitur à prætoria. Non potest quidem dubitari, qoin obligatio, de qua hîc loquimur, sit ciuilis in prima significatione. Sed quæri potest, an sit ciuilis, etiam in secunda significatione, ita vt ciuilis dicatur, non solùm vt separetur à naturali obligatione, sed etiam à prætoria. Ego puto ita esse accipiendum, propter seq. vers. & ideo. ibi namque aliquid infertur, quod non posset hinc colligi, nisi intelligeretur obligatio ciuilis angustissimè, quæ distinguitur & à naturali, & à prætoria. Vt autem hæc intelligantur, paulò altiùs res est repetenda, & quædam sunt explicanda, præsertim cùm necessaria sint ad intelligendum & quod quæritur in sequenti vers. & quod nunc tractamus de effectu contractuum innominatorum.

Videndum igitur est, an & quæ obligatio actióque detur ex contractibus innominatis, & cur, seu quo iure detur. Cùm enim omnis actio iuris ciuilis sit, hi verò contractus iure ciuili non nominentur, non videtur fieri posse, vt pariant actionem. Verùm scire oportet, actionem ex his contractibus dari, non directam ex verbis legis, sed vtilem per interpretationem iurisconsultorum, quatenus hi contractus nominatis à lege similes sunt. Notarunt enim Iurecõsulti in his contractibus duas similitudines, quarum prior respicit contractum mutui, qui re perficitur: posterior refertur ad contractus nominatos, qui consensu perficiuntur, nempe emptionem & venditionem, locationem & conductionem, & mandatum: inde factum est, vt ex his contractibus dederint duplicem actionem. Quod ad priorem similitudinem, & priorem actionem attinet: quemadmodũ ex mutuo datur condictio, ita etiam ex promutuo. Promutuum autem dicitur, quotiescumque aliquid in antecessum datur seu protogatur, vt fit in his cõtractibus innominatis. Nam si dedero decem vt mihi reddas decem, mutuum est: si verò dedero Stichum, vt mihi des Pamphilum, erit contractus innominatus, do vt des: & quemadmodum dando decem, dabam mutuum; ita dando Stichum, do promutuum, & sicuti condictio ex mutuo repetit idem quod datum est, ita & condictio ex promutuo, vt condictio causa data causa non secuta, quæ oritur ex contractu innominato ad repetendum id quod datum fuit, quoniam aduersarius fidem nobis non præstitit: hæc igitur actio non tam est ad implendum, quàm ad resoluendum contractum: repeto enim Stichum, quem dedi, quia non das Pamphilum, quem promisisti. Alia verò actio competit ratione alterius similitudinis, non ad dissoluendum, sed ad implendum contractum. Cùm enim contractus do vt des, sit similis emptioni & venditioni; contractus autem do vt facias locationi & conductioni; denique contractus facio vt des contractui mandati: quemadmodum ex illis contractibus nominatis datur actio ciuilis, id est, empti venditi, aut locati conducti, aut mandati, ita etiam ex his contractibus inoominatis datur actio ciuilis præscriptis verbis, infr. de rer. permut. l. 1. & infr. de præscr. verb. l. 5. Condictio igitur ob causam, competens ex contractibus innominatis, est condictio vtilis, introducta à iureconsultis ad exemplum condictionis, quam lex dedit ex mutuo: & actio præscriptis verbis, ex dictis contractibus innominatis competens, est actio vtilis à iuriscõsultis introducta ad exemplum actionum ciuilium empti venditi, locati conducti, & mandati: idcóque vocatur vtilis in l. cùm mota, 6. C. de transact. vocatur etiam actio in factum ciuilis, infr. de præscr. verb. l. 1. & in factum quidem dicitur: quoniam omnis actio vtilis, est in factum: ciuilis verò nominatur, ad differentiam actionum in factum prætoriarum.

Cur autem dicatur præscriptis verbis, perobscura

quæſtio eſt apud interpretes,&,vt mihi qoidẽ videtur, A ab eorum nemine recte expoſita. Aliorum interpretationibus omiſſis,ſic ſtatuo;Actio præſcriptis verbis eſt actio generalis ex omnibus contractibus competens, quin immo omnis actio ciuilis, eſt actio præſcriptis verbis. Quod probo primùm ex l.a.§.deinde ex his legibus, ſupr.de orig. iur. vbi traditur, omnes actiones habuiſſe certas formulas, & certa verba præſcripta, à quibus non licebat recedere: vnde peruulgatum illod, qui cadebat ſyllaba,cadebat cauſa: poſtea quidem formulæ illæ ſublatæ fuerunt, & data licentia agendi quibuſcumque verbis idoneis, C. de form. ſublat. l. 1. ſed nihilominùs manſit antiqua appellatio, vt contigit etiam in aliis actioaibus. Conſtat enim vindicationem dici à vi quadam imaginaria, quæ in eo iudicio fiebat, & condictionem à denunciatione appellari, B quia condicere priſca lingua eſt denunciare, vt Iuſtinian. teſtatur in §. appellamus. Inſtit. de actio. ſublata tamen ea vi imaginaria, & ſublata ea denunciatione retentum eſt vtriuſque actionis ooioen, *vindicatio, & conductio*: Sic igitur actio præſcriptis verbis dicitur: quia olim certa erant verba præſcripta, & cùm eſſent præſcripta verba omnibus actionibus, conſequenter omnes dici poterant præſcriptis verbis. Secũdò probo eandem ſententiam per l. 1. infr. de æſtimar. act. vbi, cùm dubitetur qualisnam ſit cootractus, id eſt, ſitne emptio & venditio,an mandatum,an locatio, an alius cõtractus,docet I. C.maioris cautionis gratia eſſe agẽdum præſcriptis verbis, propterea quòd qui non competẽtem actionem intentat,cauſa cadit. Vnde ſi agatur ex vendito,periculũ actori imminet,ne forte iudicetur C eſſe alius contractus;idem periculum ſubeſt, ſi proponatur alia ſpecialis actio. Sed omne periculum vitatur, ſi agatur præſcriptis verbis. Quid ita? quia actio præſcriptis verbis generalis eſt, & ex omnibus contractibus dari poteſt:alioquin,ſi eſſet actio ſpecialis, periculum illud actionis incompetentis noo vitaretur. Atque hinc apparet, actionem præſcriptis verbis non ſolùm dari ex contractibus innominatis, ſed etiam ex contractibus nominatis, quotieſcumque ſcilicet petitur res iocerta, oempe id quod intereſt: hæc enim eſt incerti condictio, vt poſtea dicemus. Quoſt ſi certum quid peratur:aut agendum eſt actione ſpeciali, purà depoſiti, vel commodati:aut, ſi placet vti actione generali, agendum erit certi condictione,quæ ſimiliter ex variis cauſis competit, inf.de reb.cred.l.certi.9.Tertiò eadem D ſententia confirmatur l. Labeo. 50. infr. de contrah. empt.& l.6.infr.de reſcind.vend.& l.2.C.de pact. inter empt.& vend. ex quibus locis patet actionem præſcriptis verbis concurrere cum actiooe empti venditi, nimirum quia generalis actio concurrit cum ſpeciali. Ex dictis concludo,actionem præſcriptis verbis eſſe actionem generalem, quæ datur ex omnibus contractibus, ex quibus petitur incertum,id eſt,id quod intereſt,ſiue ſit contractus nominatus, ſiue innominatus. Hæc verò differẽtia eſt inter nominatos & innominatos,quòd ex cõtractibus nominatis,præter hanc actionẽ generalem datur etiam actio ſpecialis,purà empti venditi, vel locati conducti, &c.ex contractibus autem innominatis datur tantùm hæc actio præſcriptis verbis. Intellige dari tantùm hanc actionem ad contractum implendum: E nam ad eum reſoluendum,ſeu ad id, quod datum fuit, repetendum, iam docui dari condictionem ob cauſam. Hæc dicta ſint de hac appellatione præſcriptis verbis. Sed præter appellationes ſuprà traditas vocatur etiam incerti actio,vt in ſeq.verſ. vel incerti condictio vt in l. duo. 19.§. vlt.infr. de precar. quia (vt iam dixi) perſequitur rem incertam,id eſt,quod intereſt. Iam verò hæ duæ actiones, id eſt, condictio ob cauſam, & actio præſcriptis verbis, non ſolùm dantur duobus caſibus in contextu expreſſis, id eſt, ex contractu, do vt des, vel do vt facais, ſed etiam ex contractu, facio vt facias, infr. de præſcipt. verb. l. 5. De quarto innomioati contractus genere, id eſt, de contractu facio vt des, magna eſt dubitatio, quam actionem patiat; aliis negantibus competere vllam ciuilem actionem, & concedentibus actionem ſubſidiariam de dolo;aliis verò tribuentibus actionem præſcriptis verbis. Quod ex hoc contractu competat actio præſcriptis verbis, I. Videtur probari l.ſolent.15.infr. de præſcr. verb. vbi tractatur hæc ſpecies, Indico ſeruum fugitiuum, vt pecuniam des: adeo vt ſit ſpecies cootractus facio vt des; datur tamen ibi actio præſcriptis verbis: & videtur ita in eo contextu diſtingui:Aut interuẽnit dolus, aut dolus abeſt:ſi dolus ſubſit, agendum de dolo: ſin minus, præſcriptis verbis: hæc enim videtur eſſe vis illorum verborum, *niſi quis dicat, agendum de dolo, vbi dolus ſubſit*. Sed verius puto,quòd alij moocnt, particulam, *niſi*, eo loco eſſe notã correctionis,vt & in l. 7.inf.commoda.vt ſenſus ſit,dari actionem præſcriptis verbis:immo non præſcriptis verbis, ſed de dolo. Nec me mouet, quod alij dicunt in d. l. 7. poſt correctionem particulã *niſi* indicatam,ſubiici verba, quæ eam correctionem probant,qualia verba non habentur in calce d.l.ſolent. hoc(inquam)me non mouet:quia notum eſt, quotieſcumque plures ſententiæ aliqua lege referuntur, niſi vna illarum expreſsè probetur, ſemper intelligi tacitè probari vltimam, quomodo volant doctores etiam Accurſij gloſſemata eſſe accipienda,vt, cùm ſoleat Accurſius varias ſolutiooes aut varias opiniones proponere,intelligatur eam probare, quam vltimo loco ponit. Præterea aliorum interpretatio ſeu diſtinctio, vt dolo interueniente agatur de dolo, dolo autem ceſſante agatur præſcriptis verbis, principiis iuris & naturæ actioois de dolo repugnat. Eſt enim actio ſubſidiaria, quæ non datur,niſi omnibus aliis deficientibus,inf. de dolo.l.1.§.1. adeo vt vbicumque datur alia aliqua actio dolo oon interueniente, eadem actio competat etiam dolo accedente: quia nec dolus liberat aliquem actione ordinaria,qua eſt obſtrictus, nec inducit ſubſidiariã actiooem de dolo, vbi ordinaria poteſt competere. I I. Ad eandem ſententiam confirmandam, quod ex contractu facio vt des,competat actio præſcriptis verbis,citatur l.cùm mota. 6. C.de tranſact.vbi cum quædam mulier deceſſiſſet à lite mota de inofficioſo teſtamento, vt acciperet pecuniam, qua cum aduerſario tranſegerat; aduerſario fidem frangente, datur io eum actio præſcriptis verbis.Ergo ex contractu facio vt des, hæc actio competit: talis enim videtur eſſe cootractus diſcedo à lite vt des:nã diſcedere eſt facere. Reſpõdeo, ibi non fuiſſe contractum diſcedo à lite vt des, ſed do vt à lite diſcedas: quod autẽ ita fuerit initus cõtractus, apparet ex illis verbis legis, *Susciperet, & à lite diſcederet*. Nec obſtat quod mulier prius diſceſſit à lite, quàm acciperet pecuniam promiſſam, quoniam hæc diſceſſio pertinet ad implementum contractus facti, non ad contractum faciendum,id eſt,mulier oon diſceſſit à lite vt contraheret, ſed vt ex ſua parte impleret fidem, quã antea contrahendo dederat:in contractibus autem denominandis nomquàm ſpectamus implementum, ſed initium:& hæc eſt regula iuris, quod in contractibus initium ſpectatur, infr. de mort.cau. donat.l.ſenatus.35.§.vlt.& de verb. oblig.l. ſi filiusfam. 78. cum ſimilibus. Adde, quod omues contractus à conſenſu pendent,ſupr.h.t.l.1. adeo vt non poſſit eſſe alios contractus,quàm is,de quo conuẽnit, ſiue in quem partes cooſenſerunt. Quod non ſolùm obtinet in iis contractibus, qui conſenſu perfici dicuntur; ſed etiam in iis, qui re perficiuntur,vt in mutuo,commodato, &c. infr. de reb. cred.l.ſi ego pecuniam.18.adeo vt inanis ſit eorum ſolutio

rum solutio, qui putant contractus innominatos diiudicandos esse ex implemento, propterea quod non consensu nudo, sed re perficiuntur, infr. de rer. permut. l. 1. Denique hoc perpetuum est, vt talis sit contractus, qualem consensus contrahentium, & ratio contractus ineundi declarat. Vnde si ita contractum ineamus, do decem, vel, dabo decem, vt à lite discedas: hic contractus est do vt facias, non, facio, vt des, quamuis tu à lite priùs discedas, quàm ego decem dem: quia non discedis à lite, vt ineas nouum contractum, vel vt contractum iam initum noues, immo vt eundem impleas & perficias: vnde implementum confirmat, non nouat contractum, infr. de verb. oblig. l. 6. §. 1. & l. seq. III. Quod detur actio præscriptis verbis, videtur probare l. 3. infr. de præscr. verb. vbi traditur hæc regula, ad hanc actionem confugiendum esse, quotiescumque existunt contractus, quorum appellationes nullo iure ciuili proditæ sunt: nam huius contractus facio vt des, appellatio nulla prodita est: vnde videtur colligi confugiendum esse ad actionem præscriptis verbis. Ad hoc argumentum respondeo, illam regulam esse cautè intelligendam, id est supponendos esse terminos habiles, nempe tales esse contractus, ex quibus nascatur ciuilis obligatio. Quotiescumque enim contractus ciuilem obligationem pariens, est innominatus, agendum est præscriptis verbis. Quod autem hæc limitatio non sit absona, primùm ex eo probo, quòd cùm actio personalis præsupponat obligationem, & actio ciuilis præsupponat obligationem ciuilem, actio autem præscriptis verbis ciuilis sit, necesse est, dum dicitur cessantibus aliis actionibus confugiendum esse ad actionem præscriptis verbis, intelligi obligationem ciuilem subesse. Idem probo ex loco prorsus simili, id est, ex l. 1. infr. de æstimat. act. vbi I.C. ait, vbicumque conuenit dandam esse aliquam actionem, nec tamen sit aliqua nominatim prodita, agendum esse æstimatoria præscriptis verbis actione, quæ verba cum simili limitatione sunt intelligenda. Nam generaliter accepta, sunt falsa: quia multis casibus non est actio nominatim prodita, quibus tamen non agitur actione præscriptis verbis æstimatoria, sed fortasse alia actione præscriptis verbis, vt contingit in dictis contractibus do vt des, do vt facias, facio vt facias. IV. Eadem sententia videtur confirmari ex his Vlpiani verbis, *Hoc συνάλλαγμα esse, & hinc nasci ciuilem obligationem.* Quæ verba innuere videntur, ex omni synallagmate, siue ex omni contractu esse obligationem ciuilem: atqui facio vt des, est *συνάλλαγμα* siue contractus, infr. de præscript. verb. l. solent. 15. ergo parit obligationem ciuilem, & consequenter actionem præscriptis verbis, quia est contractus innominatus. Primùm respondeo ad minorem, & nego eam probari d. l. solent. propterea quod ea, quæ ibi traduntur, dum dicitur esse negotium gestum, & dari actionem ciuilem, mox corriguntur in vers. nisi, vt suprà dictum fuit. Præterea ad maiorem propositionem respondeo, non dicere Vlpianum, ex omni contractu, vel ex omni synallagmate oriri obligationem ciuilem, sed tantùm ait has duas conuentiones, do vt des, & do vt facias, non solùm esse contractus, sed etiam parere obligationem ciuilem. Itaque retorqueo hæc verba Vlpiani. Nam si omnis contractus pareret ciuilem obligationem, Vlpianus committeret *ταυτολογίαν*: & cùm dixerit esse *συνάλλαγμα*, id est contractus, frustra adderet, *hinc nasci ciuilem obligationem.* Sed hæc verba non sunt frustra addita, immo habent vim & pondus, ac necessariò fuerunt adiicienda, si sequamur alteram sententiam, quod contractus facio vt des, non pariat ciuilem obligationem. V. Et postremum argumentum pro eadem sententia colligitur ex fine nostri §. Dum enim Vlpianus ait, *quod Aristo συνάλλαγμα dicit, vnde hæc nascitur actio,* videtur omnino argumentari à synallagmate ad actionē præscriptis verbis. Id enim videtur indicare particula *Vnde*: quasi dicat, est cōtractus: ergo datur actio præscriptis verbis, quam interpretationem si admittimus, omnis contractus innominatus pariet actionem præscriptis verbis, atque adeo etiam contractus facio vt des. Respondeo, particulam *Vnde*, non esse ibi accipiendam pro Ergo, sed pro ex quo: nec esse argumentum Vlpiani à synallagmate simpliciter accepto ad actionem præscriptis verbis: sed à tali synallagmate, ex quo datur actio præscriptis verbis, Iurisconsultus argumentatur, & probat excludendam esse actionem in factum, adeo vt illa verba, *Vnde hæc nascitur actio*, non significent consequens

B argumenti, sed partem antecedentis. Denique talis est argumentatio: Propositum negotium est contractus, vnde, siue ex quo oritur actio præscriptis verbis: Ergo non est danda actio in factum prætoria. Consequentiæ vis in eo est posita, quod actio in factum est subsidiaria, vt posteriùs explicabo. Dissolutis argumentis, quibus videbatur probari, ex contractu facio vt des, competere actionem præscriptis verbis, consequens est, vt sententiam contrariam, quam veriorem puto, confirmemus, & ostendamus, ex eo contractu nullam esse ciuilem actionem, sed tantùm prætoriam. Hanc sententiam primò confirmo ex eo, quòd contractus facio vt des, non est similis vlli contractui nominato: proinde in ea cessat ratio, & interpretatio Iurisconsultorum,

C per quam datur actio præscriptis verbis ex contractibus innominatis, vt suprà exposui, dum docerem hos contractus innominatos non producere actionem ex verbis legis: sic enim essent nominati contractus; sed ex mēte & interpretatione. Atqui interpretatio legis non debet produci ad casus dissimiles. Quare si hic contractus facio vt des, non est similis vlli contractui in lege nominato, non potest pertinere ad dictam interpretationem, nec potest ex eo agi præscriptis verbis. Qui contrariam sententiam tuentur, nituntur ostendere similitudinem cum contractibus nominatis. Quidam comparant facio vt des, emptioni & venditioni: alij locationi & conductioni: sed neutra comparatio admitti potest: quoniam aliud est dare, aliud est facere: alioquin

D praua esset distinctio contractuum innominatorum in quatuor genera. Quoniam igitur emptio & venditio comparatur contractui do vt des, locatio autem & conductio contractui do vt facias, infr. de præscript. verb. d. l. 5. consequenter non possunt comparari contractui facio vt des: siquidem aliter inimus contractum do vt des, vel do vt facias, aliter facio vt des. II. Probo eandem sententiam: quia Iulianus existimauit, ex contractu do vt facias, competere actionem prætoriam, non ciuilem, ei qui facit, etsi non dubito, quin concesserit actionem præscriptis verbis ei qui dat. Tantum igitur abest, vt ex contractu facio vt des, Iulianus concesserit actionem ciuilem, vt ne quidem ex contractu do vt facias, voluerit eam concedere fa-

E cienti, propterea quod videtur facere vt sibi detur. Fateor quidem Iulianum errasse, sed ideo errauit, vt postea clariùs docebo, quia non benè distinxit inter do vt facias, & facio vt des. Ceterùm tantum Iurisconsultum etiam in fundamento errasse, & planè ac generaliter ignorasse, qualis actio daretur ex facio vt des, non est probabile. Postremò ne multis morer, Paulus in d. l. 5. §. quod si faciam. disertis verbis ait, ex hoc contractu, facio vt des, nullam esse actionē ciuilem, sed agendum de dolo. Quibus quidem verbis nihil clariùs dici potest. Qui contrariam sententiam tuentur, respondent Paulum ibi loqui, non de actione ad implendum contractum, sed de actione ad repetendum. Nam, inquiunt, si de ea quæsiuisset, actionem dedisset præscriptis verbis:

ptis verbis: sed quoniam de hac quærit, ideo negat actionem ciuilem, id est, condictionem ob causam: dat autem subsidiariam de dolo, propterea quod id, quod factum est, non potest repeti, sicut id quod datum est. Itaque sic statuunt, ex omnibus contractibus innominatis, si agendum sit ad contractum implendum, dari actionem præscriptis verbis: si verò ad repetendum, non dari condictionem ob causam ei qui fecit vt sibi daretur, vel vt sibi fieret; sed ei tantùm, qui dedit, vt daretur, vel fieret. Hanc responsionem non possum admittere. Primùm enim Paulus non negat specialiter dari condictionem ob causam, sed generaliter ait, nullam ciuilem actionem competere. Ergo voluntariè restringunt verba generalia ad actionem specialem. Immo hæc restrictio aduersatur verbis legis: quia Paulus inquit *nullam*: aliud autem est nullam actionem competere, aliud aliquam nõ competere. Insuper Paulus & in §. præcedentibus & in §. seq. non solùm ex contractibus innominatis tribuit condictionem ob causam, aut saltem quærit an ea condictio detur, sed etiam loquitur expressè de actione præscriptis verbis: immo certum est, totam illam legem præcipuè respicere ad actionem præscriptis verbis: non solùm quia collocatur sub eo titulo, sed etiam quia occasio illius tractatus proponitur à Paulo in princ. l. & quod in eo princ. proponitur, in §. vltimo explicatur & dissoluitur: tota autem illa explicatio est de contractu facio vt facias, & de præscriptis verbis actione, nõ de cõdictione ob causam. Quæ cùm ita se habeant, nemo non videt, absurdam esse illam interpretationẽ interiecti illius §. quòd si faciam. si explicemus nullam actionẽ dari, id est, non dari condictionem ob causam, cuius obiter facta est aliqua mẽtio, ita vt nihil dicatur de actione præscriptis verbis, de qua ex professo tractatur. Adde, quòd sententia illa, quam ei §. affingunt, per se quoque considerata, falsa est: nam etiamsi non daretur condictio ob causam: si tamen, vt isti putant, daretur actio præscriptis verbis, non esset concedenda actio de dolo, quæ est omnino subsidiaria: neque conceditur, cùm quis alia ratione potest seruari indemnis. Adde, quòd hoc non esset speciale in contractu facio vt des, sed idem locum haberet in contractu facio vt facias; ex quo eadem ratione non datur condictio ob causam. Cùm igitur eadem sit ratio horum duorum contractuum, facio vt des, & facio vt facias: quia secundum horum sententiam ex vtroque datur actio præscriptis verbis, ex neutro datur condictio ob causam; cur Paulus differentiam constituit, & aliter loquitur de illo contractu, aliter de hoc, dum ait, ex illo non dari actionem ciuilem, sed prætoriam de dolo, ex hoc autem esse actionem ciuilem præscriptis verbis? Ex dictis concludo, contractum facio vt des, non parere actionem ciuilem, nec esse verum contractum ciuilem, sed iure prætorio quodammodo pro contractu haberi posse, quatenus ex eo prætor dat actionem. Consequenter quæro, quænam actio à prætore detur. Respondeo, si dolus interueniat, dari actionem de dolo, d. l. 5. §. quòd si faciam. quæ tamen actio potest emolliri, & proponi in factum, suppressa mẽtione doli: quoniam hoc semper fieri potest, quotiescunque actio de dolo competit, infr. de dolo. l. quam rem. 33. quod si dolus nõ interuenerit, tũc necessariò agendum est in factum, quæ quidem actio in factum non competit ex vlla parte iuris scripti: sed cessante omni remedio scripto, atque adeo etiam actione de dolo, quæ est extremum remediũ inter remedia iuris scripti, confugiendum est ad hanc actionem in factum decretalem, quam Bartolus datiuam appellat, id est, quam prætor pro tribunali decernit ex bono & æquo, non tantùm hoc casu, sed etiam aliis casibus similem æquitatem habentibus, inf. de pecun. constit. l. si post. 22. His

A expositis de effectu contractuum innominatorum, transgredior ad vers. & ideo. cuius partes quatuor sunt. Primò continet corollarium contra Iulianum, reliquæ pertinent ad expositionem eius corollarij: nam in secunda proponitur species, in qua explicanda Iulianus errasse dicitur: in tertia ponitur praua decisio Iuliani: in quarta & vltima habetur vera decisio Mauritiani, qua euertitur Iuliani sententia.

Primæ partis verba hæc sunt, *Et ideo puto rectè Iulianum à Mauritiano reprehensum in hoc.* Particula *ideo* apertè indicat, ea, quæ subiiciuntur, colligi ex præcedentibus. Reprehẽsio namq; Iuliani dantis in specie proponenda actionẽ prætoriam subsidiariã, ex qua confirmatur, quod proximè dictum fuit, oriri ciuilem obligationem. Quamobrem sic exposui verbum *Ciuilem*, vt eo B verbo non solùm excluderetur obligatio naturalis, sed etiam prætoria. Sequitur species, cùm Vlpianus in secunda parte dicti vers. & ideo, ait, *Dedi tibi Stichum, vt Pamphilum manumittas: manumisisti, euictus est Stichus.* Pro interpretatione huius speciei videndum est, qualis sit contractus propositus. Quidam putant esse contractum facio vt des, propterea quòd manumisisti Pamphilum vt darem tibi Stichum. Nec obstat, inquiunt, quod I.C. ait, *dedi tibi Stichum, vt Pamphilum manumitteres:* quibus verbis videtur significari contractus do vt facias: quoniam vt isti inquiunt, cùm Stichus euictus sit, datus nõ videtur: quandoquidẽ dare est dominium transferre, Inst. de act. §. sic itaque. non fuisse autem dominium translatum, ex euictione apparet. Mouentur igitur eo quod nos supra refutauimus, id est, C quia putant hos contractus ex implemento, non ex conuentione diiudicari. Bartolus autem in l. 5. §. sed si facio. inf. de præsc. verb. cùm ipse quoq; putet hos contractus denominari ab implemento contra Accursij sententiam, intelligens esse regulam iuris contrariam, quòd implementũ confirmat, non mutat contractum antea initum, inf. de verb. obl. l. 6. §. 1. & l. seq. ait ab ipso initio inesse contractum facio vt des, ita vt non solùm ratione implementi, sed etiam ratione conuentionis dicatur esse contractus facio vt des. Et ne quis obiiciat, quod vocatur do vt facias: respondet Bartolus esse do vt facias, respectu dantis, esse autem facio vt des, respectu facientis, idque à simili declarat: sic enim idem contractus emptio & venditio, respectu emptoris vocatur emptio, & respectu venditoris venditio; similiter D idem contractus appellatur locatio respectu locantis, & conductio respectu conducentis. Itaque secundum Bartholum in specie nostra est contractus do vt facias, simul & facio vt des. Accursius verò statuit esse tantùm contractum do vt facias: quam sententiam verissimam puto. Quòd enim non sit contractus facio vt des, nec inspiciatur implemẽtum, sed conuentio, iam ostensum fuit. Quòd autem non possit simul esse do vt facias, & facio vt des, & quod ea non sint similia, quæ Bartholus vt similia proponit, liquidò apparet: quia constat emptionem & venditionem esse vnum contractum habentem duo nomina, itidémque locationem & conductionem: sed do vt facias, & facio vt des, sunt distincti contractus, & distinctæ species, infr. de præscr. verb. d. l. 5. Ergo non potest vnus & idem contractus simul esse do vt facias, & facio vt des, sicut potest simul esse E emptio & venditio, vel locatio & conductio. Adde, quod si vera esset Bartholi sententia, id est, si respectu facientis esset contractus facio vt des, malè reprehenderetur Iulianus à Mauritiano, & Vlpiano, vt mox ostendam. Concludo igitur propositum contractum esse do vt facias, & obiter addo, argumentum illud, quod paulò ante ex quibusdam attuli, non esse te verè datum Stichum, quia fuit euictus, hoc (inquam) argumentum non concludere: quia fieri potest, vt tibi euincatur res,

catur res, quam tibi re vera dedi, id est, cuius dominium ad te transtuli: euincatur (inquam) non rei vindicatione; sic enim non fuisset dominium in te translatum, & argumentum illorum procederet; sed euincatur actione hypothecaria. Nam hæc quoq; actio rem euincit, & facit aliquem teneri de euictione, quamuis causa pignoris separata sit à causa proprietatis, infr. de euict. l. rem hereditariam.

Transeamus ad tertiam partẽ dicti vers. & ideo. in qua proponitur sententia Iuliani, hisce verbis, *Iulianus scribit in factum actionem à prætore dandam.* Cùm varia sint actionum in factum genera: quam actionem in factum Iulianus intellexerit, difficile est explicare. Breuiter igitur summa genera notemus, vt faciliùs intelligamus, quænam actio hîc sit accipienda. Omnis actio in factum aut est ciuilis, aut prætoria: ciuilis autem aut est B præscripris verbis, infr. de præsc. verb. l. 1. aut aliqua alia actio vtilis, vt actio in factum accommodata ad legem Aquiliam, putà quæ datur in eum, qui hominem fame necauit: hic enim dicitur teneri actione in factum, infr. ad leg. Aquil. l. item si obstetrix. 9. §. si quis hominem. eadémque vocatur vtilis Aquilia, Instit. eod. §. vlt. Prætoria verò actio in factum subdiuiditur in edictalem, & decretalem. Edictalis est, quæ ex edicto prætoris competit, veluti actio in factum in calumniatorem, & actio in factum in eum qui rem iudicij mutandi causa alienauit, & sexcenta aliæ. Decretalis autem est, quæ à prætore pro tribunali decernitur, vt in l. si post. a 2. infr. de pecu. constit. Itaque hæc ab illa differt, vt decretum ab edicto, & illa quidem continetur iure scripto: hanc autem prætor ex bono & æquo supplet, defi- C cientibus remediis iuris scripti. Inter actiones in factum edictalea numeratur actio accommodata ad actionem de dolo, cum suppressa mentione doli agitur, quod fit vel ex necessitate, vt putà si agatur contra patronum, vel parentem: nam prætor in eos denegat actionem de dolo, ac tribuit actionem in factum propter reuerentiam huiusmodi personis debitam, infr. de dolo. l. non debet. 11. §. 1. vel fit ex voluntate actoris, cui placet actionem suam mitigare & emollire: quotiescumque enim de dolo agi poterit, etiam in factum suppressa mentione doli, agi potest, vt in specie l. rem quam. 35. infr. eod. Ergo habemus quatuor genera actionum in factum: nempe ciuilem præscriptis verbis, ciuilem non præscriptis verbis, prætoriam adictalem, & prætoriam decretalem. Iam videamus, quam ex his D actionibus in specie proposita Iulianus dederit. Et primùm videamus, vtrùm dederit ciuilem, an prætoriam. Videtur dedisse ciuilem: hoc enim Paulus disertè tradit in d. l. 5. §. quod si faciam. infr. de præscr. verb. sed Vlpianus hîc apertè contradicit: ait enim censuisse Iulianum actionem à prætore dandam, & ideo reprehensum à Mauritiano, quod danda sit ciuilis actio præscriptis verbis: vnde apparet, Iulianum hanc actionem ciuilem præscriptis verbis non dedisse. Quòd si dicamus dari à Iuliano actionem in factum prætoriam, non solùm difficultas est propter dicta verba Pauli, qui contrariam sententiam Iuliano tribuit, sed etiam quia non facile explicari potest, quænam sit hæc actio prætoria: aliis intelligentibus actionem edictalem, id est, actionem de dolo, quæ si mitigetur, vt iam diximus, erit in E factum: aliis verò accipientibus actionem decretalem, ideóque hoc casu denegantibus actionem de dolo.

Breuiter his assentior, qui putant Iulianum dedisse actionem in factum decretalem, ita tamen vt simul etiam dederit actionem de dolo. Sic igitur Iulianus distinxit: Aut dolus dantis interuênit, quia sciens alienum dedit: aut bona fide dedit, putans se suum dare. Priori casu propter dolum est actio de dolo: posteriori autem, quia dolus cessat, confugiendum est ad extre-

A mum subsidium, id est, actionem in factum decretalem. Sed operæpretium est, hanc interpretationem confirmare, & contraria diluere. I. Quòd Iulianus non dederit actionem ciuilem, patet ex verbis nostri contextus: quia Iulianus dixit, actionem esse dandam à prætore, & eo nomine reprehenditur, quod re vera competit actio ciuilis. Sed videtur obstare §. sed si dedit, d. l. 5. infr. de præscr. verb. vbi Paulus disertè ait, Iulianum dedisse in factum ciuilem: quæ actio non potest alia esse, quàm præscriptis verbis. Respondeo, Tribonianum sicut multa alia loca pro auctoritate sibi à Iustiniano concessa interpolauit, & sæpiùs quædam verba de suo adiecit, ita etiam in d. §. sed si dedit. verbis Pauli adiunxisse verbum *Ciuilem*, vt conciliaret eum §. cum nostro §. adeo vt in præsentia illud dicere de- B beamus, quod sæpe cogimur dicere, aliud Iurisconsultum sensisse, aliam verò esse sententiam, quæ ipsi à Triboniano tribuitur. Iulianus enim teste Vlpiano hîc, dedit actionem in factum prætoriam: sed prout est interpolatus à Triboniano, dat actionem ciuilem. Interpolationis ratio est: quia loco sententiæ correctæ substituere Tribonianus voluit sententiam probatam. Præterea quod Vlpianus in nostro vers. dum ait, secundum Iulianum dandam esse à prætore actionem in factum, non intelligat actionem de dolo, vt quidam interpretantur, inde probari potest, quòd nullus in specie proposita dolus apparet. Nam etsi Stichus, quem tibi dedi, euictus tibi fuit, non propterea tamen tibi dolo dedi, sed potui dare per ignorantiam: nota est autem regula iuris, quòd dolus non præsumitur, nisi probe- C tur, infr. de probat. l. quoties. 18. §. 1. Præterea cùm in sententia Iuliani explicanda, actio in factum distinguatur ab actione de dolo, d. l. 5. §. sed si dedi. non videtur ea commoda interpretatio, vt actio in factum accipiatur pro actione de dolo. Verius igitur est, actionem in factum hîc esse intelligendam, quæ decernitur à prætore, quemadmodum Cuiacius interpretatur. Nisi quis malit hoc verbum generaliter accipere, vt complectatur & actionem de dolo, & actionem decretalem. Quæ quidem interpretatio mihi maximè probatur: quia maximè conuenit verbis legis. Vt enim iam dixi, Iulianus hanc speciem tractauit generaliter, siue quis dolo dederit rem alienam, siue bona fide & ignorantiâ: species autem simpliciter fuit ab Vlpiano proposita, neque bonæ fidei siue ignorantiæ, neque D malæ fidei siue doli mentione vlla facta. Cùm igitur species sit generaliter concepta, & verba quoque decisionis generalia sint, cur non dicamus decisionem generaliter esse accipiendam, vt hoc tantùm ab Vlpiano explicetur, datam esse à Iuliano actionem in factum prætoriam? quænam verò sit hæc actio in factum prætoria ideo exponere neglexit, quod ad suum scopum non pertinebat. Instituit enim Vlpianus ostendere, in proposita specie dari actionem ciuilem præscriptis verbis, non in factum prætoriam. Quoniam igitur omnem actionem in factum prætoriam negat, non fuit opus accuratè distinguere inter eum casum, quo est actio de dolo, & cum quo actio à prætore decernitur. Ex dictis apparet, Iulianum dedisse actionem in factum, id est, modò actionem de dolo, modò actionem E decretalem. Sequitur, vt videamus, cur dederit has actiones, non actionem præscriptis verbis, id est, quænam sit causa erroris, in quem Iulianus incidit. Existimo Iulianum fuisse in ea sententia, in qua nunc est Bartolus, nimirum propositum contractum do tibi Stichum, vt manumittas Pamphilum, quod ad me esse contractum do vt facias, quod verò ad te, esse facio vt des. Quoniam igitur ex contractu facio vt des, non competit vlla actio ciuilis, sed datur actio de dolo, vel in factum decretalis, secundum ea quæ suprà exposui:

idcirco &

idcirco & in casu proposito Iulianus tibi dedit actionem de dolo, vel decretalem. Quòd si ex contractu facio vt des, oriretur actio in præscriptis verbis, vt nonnulli putant, sententia Iuliani careret omni fundamento, & nulla esset ratio dubitandi, quæ excusaret Iulianum, quò minùs videretur in re apertissima lapsus. Hæc de sententia Iuliani dictæ sint.

Sequitur quarta pars dicti vers. *& ideo.* in qua proponitur sententia Mauritiani præferenda sententiæ Iuliani. Inquit Vlpianus, Ille ait, *ciuilem incerti actionem, id est, præscriptis verbis, sufficere: esse enim contractum, quod Aristo συνάλλαγμα dicit, vnde hæc nascitur actio.* In his verbis notandum est poni decisionem & rationem decidendi. Decisio est, sufficere incerti actionem, id est, præscriptis verbis. Cur vocetur actio siue condictio incerti, & cur vocetur præscriptis verbis, suprà expositum fuit. Ait, *Sufficere*, vt indicet non esse confugiendum ad actiones subsidiarias, quales sunt actiones in factum à Iuliano datæ, cùm habeamus actionem subsidiariam, id est, præscriptis verbis, qua debemus esse contenti. Quòd ad rationem decidendi attinet, notandum est, eam non indicari particulâ *Vnde*, sed particulâ *Enim*: alioquin sequeretur absurditas, vt supr. monui. Non est igitur hæc Mauritiani ratio; est contractus: ergo nascitur actio præscriptis verbis: ne quis eod. modo argumentetur de contractu facio vt des, vt quo diximus non agi præscriptis verbis, sed ratio ita cõcipitur. Rectè diximus sufficere actionem præscriptis verbis: quoniam propositus contractus talis est, vt hanc actionem pariat, quasi dicat Vlpianus, ideo in specie propositæ datur tibi actio præscriptis verbis: quoniam ex vtroque latere est contractus aptus ad hanc actionem pariendam: hoc est, ex vtroque latere est contractus do vt facias, non autem ex parte mea, do vt facias, ex parte tua facio vt des, vt olim Iulianus & Bartolus existimarunt.

Ad §. Si ob maleficium.

CVm dictum fuerit, obligationem ciuilem & actionem oriri ex conuentione, quæ causam adiunctam habet: nunc Vlpianus addit exceptionem, nisi ea causa iniusta siue turpis sit, quo casu nulla est obligatio. Pro interpretatione huius §. duo notanda sunt, id est, qualis sit proposita conuentio, sitne pactum nudum, an stipulatio: & sitne turpitudo ex vtraque parte, an ex parte solius stipulantis. Vt incipiam à posteriori quæstione sciendum est duplicem esse lectionem huius contextus: nam Florentiæ legitur, *Si ob maleficium ne fiat*, vulgata autem lectio est, *Si vt maleficium fiat.* Ergo secundum lectionem Florentinam turpitudo est ex parte solius stipulantis, veluti si quis ita stipuletur, *dabis mihi decem, ne te occidam? dabis mihi decem, ne furtum faciam?* secundum vulgatam autem lectionem turpitudo est ex parte vtriusque, veluti, *dabis mihi decem, vt Titium occidem? dabis mihi decem, vt famosum libellum edam?* Vtraque lectio sustineri potest: quia vtroque casu verum est, non nasci obligationem, ne quidem naturalem: quoniam naturâ æquum non est, vt quis spe præmij ex conuentione consequendi inuitetur ad delinquendum. Quod igitur ad petitionem denegandam, par est vtriusque speciei ratio, sed in soluto repetendo non est par ratio: vbi namque solius stipulantis turpitudo est, si promissor ei soluerit, habet condictionem ob turpem causam, infr. de condict. ob turp. caus. l. 1. in fin. & l. 2. vbi autem vtriusque turpitudo versatur, non datur soluti repetitio, propter illam regulam, quòd in pari causa, & cùm par est turpitudo, melior est conditio possidentis: adeo vt propter turpitudinem omnino denegetur actio, & neque soluendum peti, neque solutum repeti possit, infr. eod. l. 3. & l. penult. Si igitur hic de condictione ob turpem causam ageretur, multùm interesset, vtro modo legeremus tunc contextum, & vtro modo poneremus speciem: sed quia quæstio est de eius, quod promissum fuit, petitione, idcirco, vtrouis modo dicamus, parum interest, cùm vtriusque casus eadem sit decisio. Verumtamen & propter libri Florent. auctoritatem, & vt species magis dubia, proinde elegantior sit, placet mihi illa prior lectio, *Si ob maleficium ne fiat*, hinc intelligamus, non solùm turpitudinem vtriusque partis obstare, quò minùs nascatur obligatio, sed etiam turpitudinem solius stipulantis. Consequenter videamus, vtrùm in specie proposita sit nudum pactum, an stipulatio. Existimo esse stipulationem. Primùm quia exceptio debet esse de regula: atqui regula fuit de contractibus, nimirum, ex contractibus causam habentibus nasci ciuilem obligationem & actionem: ergo etiam exceptio debet esse de contractu, vt de stipulatione, non de pacto nudo: immo si pactum nudum est, vacat causa, vt suprà exposui, & apertiùs intelligetur ex seq. §. hîc autem non loquimur de conuentione, quæ caret causa; sed de ea, quæ habet iniustam causam: ergo de turpi stipulatione, non de pacto. Præterea Vlpianus ait, *Promissum sit*, non ait, *pactum sit*: promissio autem propriè loquendo, refertur ad stipulationem, non ad pactum nudum, infr. de pec. constit. l. 1. §. eum qui. & Institut. de inutil. stipul. §. si scriptum. quia promitto, idem est, quod spondeo: spondere autem est, ad interrogationem respondere, infr. de ædilic. edi. l. sciendum. 19. Denique si ponamus stipulationem, species erit elegans & dubia: si pactum, inepta. Hîc enim, vt ex superioribus, & sequentibus verbis constat, Vlpianus loquitur de ciuili obligatione, & in seq. §. generaliter dicet, ex nudo pacto non oriri obligationem: ineptè igitur in præsentia quæreret, an ex pacto turpi constituatur obligatio, cùm ne ex honesto quidem pacto nasci possit. Sed de stipulatione meritò dubitatur, cùm stipulatio descendat ex iure ciuili, & sit stricti iuris: & sanè videtur dicendum, ex turpi stipulatione oriri obligationem & actionem, &, si non placeat promissorem ex tali causa condamnari, opus esse exceptione. Atque hæc sententia videtur probari per l. pen. infr. de condict. ob turp. caus. vbi qui promisit ob turpem causam, potest ex stipulatione conueniri, & eget ope exceptionis: si verò soluerit, non repetit. Contrarium tamen hîc respondetur, ipso iure non nasci obligationem ex turpi stipulatione: quia generaliter verum est, turpes stipulationes nullius esse momenti, infr. de verb. oblig. l. generaliter. 26. Ad d. l. pen. respondeo per distinctionem. Aut enim promittitur ob delictum commissum, aut ob delictum committẽdum, putà, promitto tibi decem, quia in meam gratiam vulnerasti Titium, vel, promitto tibi decem, vt vulneres Titium. Priori casu competit ipso iure actio, quæ per exceptionem eliditur, d. l. pen. vbi promissum ob causam, debet intelligi ob causam præteritã: hæc enim est propria eius vocabuli significatio: quod verò ob futurã causam datur aut promittitur, id, propriè loquendo, non ob causam, sed ob rem datum dromissúmve dicitur, infr. eod. l. 1. & infr. de condict. indeb. l. damus. 52. Posteriori casu actio ipso iure denegatur, vt hîc, & d. l. generaliter. Differentiæ ratio est perspicua: quia nullo modo vult lex inuitare aliquem ad delinquendum, proinde lex nullo modo confirmat stipulationem ideo factam, vt sequatur postea delictum: hæc autem ratio cessat, vbi delictum iam est commissum; cùm factum, infectum fieri nequeat. Hac ratione scimus pactum ne agatur ex delicto committendo non valere: ne agatur ex delicto iam commisso, valere, infr. h. t. l. si vnus. 27. §. pacta quæ turpem.

Ad §. Sed

Ad §. Sed cum nulla.

POstquàm Vlpianus egit de iis conuentionibus iurisgentium, quæ habent causam, & regulariter pariunt actiones, id est, nisi turpis causa subsit: nunc transgreditur ad alterum suæ diuisionis membrum, hoc est ad eas conuentiones, quæ non pariunt actionem, sed exceptionem: & quemadmodum suprà docuit, contractus parere actionem, quia habent causam: ita nunc docet, pacta non parere actionem, quia vacant causâ: etenim effectus sine sua causa esse nequit. Ait, *Cum nulla subest causa.* Causa non est definienda res, siue factum siue tale quippiam, vt Doctores definiunt: nam stipulatio neque rem, neque factum habet: causam tamen habet, immo etiam contractus, qui nudo consensu fiunt, causam habēt: sed causa est, vt suprà exposui, vis illa à iure actui tributa, per quam actus ille producit ciuilem obligationem & actionem: & dicitur causa per relationem ad effectum: quia est causa obligationis, & actionis. Nec obstat, quod antè dixi, vbi causa iniusta est, non nasci obligationem: nam causa iniusta non est causa: quemadmodum homo mortuus, vel pictus, non est homo. Ait *Propter conuentionem.* Hæc verba dupliciter accipi possunt: quia duplex est significatio particulæ *Propter.* Plerumque significat causam: sæpe tamen accipitur pro iuxta siue prope, vt initio 3. georgic. *Propter aquam*, & alibi sæpe apud bonos auctores. Vtraque significatio potest hoc loco accipi. Nam causa potest dici esse propter conuentionem, id est, iuxta conuentionem, quoniam ei adiungitur, ita vt ipsi conuentioni sit adnexa. Potest etiam particula *Propter* accipi vt causalis: quoniam ideo est causa pariens obligationem & actionem, quia est conuentio. Quod vt meliùs intelligatur, animaduertendum, interdum ex conuentione oriri actionem propter vim illius conuentionis, ita vt propter conuentionem detur actio: interdum verò ex conuentione dari actionem, non propter vim conuentionis, sed propter legis potestatem, ita vt, secundum Bartolum, sit miraculum quoddam iuris: interdum denique actionem non dari. Prima conuentio est contractus: secunda est pactum legitimum: tertia est pactum iurisgentium. Quoniam igitur Vlpianus in præsentia loquitur solùm de conuentionibus iurisgentium, & vult seiungere pacta à contractibus, idcirco rectè ait, *Cùm non subest causa*, ac si diceret, quando non est contractus. Ait, *Non posse constitui obligationem*, subaudi, ciuilem: quomodò etiam suprà hoc vocabulum accipiebat. Nec enim dubiũ est, quin pactum nudum producat naturalem obligationem, vt fuit expositum ad princ. l. 1. Ait, *Igitur nuda pactio.* I. Notandum est, hanc conuentionem, quæ hic vocatur nuda pactio, in sequentibus §§. modò appellari pactum, modò pactum conuentum, modò pactionem: & in l. solent. 15. infr. de præscriptis verbis nominari nudam conuentionem: adeo vt rectè Cuiacius notauerit, hæc omnia idem significare, pactum, pactum nudum, pactum conuentum, pactum & conuentum, pactionem, pactionē nudam, conuentionem, & nudam cõuentionem. II. Notandum, ideo rem quampiam vocari nudam, quòd aliquid ipsi deest, præsertim quia vacat causa. Sic dicitur nuda solutio, id est, sine causa præcedēte, nimirum sine obligatione, propter quam soluendum erat, sup. de eden. l. 6. §. rationem. Item nuda proprietas, id est, sine vsufructu, infr. quib. mod. vsusfr. amitt. l. 2. in prin. nudus vsus, id est, sine fructu, infr. de vsu & habitat. l. 1. nuda ratio, id est, sine causa, nempe cùm quis in Kalēdario scribit aliquid deberi, non adscripta causa obligationis, infr. de pecul. l. non solùm. 49. §. vlt. & de donat. l. nuda. 26. nuda res, id est, sine fructibus & aliis accessionibus, inf. depos. l. 1. §. & ideo. nuda voluntas & nudus consensus, id est, sine vllius rei interuentu, item sine verbis & literis, infr. de rer. permuta. l. 1. §. item emptio. & infr. de penu lega. l. 3. §. vlt. nudum testatoris præceptum, id est, sine causa, quia non est expressa persona, in cuius gratiā te-

A stator id præcepit, infr. de legat. 3. l. filiusfam. 114. §. diui 14. nuda conuentio, id est, sine effectu, C. de his qui ad eccles. confug. l. 6. in princ. nuda conuentio seu nuda promissio, id est, sine pignoribus, sine fideiussoribus, & sine iureiurando, Instit. de satisdat. §. sed hodie. nuda traditio, id est, sine causa seu titulo, infr. de acquir. rer. domin. l. numquam. 31. Sic igitur in præsentia dicitur nuda pactio, quia est sine causa, vt verba Vlp. manifestè ostēdunt. Vnde apparet, omnem pactionem esse nudam, non aliam nudam, aliam vestitam, vt veteres interpretes existimarunt, quia si nuda non est, causam habet: &, si causam habet, non est ampliùs pactum, sed contractus: sed vlterius notandum est, nudam conuentionem accipi tribus modis. I. Dicitur nuda conuentio seu nuda pactio, quia non B habet in se causam: & hæc est idem quod pactum, atque omne pactum est ita cõuentio nuda. Ita accipitur in præsentia nuda pactio, & in d. l. solēt, inf. de præscr. verb. nuda cõuentio. II. Dicitur nuda cõuentio, seu nuda pactio, quæ non solum non habet causam in se, sed etiam non habet causam prope se, id est, cùm pactum nudum per se fit, nec est pars contractus, & in qua significatione non omne pactum est nudum: sed aliud est pactum nudum, aliud est pactum quod inest contractu, & vocatur lex contractus: atque ita hæc duo perspicuè distinguuntur in l. legem. 10. C. h. t. & in l. 1. C. de pact. conuen. appellatur etiam conditio, vt in l. nam & Seruius. 21. infr. de negot. gest. & alibi passim. III. Nuda conuentio dicitur, non quia careat causa, cùm immo in se causam habeat, sed quia fit sine re, ver- C bis, & literis. In qua significatione emptio & venditio, & alij contractus, qui nudo consensu constant, dicutur nudæ conuentiones, infr. de rer. permuta. d. l. 1. §. item emptio. Ait, *obligationem non parit.* Hic quoque obligationem ciuilem intelligit, ex qua agi possit. Quidam hic excipiūt pacta legitima, quoniā ex his datur actio, supr. l. prox. Sed non cōmode affertur hæc exceptio, cùm omnis exceptio debeat esse de regula, nostra autem exceptio sit de pactis iurisgen. de quibus solis hac l. tractatur, cùm de legitimis dictum fuerit in l. præced. Præterea secundū Doct. & secundum receptam consuetudinem, excipienda sunt pacta mercatorum, qui hoc iure inter se vtuntur, vt ex nudis pactis actiones competant. Postremò multi putant hanc regulam procedere iure ciuili, non iure pontificio: D quia ius pontificium vult omnia pacta seruari. Sed hæc sententia sine dubio est falsa: quoniam eo iure non oritur actio, sed tantùm censura ecclesiastica, extr. h. t. c. 1. censuræ autem ecclesiasticæ appellatione non continetur actio, sed interdictum, suspensio, & excommunicatio, extr. de verb. signif. c. quærenti. Nec obstat c. 3. extr. eod. vbi dicitur, *Studiosè agendum, vt ea, quæ promittuntur, opere compleantur.* Nam ibi verbo *agendum* non significatur actio, sed cura & diligentia & studium, vt manifestiùs apparebit, si quis hoc cap. conferat cum cap. 3. eod. tit. in prima compilatione, vnde quibusdam detractis, sumptum est: hæc enim si adhibeantur, quæ à compositore decretalium detracta fuerūt, facilè intelligetur verum esse, quod dixi, *pacta præstentur.* Illis enim verbis non potest intelli- E gi actionem dari ex pacto: nam etiam prætor in edicto iubet pacta seruari, inf. h. t. §. ait prætor. nec propterea dat actionem ex pacto. Præterea notum est, non induci correctionem legum, seu nouum ius ex huiuscemodi generalibus verbis.

Ad §. Quin immo.

HIc §. cohæret postremis verbis §. præced. & supplet id quod deest in diuisione cõuentionū iurisgentiū sup. allata: dictū enim fuit aliàs parere actionē, alias exceptionem, id est, ex contractibus oriri actiones, ex nudis pactis exceptiones: nūc addit Vlp. etiam ex nudis pactis formari actiones. Tres sūt præcipuæ partes huius §. in prima generaliter traditur id, quod dixi: in secūda & tertia distinctiùs

id explicabitur. Diſtinguit enim I. C. inter actorem, & reum: ac docet in ſecunda parte, quæ incipit in verſ. ſed hoc. quomodò pacta inſiot ex parte actoris: poſtremò in tertia parte, id eſt, in verſ. ſed ex parte. docet quomodò inſinit ex parte rei. Ait in prima parte. *Quin immo interdum format ipſam actionē.* Pro interpretatione huius partis, primò quæro, quid ſit id, quod format actionem. Neceſſe eſt id repetere ex præcedētib. Id igitur format actioοē, quod proxime dictū eſt nō parere obligationē, ſed exceptionē, id autē dicebatur eſſe nuda pactio: perſpicuum igitur eſt, nudā pactionē formare actionē. Atqui pactio, quæ actionem format, ſine dubio ineſt contractu, vt ex ſeq. verbis planū fiet. Ergo nuda pactio eſt etiam ea, quæ ineſt cōtractu: & fallūtur plerique Doctorū, qui tradūt pactū veſtiri cohęrētia contractus. Sed videtur obſtare l. legē. 10. C. h. t. & l. 1. C. de pact. conu. vbi pactū nudu diſtinguitur ab eo quod contractu ineſt. Solutio patet ex iis, quæ notaui ſup. nimirū pactū nudū ſeu pactionē nudā eſſe verbū homonymū; & interdum dici nudū, quia non habet in ſe causā; interdū quia nec habet in ſe, nec iuxta ſe. In priori ſignificatione omne pactū dicitur nudum, vt hîc: in poſteriori, alia ſunt pacta nuda, alia quæ legem contractib. dant, d. l. legē. & d. l. 1. Secundò quęro, cur I. C. dicat, *Interdū format.* Ea particula indicat nō sēper nec regulariter actionē formari à pacto, ſed tātùm quibuſdā caſib. ſpecialib. qui mox explicabuntur. Atque hæc videtur eſſe ratio, cur in princ. huius l. Vlp. omiſit hūc effectū, id eſt, informationē actionis, ac tantummodò poſuit duos illos conuentionū effectus, id eſt, productionem actionis, & exceptionis: nimirum quia reſpiciebat ad id, quod regulariter cōtingit. Ne quid tamen deſiderari poſſit, & vt ſciamus eſſe interdum & alium effectum conuentionū, qui in actionib. formādis cernitur, idcirco I. C. id in præſentia declarat. Tertiò quęro, quomodò pactū formet actionē. Accurſius ait hāc informationē eſſe duplicē. Primum enim ex pacto fit, vt id in actionē veniat, quod aliàs nō veniret. Exēpli cauſa pactum poteſt efficere, vt in actionē ex vendito non tātum veniat pretiū in pecunia numerata conſiſtens, ſed etiā factū aliquod, puta inſulæ refectio, aut fūdi venditi locatio, inf. de act. empt. l. 6. §. 1. & C. de pact. inter empt. l. 2. Deinde ait Accurſ. pactum efficere, vt actio, quę ſecūndū ſuam naturā eſt bonę fidei, euadat ſtricti iuris. Hoc autē ſic probat: Supponit actionē ex empto vēdito eſſe bonæ fidei, & actionē præſcriptis verbis eſſe ſtricti iuris: quas ſuppoſitiones veras eſſe non dubito. His ſuppoſitis, addit Accurſ. regulam, quod actio acceſſoria ſequitur naturā principalis, infr. ſi quis cautio. l. ſi cum. 10. §. vlt. Deinde ait, propter pactum fieri, vt actio ex empto vendito accedat actioni præſcriptis verbis per l. Labeo. 50. inf. de contrah. empt. & l. 2. C. de pact. inter empt. Vnde colligit actionē ex empto tūc ſequi naturā actionis præſcr. verbis: conſequenter ex bonæ fidei actione fieri actionē ſtricti iuris. Hāc Accurſ. ſententiam Bart. rectè repudiat, quòd ad poſteriorē informationem attinet: nam prior veriſſima eſt. Quòd enim in caſu propoſito non ſit actio ſtricti iuris, ſed bonæ fidei, ex eo patet, quòd in eam veniunt etiam fructus, C. h. t. l. 2. qui alias non veniterit in actionem ſtricti iuris, infr. de vſur. l. videamus generali. 38. §. ſi actionem. Argumētum verò Accurſij retorqueo: quia in ſpecie ab eo propoſita, in qua concurruut actio ex empto vendito, & actio præſcriptis verbis, non accedit actio ex empto actioni præſc. verbis: ſed è contrario hæc illi accedit: quandoquidē non cōtractus pacto, ſed pactū contractui accedit: neq; contractus pacti, ſed pactū contractus pars fieri dicetur: ergo è cōtrario dicēdum eſt, quāuis actio præſcr. verbis regulariter ſit ſtricti iuris, tamen in caſu propoſito eam eſſe bonæ fidei, propterea quòd datur ex contractu bonæ fidei, & accedit actioni ex empto, quæ eſt bonæ fidei. Quartò quæro, an pactum non ſolùm formet actionē ex contractu competentem, ſed etiā pariat nouam actionem. Vlp. hoc loco vi-

A detur perſpicuè oſtendere non naſci actionē ex pacto, ſed tantùm formari. Coniungatur enim initium huius §. cum fine §. præced. cui cohæret. Ait Vlp. pactum nudum non parere actionē, ſed tantùm parere exceptionē, immo interdū etiam formare actionē. Ergo non cortigit id quod dixit, pactum non parere actionē, nec alios effectus pacto tribuit, quàm vt pariat exceptionem, vel formet actionē. Sed in contrariū primò adduci poteſt l. in bonæ fidei. 14. C. h. t. vbi aperte dicitur, ex pacto actionem cōpetere, & loquitur ea lex de pacto in continēti adiecto contractui bonæ fidei, de quo pacto nos quoq; in præſentia quærimus: ex hoc igitur pacto actio naſcitur, quemadmodum naſci dicitur etiam ex pacto legitimo, ſup. l. prox. Pręterea ſupr. oſtendi actionē pręſcr. verbis cōcurrere cum actione ex empto vēdito: atqui actio præſcr. verbis nō poteſt naſ-

B ci ex contractu emptionis & vendit. Ergo naſcitur ex pacto emptioni & vend. adiecto. Quòd autē naſci non poſſit ex ipſo contracto emptionis & venditionis, probāt Doct. per l. quoties. 21. infr. de præſcr. verbis. Ex qua l. colligunt actionē præſcr. verbis eſſe ſubſidiariā, proinde non poſſe dari ex contractu, ex quo eſt actio ordinaria empti vēditi. Sed falſum eſt, actionem præſcriptis verbis eſſe ſubſidiariam: neq; id probatur, per d. l. quoties. quæ poteſt cōmodè intelligi de actione in factum prætoria, non de actione præſcriptis verbis, ſupra autē oſtendi action. præſcript. verbis non ſolùm dari, vbi deeſt actio ſpecialis & nominata, ſed etiam vbi alia actio cōpetit, ſi qua dubitatio eſſe poſſit, vt obſcurum ſit, quænam actio competat: immo oſtendi generaliter poſſe agi actione præſcr. verbis cum ex contractu aliquo petitur incertum: quemadmodum

C generaliter poteſt agi certi condictione, quotieſcumque certum petitur. Ergo in ſpecie controuerſa actio præſcr. verbis concurrit cum actione ex empto vendito, nō quia hæc oriatur ex contractu, illa ex pacto; ſed quia idē contractus ex ſua natura producit actionem empti vēditi, & quatenus eſt informatus pacto, ita vt ob eam nouā informationē videri quodāmodò poſſit alius contractus, producit actionē præſcr. verb. vt actor tutiùs agere poſſit, nec ei controuerſia fiat, quaſi non idoneā actionem intētauerit. Deniq; etiam dicamus pactum emptioni & venditioni appoſitum parere actionem præſcriptis verbis: tamen quia fateri cogimur illud pactum eſſe partem contractus, & ob id parere actionem; conſequenter fateri etiam cogimur, ex ipſo contractu, cuius pactum eſt pars, actionem oriri. Tota igitur difficultas conſiſtit in cōciliatione huius loci, & d. l. in bonæ fidei. Ego puto duob. modis poſſe

D hæc loca conciliari, & propoſitam quæſtionem diſſolui. I. Modus eſt, ſi interpretemur d. l. in bonæ fidei. vt dicat actionem competere ex pacto, id eſt, ex vi pacti, vt particula *ex*, non ſignificet materiam ex qua oriatur pactio, ſed cauſam, propter quam contractus actionem parit. Actio igitur competit ex pacto, id eſt, ex vi pacti ſeu propter pactum naſcitur ex contractu. Alter modus eſt, vt dicamus, pactum aliquo modo parere actionem: non tamen per ſe & immediatè, ſed quatenus format contractum, ex quo contractu ita formato naſcitur actio. Ergo Vlpianus in præſentia reſpiciēs ad cauſam proximam, & immediatam, & per ſe ſufficientem ad producendam actionem, negat ex pacto naſci actionē: Imperator autem in d. l. in bonæ fidei. reſpiciens ad cauſam remotam, &

E intelligens actionem oriri ex contractu, quatenus cōtractus ille eſt informatus à pacto, rectè ait ex pacto actionem competere tamquàm ex prima & remota cauſa. Hęc poſterior ſolutio mihi ſatisfacit: & eſt etiam ſuprà dictis conſentanea: quia pactum parit actionem, non quatenus pactum eſt, ſed quatenus informat contractum, & fit pars contractus. Ex his, quæ modò expoſui, patet reſponſio ad quintā quæſtionem, vtrùm pactū informet tātum actionem, an etiam contractum, cui adiectum eſt: nec eſt dubitandū, quin formet etiam contractum. Sicut enim dicitur

formare

formare actionem,quia facit in eam venire, quod aliàs non veniret,vt antea exposui : ita etiam dicendum est, formare contractum , quia facit ex ea nasci actionem maiorem vim habentem,quàm aliàs haberet:& præterea facit,vt competat etiam noua actio,veluti præscriptis verbis,vt paulò ante docui. Non obstat , quod Vlpianus in præsentia id omisit : quia in præsentia respicit tantùm ad actiones, & exceptiones : sed paulò pòst expressè dicet pactum dare legem contractui.

Deinde ait Vlp. *Vt in bonæ fidei iudiciis.* Quæro , cur loquatur de iudiciis,non specialiter de contractu, cùm d. l. in bonæ fidei. nominatim loquatur de contractu. Deinde quæro,cur restringat hanc sententiam ad contractus seu iudicia bonæ fidei,quod perinde valet, ac si quærerē,an idem dicendū sit de pactis appositis cōtractibus stricti iuris, seu de iudiciis stricti iuris. Ad B priorem quæstionem respondeo, Vlpianū voluisse vti verbo generali , vt ostenderet hæc obtinere,non solùm in contractibus,sed etiam in quasi cōtractibus,vnde mox cōsiderabit etiā exemplū quasi contractus,id est,tutelę.

Quod ad posteriorem quæstionem attinet,varię sunt Doctorū sententiæ. Nam alij nullum discrimen statuūt inter iudicia bonæ fidei,& iudicia stricti iuris:alij verò discrimen ponunt,& rursus hi inter se conueniūt.Cùm enim dicat Vlp. pacta inesse iudiciis bonæ fidei,tam ex parte actoris,vt valeant ad agēdum,quàm ex parte rei, vt valeant ad liberandum; nonnulli dicunt , in iudiciis strictis secus esse,id est , pacta non inesse , nec ex parte actoris,nec ex parte rei. Alij verò,vt Accursius,inquiūt, inesse ex parte actoris,nō ex parte rei.Alij,vt Cuiacius, dicūt ē cōtrariò inesse ex parte rei,non actoris.Vt pau- C cis agam , postremā hanc sententiam verissimam puto. Primùm enim,quòd discrimen sit ponendū inter iudicia bonæ fidei,& iudicia stricta, Vlp. in præsentia satis ostendit per argumentū à cōtrario sensu.Quorsū enim regulā suam restringeret ad iudicia bonæ fidei, si idem dicendum esset de iudiciis strictis? Quòd autē pacta in iudiciis seu contractibus stricti iuris insint ex parte rei, traditur apertissimè à Paulo in l. lecta. 40. infr. de reb. cred. Quòd verò non insint ex parte actoris, probatur primùm ex eo,quod nulla lex afferri potest, in qua tradatur inesse pactū ex parte actoris in cōtractu stricti iuris.Nec obstat l.petēs.27.C.h.t.qua nonnulli mouētur: ibi namq; nō dicitur agi ex pacto stipulationi adiecto, sed ex stipulatione pactū confirmante, vt & in §. quod, fere. infr. h. l. Non dubium autem est,omnes conuen- D tiones , siue nudas siue non nudas posse confirmari stipulatione,& ex ea stipulatione posse agi. Sed aliud est agere ex stipulatione pactum confirmante , quo casu idem est tenor stipulationis , & pacti : aliud verò est,si quis dicat agi ex pacto stipulationi adiecto , quo casu pactū aliquid addit stipulationi.Præterea si pactum inesset etiam ex parte actoris,iam nulla esset differētia inter iudicia stricta,& iudicia bonæ fidei,cuius contrariū modò ostendimus.Deniq; quod ad cōtractus stricti iuris attinet, cùm tantùm respiciamus pacta iis inesse ex parte rei , non debemus temerè dicere etiam ex parte actoris inesse,& ad agendum valere. Nam argumētum à reo ad actorem,& à liberatione ad obligationem non valet : quandoquidem reus actore, infr. de diu.reg.iur. l.fauorabiliores.158.& liberatio obligatione fauorabilior est,infr.de obligat.& act. l. Arrianus.47. Ait , *Sole-* E *mus dicere.* Hæc verba indicant afferri regulam iuris : id enim solemus dicere , quod plerúq; seu regulariter dicimus. Ait , *Pacta conuenta.* Suprà vocauit pactiones nudas,mox vocabit simpliciter pacta. Dicuntur autem pacta conuenta,quia sunt nudę conuentiones.Etenim, vt suprà fuit expositum,in pacto nihil aliud est , quàm conuentio:in contractu autem est conuentio, & causa. Ait,*Inesse bonæ fidei iudiciis.* Dicuntur etiam inesse bonæ

A fidei contractibus,id est,esse partes contractuum,ita vt valeant iure ciuili,non minùs quàm contractus : quia dum lex xij.tabular. confirmauit contractus,confirmauit omnes partes contractuum ; proinde etiam pacta, quæ contractibus insunt : non quod confirmauerit ea pacta per se , sed merito contractuum , qui à pactis informantur. Dicuntur autem inesse bonæ fidei iudiciis, quia vim suam exerunt ipso iure : quod non ita est in iis,quæ dicūtur fieri ope exceptionis,vt in iudiciis strictis. Vnde cùm olim peterentur formulæ à prætore, non erat opus id petere,quod ipso iure inest,sed ea tantùm,quæ non insunt , vt paulò clariùs exponam ad pr. §.seq.id est,ad verbum *exceptiones.*

Ad Vers. Sed hoc.

B Exposita est prima pars §. sequitur secunda , in qua Vlp. traditā anteà regulam limitat ex parte actoris: nā de reo dicetur in tertia parte §.Quod ergo ad actorem attinet , ostendit Vlpianus,vt pacta insint contractibus seu iudiciis,non sufficere, si ponātur iudicia bonæ fidei : sed vlteriùs requirit, vt pacta illa sint facta in continenti:adeo vt ita distinguamus; Pactum in continenti factum inest contractu bonæ fidei ex parte actoris,& valet ad agendū : pactum autem ex interuallo factū non inest ex parte actoris,id est,non valet ad agendum. Prioris mēbri exemplum est , si quis vendat fundum(exēpli gratia)centū aureis,& in continenti paciscatur cum emptore,vt pro se eat Romam:poterit enim actione ex vēdito vel actione præscr.verbis vrgere emptorem,vt Romā eat,infr.de cōtrah.empt. l.Labeo.50. & C.de pact.int.empt.l.2.quia de eo pactus est in con- C tinēti,ita vt pactū illud sit pars contractus. Posterioris mēbri aliquot exēpla proponuntur in cōtextu ab Vlp.

Sed videamus,quid sit in cōtinenti,vel ex interuallo. Quod Vlp.in præsentia inquit,*In continenti,* paulò pòst dicet *in ingressu contractus* , quæ verba obscura sunt , & magnā pepererūt difficultatem, atq; opinionū diuersitatem.Pleriq; interpretantur *in ingressu*,id est initio cōtractus;secundū quam interpretationē non desunt, qui asserant pactū contractui perfecto confestim adiectum non inesse,quia non est factū in ingressu cōtractus,sed post perfectū contractum.Verùm hæc sententia manifestè falsa deprehenditur ex l.lecta.40.infr.de reb.cred. vbi pactū stipulationi inest,cui perfectę subiūctū est in continenti. Accursius ita accepit verbū *in ingressu* , sed addit idem dicendū esse,si pactū fiat in egressu contra- D ctus,vel in ipso contractu.Sentētia Accursij per se considerata sine dubio est vera, sed non videtur conuenire verbis Vlpiani,qui ait ea demum pacta inesse cōtractu, quæ legem contractui dant,id est,quæ in ingressu contractus facta sunt.Ex quib.verbis videtur colligi,ea,quę nō sunt facta in ingressu cōtractus,non inesse,nisi cum Duareno accipiamus articulū *id est*,pro veluti,vt exēpli tantùm causa dicatur in ingressu contractus, quam interpretationē, ne videatur nuua & absurda , confirmat Duarenus à similib.locis,vbi accipitur,*id est*,pro veluti, vt in §.pacturum.infr.h.l.& in l.2.infr.de public.iudic. Hæc Duareni interpretatio retineri commodè potest. Mihi tamen magis placet expositio Ferretti, qui interpretatur *in ingressu contractus*,hoc est,dum contrahitur, siue(vt in scholis loquuntur) dū contractus est in fieri: dicitur autē ingressus cōtractus,quia contract⁹ ingreditur siue ambulat,inf.de minor.l.sed vbi.15.quemadmo- E dū & obligationes dicuntur ambulare, inf.de cap.min. l.tutelas.7.§.iniuriarum.item voluntas testatoris,inf.de adim.lc.l.4.& possessio, inf.de pet.hered.l.sed & si 6.§. proinde.Quod autē Alciat.ait,ingressū cōtract⁹ significare materiā cōtractui propositā , planè videtur absurdum:& indignū quod plurib. refutetur.In summa cùm in continēti siue ex continēti,& ex interuallo opponātur inter se , ac certi iuris sit , pactum inesse contractu

non solùm si initio fiat, sed etiã si postea subiiciatur, vt paulò antè ostendi: apparet, pactum illud fieri in continenti, & contractui inesse, siue esse partem contractus, intra quod, & contractum, nullum est temporis interuallum: ita vt siue pactum fiat, & confestim sine interuallo adiiciatur contractus; siue priùs contractus fiat, & confestim adiiciatur pactum; siue contractus fieri incipiat, &, antequam perficiatur, pactũ inferatur, semper dicamus pactum esse factum in continenti, & inesse contractu.

Ait, *Pacta subsecuta sunt*. Hæc verba confirmãt quod suprà dixi, pacta inesse contractu, non solùm si ab initio fiant, sed etiam si contractum perfectum non interiecto vllo temporis spacio sequantur, vt in specie, d.l. lecta. Ait, *Ex parte actoris insint*, id est, sint partes cõtractuum, & valeant ad agendum, tamquam confirmata iure ciuili. Ait, *ex interuallo*, id est, si post aliquod tẽpus, ex quo fuit contractus perfectus, subiiciantur pacta conuenta. Ait, *Non inerunt*, id est, non intelligentur esse partes contractus respectu actoris; quia non poterit actor id petere, de quo conuenit. Ait, *Si agat*. Idem pactum valere poterit, si excipiat, infr. de rescind. vendit. l. 3. Nec est nouum, vt pactum, quod non prodest agenti, prosit eidem excipienti: hoc enim contingit etiam in specie tractata à Papiniano in l. pacta conuenta. 72. infr. de contrah. empt. exempli gratia, pactum vt emptor aliquid præstet venditori, si contractui non inest, non valebit ad agendum, sed ad excipiendum, id est, venditor non poterit id petere, nec actione ex vendito nec actione præscriptis verbis: sed si ipse conueniatur ab emptore actione ex empto, rectè opponet exceptionem pacti, adeo vt emptor exceptione submoueatur, nisi pacti fidem præstet.

Ad vers. Vlpianus post diuortium.

QVod proximè Vlpianus dixit, pacta ex interuallo facta, nõ inesse ex parte actoris, quamuis subiecta sint contractui bonæ fidei, id declarat tribus exemplis: quorum primũ quod proponitur hoc vers. tale est. Mulier viro dotem dedit, nec de tempore eius restituendæ quicquam pacta est: postea matrimonio per diuortium soluto, cùm posset statim dotem repetere. (olim enim soluto matrimonio dos reddebatur annua, bima, trima die; hodie verò à Iustiniani constitutione immobilia quidẽ redduntur statim, sed mobilia intra annum, C. de rei vxor. act. l. vn.) pacta est cum marito quondam suo de dote statim reddenda, quæritur, an statim possit dotẽ petere ex vi dicti pacti, atque adeo ante diem lege statutum. Vlpianus respondet, agi non posse, propterea quòd pactum ex interuallo factum non parit actionẽ: tale autem est pactũ propositum, quandoquidẽ factum est post diuortium; & ideo ponitur pactũ factum post diuortiũ, vt certius intelligatur factũ esse ex interuallo; quoniã ante nuptias & stantibus nuptiis dos constitui & augeri quoq; potest, & diuortium quoq; est contractus quidam, infr. de iudic. l. si vxor. 42. Cùm igitur post diuortium mulier pepigerit, omnino constat eam post contractũ ex interuallo pactã esse. Sed videamus quænam videantur huic decisioni officere. Leuis obiectio erit, si dicas valere pacta, quæ fiunt in fauorẽ dotis non contra dotem, infr. de pact. dotal. l. de die. 14. hîc autem propositũ esse pactum, quod fauet doti, vt citiùs repeti possit. Non enim quæstio est, an pactum valeat, sed an pariat actionẽ. Nec dubitari potest, quin pactũ propositum valeat, tamquàm pactum, id est, naturalem obligationem producat: sed tantùm quæritur, an etiã actionem pariat. Longè difficilior est obiectio si quis dicat, statim soluto matrimonio natam esse actionẽ de dote, vt videtur probari l. pen. §. omnis. C. de iur. dot. l. & l. 7. §. illud. C. de præscr. xxx. vel xl. annor. Nam hoc concef-

A so, & decisio & ratio Vlpiani praua erit: quia non dicemus nasci ex pacto actionem, cùm ante pactum iam sit nata actio: verùm pactum ad replicationẽ proderit: ita vt mulier dotem statim repetat, quippe quæ actionem habet, maritus autem excipiat, quòd à lege dilationem habet, mulier verò replicet ex cõuentione & pacto, cum quo concurrit replicatio doli: dolo enim facit maritus nolens dotem reddere, quo tempore se redditurum pactus est. Quod autẽ nunc dixi de proposita specie, id est, de dote ante diem statutum repetenda, idem dici aut quæri potest de omnib. obligationib. in diem contractis. Itaq; incidimus in illam quæstionẽ, an actio nascatur ante diem, quotiescumq; obligatio in diem concepta est. In qua quæstione cùm sint opiniones cõtrariæ,
B veriùs puto, ante diem natã quidem esse obligationem, non tamen actionem, quod mihi videtur significari in l. cedere diem. a 13. infr. de verb. sign. & in §. omnis. Inst. de verb. oblig. quibus in locis distinguitur inter obligationem purã in diem, & conditionalẽ. Cùm enim pura est obligatio, res statim debetur, & statim peti potest: proinde dies statim cedit, & statim venit, hoc casu statim nascitur obligatio & actio: quia propter obligationem res debetur, & per actionẽ peti potest: cùm autem obligatio est in diem, dies statim cedit, quia res statim debetur, id est, cõfestim nascitur obligatio: sed non statim dies venit, quia non potest antè diem peti, id est, non nascitur ante diem statutũ actio. Deniq; cùm obligatio est conditionalis: dies neq; cedit, neq; venit ante
C conditionem impletam, id est, nec debetur res, nec peti potest: seu, nec obligatio nec actio nata est. Eandẽ sententiã Vlpianus in præsentia perspicuè confirmat. Adeo enim putat verum esse, quod diximus, non nasci actionem ante diem, vt ne quidem pacto expresso adiuncto fieri possit, vt ante diem nascatur: & apertè indicat, quòd si actio ante diẽ nasceretur, nõ nasceretur ex contractu in diem cõcepto, sed ex pacto puro, quod postea subsecutum est. Confirmata vera sententia, superest, vt respõdeamus ad ea, quæ videntur obiici posse. l. Videtur officere d.l. pen. §. omnis. C. de iur. dot. & l. 7. §. illud. C. de præscr. xxx. vel xl. ann. quibus locis dicitur, actionẽ de dote nasci soluto matrimonio, siue morte, siue di-
D uortio solutum fuerit. Respondeo, illis verbis hoc tantùm significari, nasci actionem post solutum matrimonium, non constante matrimonio, non tamẽ nasci statim soluto matrimonio. Quod vt clarius intelligatur, animaduertendum est, quæri in iis legibus quando præscriptio currere incipiat contra mulierem, vel aliã personam, cui debetur aliquid in diem, & in d. §. omnis. respondetur per distinctionẽ. Etenim si maritus sit inops, quia mulier stante matrimonio potest petere dotem, consequẽs est, vt etiam stante matrimonio, ex quo scilicet maritus cœpit esse nõ soluendo, currat præscriptio contra mulierẽ: aliàs autẽ vbi maritus est locuples, non incipit currere præscriptio cõtra mulierẽ, nisi post matrimonium solutũ, subaudi, suo tẽpore: quia nõ nisi post solutum matrimoniũ datur dotis repetitio: ergo lex nõ
E ponit quæstionem de eo tempore, quod confestim sequitur solutum matrimoniũ, vel ex vnius anni aliòve interuallo: sed quærit de matrimonio stãte, vel soluto: & docet, regulariter dotem repeti, non stãte, sed soluto matrimonio: vtrùm autẽ statim soluto, an post aliquod tẽpus, nec lex quærit, nec decidit. Eadem est ratio dicti §. illud. vbi obligatio dotis restituendæ cõparatur aliis obligationib. in diem: & generaliter traditur, quoniam ante diem agi non potest, consequenter ante diem non currere præscriptionem, cùm ei negligentia non possit opponi, qui agere nõdũ potest. Præterea videtur nostræ sententiæ obstare contex. in l. vn. in fi. inf. quan. dies vsusfr. legat. ced. vbi Vlp. discrimen statuit inter vsumfructum debitum ex die, & alias obligationes in diem contractas:

contractus: quoniam petens vsumfructum, nihil agit; aliam verò rem ante diem petens, malè agit. Ex quibus verbis videtur colligi, speciale esse in vsufructu, vt actio ante diem non nascatur; & ideo petēs nihil agat, quia sine actione experitur contra vulgatam regulam, nemo sine actione experiri potest: qui verò aliam rem petit, non prorsus nihil agat, sed malè agat, quasi habeat quidem actionem, sed eam exercere nondum debeat. Respondeo, discrimen inter vsumfructum, & res alias, sic esse intelligendum, quod aliæ res ante diem debentur, quamuis ante diem peti non possint, d. l. cedere diem. vsusfructus verò ante diem non solùm non potest peti, sed etiam prorsus non debetur; quia in vsufructu speciale est, vt dies statum non solùm non veniat, sed etiam non cedat, vt ipse Vlpianus disertè in d. §. vlt. d. l. vnic. ait. Ergo qui vsumfructum petit, nihil agit, quia petit, quod non debetur: qui verò aliam rem ante diem petit, is malè agit: quoniam ante diem agit; non tamen nihil agit, quia rem debitam petit.

Ad vers. Idem Marcellus.

SEquitur alterum exemplum, in quo pactum non valet ad agendum, licèt adiunctum sit obligationi bonæ fidei, id est, obligationi tutelæ. Proponitur ergo pactum factum in tutelæ actione: quod verò Ferrettus & Baro sic interpretantur, id est, in tutelæ administratione, vt sensus sit, tutorem, dum administrabat tutelam, pactum esse de maioribus vsuris pupillo suo præstandis. Sed alij longè rectius interpretantur *in tutelæ actione*, id est, postquàm tutela finita est, quemadmodum in superiori specie pactum fiebat post matrimonium diuortio solutum: tutelæ namque actio tum demum nascitur, cum tutela finita est, infr. de tut. & ratio. distrah. l. 1. §. vlt. Ponimus autem pactum esse, vt tutor pupillo maiores vsuras præstet, quàm iure statutæ sint, putà vt præstet vsuras centesimas, cùm teneatur regulariter semisses præstare: centesimas enim tutor non debet, nisi cùm pecuniam tutelarem in vsus suos conuerti:, infr. de negot. gest. l. qui sine. 38. Quæstio igitur est, an pupillus propter illud pactum possit consequi maiores vsuras. Quod prima facie dicendum videbatur, cùm propter æquitatem pactorum, tum etiam propter fauorem pupillaris ætatis. Contrarium tamen respōdetur: quia ex pacto nudo non datur actio: nec dicas posse peti maiores vsuras actione tutelæ: quoniam hæc actio non potest esse informata pacto nudo seorsim & per se facto: quandoquidem factum est ex interuallo, id est, post finitam tutelam, adeo vt contractu, id est, quasi contractu tutelæ non insit.

Ad vers. Idem responsum.

SEquitur tertium exemplum pacti ex interuallo secuti contractum bonæ fidei, nempe contractū emptionis & venditionis. Quod exemplum Vlpianus desumpsit ex Papiniano in l. pacta conuenta. 72. infr. de contrah. empt. ergo ex Papiniano species ita poni debet; Vendidi tibi fundum centum aureis: postea ex interuallo pactus es, vt euictionis nomine tibi caueam datis fideiussoribus, quæritur, an possis me conuenire, atque ita agere ad fideiussores dandos. Papinianus negat: quia non datur ex pacto actio. Cetera, quæ ad huius speciei interpretationem pertinent, verba cōtextus expendentes adnotabimus. Ait, *Idem*, id est, non dari actionem ex pacto facto ex interuallo. Ait, *Responsum à Papiniano*, in d. l. pacto conuenta, id est, in specie, quæ mox subiicitur. Ait, *Extra naturam contractus*. Quod Vlpianus hic vocat naturam, Papinianus in d. l. pacta conuenta. substantiam appellat. Natura igitur, & substantia, & essentia, idem valent, ac distinguit Papinianus inter ea, quæ pertinent ad naturam seu substantiam emptionis & venditionis, & accidentia, quæ vocat ad-

A minicula. Ad substantiam pertinent res quæ venditur, & conuentio de precio: adminicula sunt, sine quibus emptio & venditio potest consistere, vt datio arrarum & fideiussio nomine euictionis. Pactum de substantia contractus factum, putà quod auget, vel minuit precium, omnino inest contractu, si sit contractus bonæ fidei, qui consensu perficiatur, vt docet Papin. in ead. l. pacta conuenta. & nobis quoque declarandum erit ad §. seq. Pactum verò extra substantiam factum, id est, de adminiculis, in præsentia consideratur, & negatur inesse contractu, cùm sit factum ex interuallo. Differentiæ rationem commodiùs exponam ad seq. §. Illud in præsentia notare oportet, quamuis Iureconsulti, vt etiam alij auctores, substantiam & naturam pro eodem accipiant, tamen Doctores nostros commodioris cuiusdam
B distinctionis causa inter hæc duo distinguere, & quatuor membra seiuncta constituere: adeo vt in contractu alia dicantur substantia, sine quibus contractibus esse nequit, vt conuentio de precio pertinet ad substantiam emptionis & venditionis, ita vt ne quidem contrario pacto possit tolli: alia naturalia, quæ tacitè insunt contractu, licèt de eis nihil conuenerit, sed pacto contrario potest effici ne insint, cuiusmodi est obligatio de euictione, qua venditor tenetur, etiamsi de ea non cauerit, dummodò non sit pactus de euictione non præstanda: alia solemnia, quæ præter naturam & substantiam contractus requiruntur à lege, vt decretum prætoris in vendendis rebus minorum: alia denique accidentalia, quæ non insunt contractu, nisi ex vi pacti expressi, veluti emptor non tenetur dare arras,
C venditor non tenetur euictionis nomine dare fideiussores, nisi de eo nominatim conuenerit. Ait, *Ex empto agi non posse, ne ex pacto actio nascatur*. Obserua actionem dici nasci ex pacto, non solùm quando pactum per se producit actionem, vt cùm est pactum legitimum, sup. l. prox. sed etiam cum actio oritur ex contractu informato à pacto: quę adnotatio confirmat ea, quæ à nobis suprà dicta fuerunt, dum asserebamus actionem dici nasci ex pacto, tamquam ex causa remota, quatenus informat contractum.

Ad vers. Quod & in omnibus.

QVod hactenus docuit Vlpianus tribus exemplis, nunc generaliter producit ad omnia iudicia bonæ fidei, vt generaliter sciamus, pactum ex interuallo
D factum, non producere actionem.

Ad vers. Sed ex parte.

HÆc est tertia pars huius §. in qua declarat Vlpian. quæ sit vis pacti ex interuallo, respectu rei, cum in præcedenti parte docuerit, quam vim habeat respectu actoris, id est, suprà docuit, quatenus tale pactum obliget, vel non obliget: nunc docet, quatenus valeat ad liberandum. Et ait, quamuis eiusmodi pactum non pariat actionem, tamen parere exceptionem. Intellige pactum interpositum de minuenda, non de augenda obligatione. Immo & in eo pacto, quod obligationem auget, hoc possumus intelligere, vt in specie à Papiniano tractata in d. l. pacta conuenta. & à nobis quoq; sup. relata. Cùm enim emeris à me fundum, & postea pactus sis, vt tibi fideiussores dem nomine euictionis: non
E potes quidem actione ex empto me cogere ad fideiubendum: sed si à me conueniatis actione ex vendito, non aliter cogeris mihi soluere precium, quàm si de euictione satisdem: quia illud idem pactum, quod tibi non dabat actionem, prodest volenti excipere, quippe cùm natura pactorum generalis hæc sit, vt producant exceptionem, non actionem. Sed & illud notādum est, cùm loquamur de iudiciis bonæ fidei, vt empti & venditi, exceptionem in iudicio inesse, quemadmodum mox ad seq. §. explanabo.

Ad §. Adeo.

CVm in præced. §. docuerit Vlp. pacta ex interuallo facta nō inesse cōtractibus bonæ fidei, nec valere ad agendum, sed tantùm parere exceptiones: nunc vult duo tradere. Primùm vult exceptiones illas inesse iudicio bonæ fidei, adeo vt faciāt paciscentem ipso iure tutum. Deinde vult limitare dictum illud, quod pactum ex interuallo non informet actionem: quia interdum etiam confirmat, & valet ad agendum, nimirum si contractus nudo consensu constet, & pactum factum sit non de accidentibus siue adminiculis, sed de essentia contractus. In summa cùm in præcedenti §. egerit de pactis pertinentibus ad accidentia quorumcumque contractuum, aut quasi contractuum bonæ fidei; nunc tractat de pactis pertinentibus ad essentiam contractuum, qui fiunt nudo consensu: vtrobiq; autem B loquitur de pactis factis ex interuallo. Horum pactorum, quæ in hoc §. explicantur, tres vires declarat. I. Enim in principio §. docet, eiusmodi pacta posse ipso iure tollere totum contractum. II. In vers. si igitur, ostēdit, his pactis posse mutari partem contractus, quo casu dicitur contractus reformari, & quodammodo renouari. Postremo à vers. vnde. vsque ad finem §. docet his pactis posse tolli partem contractus: sunt igitur hæ tres vires: totum contractum tollere, partem cōtractus mutare, & partem contractus tollere. Si quis quærat, cur non addatur quarta vis, vt totus contractus mutetur: responsum accipiet, dum explicabo secundam vim ad vers. vnde. Porrò hæ tres vires commodissimè explicantur ab Vlpiano: quia secunda colligitur ex prima, & tertia probatur per secundam. C Nunc verba primæ partis expendamus. Ait Vlpian. *Adeo autem*, &c. Accurs. malè accipit hæc verba: refert enim ad superiora, vt sensus sit: adeo verum est, quod diximus, pacta producere actiones vel exceptiones, &c. Atqui Vlpianus in præsentia id proponit, quod antea non dixit, immo cuius contrarium dixisse videtur: suprà enim dixit pacta ex interuallo facta non inesse: nunc verò ait, adeo hæc pacta & exceptiones inde ortas inesse, vt constet, &c. Ergo alius est sensus horum verborum, quasi dicat Vlpianus, pacta quidem ex interuallo facta de adminiculis contractuum non insunt: sed quod attinet ad pacta pertinentia ad essentiam contractus, adeo verum est hæc pacta inesse, vt constet, &c. Ait, *Exceptiones*. Cuiacius putat legendum *depectiones*. Ego lectionem Florēt. retineo. D Vtrumque enim commodè dicitur, & pactiones, & exceptiones inesse bonæ fidei iudiciis: de pactionibus hoc dixit Vlpianus in §. præced. illo loco, *Solemus enim dicere pacta conuenta inesse bonæ fidei iudiciis*: de exceptionibus non tantùm id in præsentia habemus, sed etiam in l. 3. infr. de rescind. vendit. vbi hæc sunt verba: *Iulianus scripsit, ex empto quidem agi non posse: quia bonæ fidei iudicio exceptiones pacti insunt.* Videndum igitur est, quæ sit vis huius locutionis, & cur dicantur pacta vel pactorum exceptiones inesse iudiciis bonæ fidei. Quomodo enim dicantur inesse pacta contractibus, suprà exposui: quia scilicet dant formam & legem contractibus, adeo vt fiant pars cōtractus: pars enim est in toto. Quod attinet ad iudicia, necesse est expositionem repetere ex iure antiquo & Romanis antiquitatibus. Constat, olim neminem potuisse agere, quin à prætore impetraret iudicem, & actionem. E Prætor igitur aditus, si iusta litigādi causa videbatur (alioqui denegabat actionem) iudicem litigantibus dabat; qui vocabatur iudex pedaneus, vel iudex datus; nec ius dicendi, sed tantùm iudicandi auctoritatem habebat: ideóque lata sententia definitiua, quæ finem liti imponebat, desinebat esse iudex, infr. de re iudic. l. iudex. 55. nec poterat ipse sententiam suam exequi, sed eam executioni mandabat prætor qui iudicem dederat, infr. eod. l. à diuo Pio. 15. in

A princ. In cognoscendo autem magnum erat discrimen iudiciorum bonæ fidei, arbitrariorum, & iudiciorum stricti iuris. Nā etsi in omnibus hoc obtinebat, vt prætor iudici formulam præscriberet, secundum quam iudicaret: tamen diuersæ erant formulæ, proinde diuersa iudicis potestas. Cùm enim iudicium erat strictum, iudex erat formulæ prætoris plane adstrictus, adeo vt extra eam formulā nō posset rationem habere æquitatis. Etenim sicuti procuratori non licet excedere fines mādati, ita iudici non licebat excedere eos limites, quibus eius auctoritas erat à prætore circumscripta. Itaque si quis (exempli gratia) ageret condictione ex mutuo, formula à prætore ita præscribebatur, *Si paret Titium Maeuio centum mutuò dedisse, condemna iudex.* ac iudicij exitus erat, vt omnino reus cōdemnaretur, si mutuum proba- B tum esset: nec poterat reus se defendere vlla æquitate: putà condemnabatur, etsi pactus fuerat cum creditore, ne à se pecunia peteretur: quia iudex nullam habebat auctoritatem, præter eam, quam ex formula prætoris accipiebat. Si igitur reus volebat vti pacti exceptione, vel alio beneficio; opus ei erat petere, & à prætore impetrare, vt eam in formula insereret, veluti vt suprà scriptæ formulæ prætor adiiceret, *nisi Titius pactus sit de non petendo*: tunc enim iudex, prætore iubente, pacti rationē habebat; neq; reum condemnabat, si pactum probatum fuisset. Alia erat ratio iudiciorum bonæ fidei, & arbitrariorum, in quib. formulæ ita concipiebantur à prætore, vt iudex non simpliciter iuberetur cōdemnare, vel absoluere, sed arbitrio suo rem definire, aut ex fide bona, aut quod æquius melius: vnde conuentus actione bonæ fi- C dei, putà actione ex vendito, poterat opponere actori exceptionem pacti de non petendo, & per eam consequi absolutionem, quamuis eius nulla mentio facta esset à prætore in formula: quia bona fides non patitur vt is condemnetur, qui pactus est, ne à se petatur: similitérque id nō est æquius melius: nec vir bonus ita debet arbitrari. Ex dictis primò licet intelligere, vnde dictæ sint exceptiones, nimirum quia exceptio regulæ opponitur, atque hæ exceptiones actioni quasi regulæ opponuntur. Regulariter enim qui mutuum accepit, cogitur reddere, exceptio ab ea regula est, nisi pactus sit de non petendo. Quare sicut intentio actoris sumitur ex regula iuris, ita rei defensio & allegatio sumitur ex eius regulæ exceptione. Vnde concipiebatur à prætore sub modo & forma exceptionis per eas particulas, si, D nisi, aut si, at si, extra quàm, de quibus Cuiac. lib. 5. obs. cap. 34. II. Ex dictis apparet, cur exceptio dicatur actionis exclusio, infr. de except. l. 2. in princ. nimirū quia vt exceptio elidit regulam, ita etiam actionē: & quemadmodū non potest esse exceptio sine regula, ita etiā vera exceptio non est sine actione, quam excludat. Denique ex dictis colligi potest id, quod proposuimus quærendum, cur dicātur exceptiones inesse bonę fidei iudiciis, non etiam iudiciis stricti iuris. Dicuntur inesse iudiciis bonæ fidei: quia earum ratio habebatur à iudice dato, etiamsi prætor in formula id non expressisset, quia ipsa iudicij natura hanc facultatem iudici tribuebat, & eiusmodi exceptiones tacitè inerant in formula prætoris. Quamuis enim prætor (exempli gratia) nullam pacti mentionem fecisset, tamen eo ipso, quod iudicari iubebat ex fide bona, tacitè iubebat haberi rationem pacti, E quatenus bonæ fidei consentaneum est, vt pacta seruētur. In iudiciis autem strictis exceptiones non inerant, nisi à prætore expresse ponerētur in formula. Vnde verissimum puto, quod Cuiacius notat, addita doli exceptione, id est, inserta in formula prætoris, iudicium, quod erat stricti iuris, effici bonæ fidei, quæ sententia confirmatur l. 3. C. de except. Non tamen idem dicam de exceptione pacti, vel alia simili. Differentię ratio est: quia sicut verba *ex fide bona*, quæ faciebāt iudiciū bonæ

fidei,

fidei, generalia sunt, & in se includunt omnes exceptiones ex æquitate descendentes, ita etiam doli exceptio est generalis concurrens cum omnibus aliis exceptionibus, infr. de doli except. l. 2. §. & generaliter. adeo vt siue prætor dixerit *ex fide bona*, siue generalem doli exceptionem adiunxerit, vtroque casu iudex eorum omnium rationem habere deberet, quæ ex æquitate descendunt, & ex æquitate valent. Quòd si apposuerit prætor exceptionem pacti, vel aliam similem: non dicam esse iudiciũ bonæ fidei: quia iudex non poterit omnium exceptionum rationem habere, nec cuiuscumque æquitatis, vt contingit in iudiciis bonæ fidei, sed exceptionis tantum pacti conuenti. Sed & illud ex dictis potest explicari, quod pertinet ad constituendam differentiam inter ea quæ fiunt ipso iure, & quæ fiunt ope exceptionis, vt putà solutio liberat ipso iure: pactum verò non nisi ope exceptionis. Inter hæc duo igitur duplex est discrimen. Primum solutio liberat iure ciuili, pactum verò beneficio prætoris: deinde iudex quamuis iudicio stricto aditus, putà ex mutuo, tamen solutionis rationem habebat, neque condemnabat reum probantem se soluisse, licèt solutionis in sua formula prætor nullam mentionem fecisset: quia solutio ipso iure parit suos effectus, & liberat debitorem. Alia ratio est pacti, quod non prodest, nisi ope exceptionis, id est, non potest à iudice considerari, nisi prætor formulæ adscripserit illam exceptionem, *extra quam si debitor cum creditore pactus sit de non petendo.* Cùm autem prætor eam exceptionem adhibuit, proinde est, ac si ipso iure liberatio contingeret, inf. de verb. signif. l. nihil interest. 112. Quæri solet, an hodie in nostris foris maneat discrimen inter liberationem ipso iure contingentem, vel ope exceptionis. Doctores hanc differentiam constituunt, (nam veterem sublatam esse constat l. 1. & 2. C. de formul.) quòd liberatio ipso iure contingens prodest, vt reus absoluatur, licèt eam non allegauerit: exceptio verò non prosit, nisi coram iudice allegata. Circa hanc differentiam duo sunt notanda. I. Etiam id quod ipso iure valet, non prodesse, nisi de eo constet iudici quatenus est iudex, id est, nisi de eo ex actis constet: cùm certa sit iuris regula, iudicem nullam auctoritatem habere extra ea, quæ in iudicium deducta sunt, D. commu. diuid. l. vt fundus. 18. II. Notanda exceptio illius vulgatæ regulæ, quod iudex debet iudicare secundum allegata & probata. si quid enim ipso iure valet, secundum id iudicabit, licèt allegatum non fuerit, dummodò in iudicio probatum fuerit. Ait, *Quæ ex eodem sunt contractu*, id est, dantur ex pacto secuto contractum bonæ fidei. Ait *Cæterisque bonæ fidei iudiciis.* Ne intelligas quæcumque iudicia bonæ fidei, sed ea tantum, quæ oriuntur ex contractibus nudo consensu celebratis, & ideo subiicit, *re nondum secuta.* Nam etsi cõtractus nudo consensu constet, tamen si res secuta sit, non potest dissolui nudo pacto, infr. h. t. l. ab emptione. §. 8. Quare similiter si sit contractus re constans, vt depositum, aut commodatum, non poterit dissolui nudo pacto. Quod autem ait *Re non secuta*, id est, re integra, cùm loquatur de emptione & venditione, sic intellige, si nec res emptori sit tradita, nec pretium venditori solutum, d. l. ab emptione, & Instit. quib. mod. toll. oblig. §. vlt. Alia est ratio arrarum, quæ non pertinent ad essentiam contractus, sed tantum sunt adminicula, inf. de contrah. empt. l. pacta conuenta. 72. ideóque datis arris nihilominus res dicitur integra, & contractus nudo pacto poterit dissolui, C. quando lic. ab empt. disced. l. 1. Quod dixi de arris, non est producendum ad instrumentum emptionis & venditionis, quo tradito non est res integra, propterea quod tradito instrumẽto res ipsa tradita videtur, C. de donat. l. 1. Ait, *Posse*

A *abiri ab emptione.* sub ipso iure: nam per pactum ex interuallo potest abiri etiam a contractu stricti iuris, sed ope tantùm exceptionis. Sic si quis rem vendidit, & ab emptore pretium est stipulatus, deinde ex interuallo pepigit vt res sit inempta, actio venditi ei denegatur, actio autem ex stipulatione datur ei cum exceptione pacti, per quam eliditur, infr. de resc. vendit. l. 3.

Ad vers. Si igitur.

EXposita est prima vis pacti ex interuallo secuti contractum consensu celebratum: sequitur altera vis, quæ colligitur ex priori per argumentum à minori ad maius. Minùs enim videtur concedendum, quod pactum tollat totum contractum, quàm quod mutet
B partem: atqui illud pacto fieri potest, quod est difficilius, vt proxime fuit expositum: ergo multo magis hoc, quod est facilius. tale est argumentum, quo Vlpianus vtitur in præsentia. Ait *In totum potest.* Ex proximo repete, *abiri ab emptione*, nudo scilic. pacto facto ex interuallo. Ait *Pars eius*, id est, emptionis. Obserua Iurisconsultum loqui de mutatione partis, non de mutatione totius contractus: quod si fieret, iam non esset pactum nudum, sed esset noua emptio tollens priorem, infr. de rescind. vend. l. 2. & l. 7. quandoquidem contractus emptionis nudo consensu constat. Ait *Pomponius libro sexto ad edictum.* Taurellus notat hanc lectionem suspectam esse, quia Pomponius ad edictum non scripsit. Ergo vel in auctoris, vel in libri nomine est error. Ait, *Quod cùm est, etiam ex parte agentis pactio locum habet,*
C &c. His verbis docet Vlp. ita mutari posse partem contractus nudo cõsensu celebrati, mutari (inquam) pacto ex interuallo, vt illud pactum videatur inesse contractui, & valeat ipso iure, non solùm respectu rei, sed etiam respectu actoris; adeo vt tale pactum non solùm valeat ad minuendam, sed etiam ad augendam obligationem: veluti si pactum sit de minuendo, vel augendo pretio. Ait *Eadem ratione*, id est, eodem argumento à minori ad maius: quod etiam repetitur in seq. verbis, *nam si potest*, &c. Ait *Quodammodo quasi renouatus contractus videatur.* Obserua tres notas improprietatis, *quodammodo, quasi, videatur.* Re vera igitur non est nouus contractus, sed videtur quodammodo nouus: & ita vtitur verbo *videtur* Papinianus in d. l. pacta conuenta, infr. de contrah. empt. Cur non est nouus contra-
D ctus: quia iam diximus esse pactum nudum, & hoc seiunximus à secunda emptione. Cur videtur quodammodo nouus: vt dicere possimus pactum inesse contractui, & valere ad agendum quasi factum in continenti. In summa dicendum est, tum demum pactum ipso iure valere, & prodesse ad agendum, (loquor de pacto iurisgentium, non de pacto legitimo) cùm factum est in continenti verè, aut fictè, & tunc dico fictè fieri in continenti seu quasi in continenti, cùm ex interuallo fit de iis, quæ pertinent ad essentiam contractus nudo consensu celebrati: tunc enim videtur inesse, quasi contractus sit renouatus, proinde quasi contractus tum temporis sit factus, cùm pactum illud interuenit.

E
Ad vers. Vnde illud.

EXpositis duabus viribus pactorum, quæ ex interuallo sequuntur contractus nudo consensu celebratos, nempe quòd possunt eos contractus tollere, vel eorum partem mutare, superest tertia vis, quòd similiter potest pacto pars contractus tolli, siue pactum fiat ab ipsis contrahentibus, siue ab heredibus: de pacto contrahentium agitur in hoc vers. de pacto heredum in vers. seq. Ait, *Vnde illud*, &c. Particula *vnde* ostendit

hanc vim ex præcedentibus colligi: nam si pactum potest tollere totum contractum, & mutare partem, certè poterit etiam tollere partem. Ait, *In parte recedi.* Intellige recedi ipso iure: putà quia pactum factum est, vt pars fundi venditi sit inempta; & hîc subaudi, quod suprà expressum fuit, re integra. Ait, *Quasi repetita partis emptione.* Duarenus inquit, ex his verbis vix posse colligi vllum rectum sensum, se autem in quibusdã libris scriptis legisse *pacti emptione*: vnde coniicit legendum esse *pacto emptione*, vt dicatur emptio pacto repetita: magis tamen probat alteram lectionem, *pacti conuentione*. Ego verò hanc postremam lectionem deterrimam puto, Florentinam autem optimam & facillimam. Sensus enim est, dum pacto receditur à parte emptionis, videri alteram partem tacitè confirmari; verbi gratia, vendidi tibi fundum: postea paciscor, vt tertia pars eius fundi sit inempta. dum ita paciscor, vt tertia pars eius fundi sit inempta, per argumentum à contrario sensu confirmo contractum, quod ad reliquom bessem fuodi: dicitur ergo quasi repetita emptio partis, id est, alterius partis, de qua contrahentes pacti non sunt. Nam emptio repeti dicitur, cùm fit noua emptio, & nouus contractus, infr. de rescind. vendit. l. 2. hic autem dicitur quasi repetita, quia non est noua emptio, sed quodammodo quasi noua videtur, vt fuit expositum in fine versi. præced. Si quis quærat, cur Vlpianus adiiciat hæc verba *quasi repetita partis emptione*, id est, quam vim habeat hæc repetitio seu quasi repetitio: respondebo habere hanc vim, vt pactum intelligatur factum in continenti, proinde inesse contractu, & valere ipso iure.

Ad vers. Sed cùm duo, &c.

NVuc docet partem contractus ipso iure tolli per pactum heredis. Species perspicua est: Quidam emit fundum, mox re integra decessit: transmittit igitur actionem ex empto ad suos heredes pro partibus hereditariis. Finge duos esse heredes. horum vnus paciscitur cum venditore, vt res sit inempta. certè hoc pactum valet tantùm pro parte paciscentis, non pro parte coheredis: quia pactum vnius, alteri nec nocet, nec prodest, infr. h. t. l. si vnus. 27. §. pacta quæ turpem. vers. ante omnia. Ergo necesse est, vt emptio dissoluatur tantũ pro parte. Ait *Emptori.* Subaudi, qui re integra decessit. Ait *Ab emptione recederetur.* Non expressit pro parte paciscentis, sed simpliciter dixit ab emptione. atque hoc dubitationem faciebat, quasi pactum aut omnino non valeret, aut totum contractum tolleret, si quidem de toto contractu factum videtur. Sed verius est, restringi pactum ad portionem paciscentis, vt hîc habeat locum regula, Vtile per inutile non vitiatur. Ait *Dissolui*, ipso iure. Ait *Quoniam*, &c. Vtitur argumento à simili: Vnus ex pluribus heredibus contrahentis, si contractus non sit nudo consensu perfectus, sed re, aut verbis celebratus, potest pacti exceptionem sibi adquirere, si paciscatur vt recedatur à contractu: ergo similiter quando contractus nudo consensu constat, potest idem heres per pactum se liberare ipso iure, & pro sua portione dissoluere contractum & obligationem. Vis consecutionis consistit in proportione: quoniam eandem rationem habet dissolotio obligationis in his contractibus qui fiunt nudo consensu, & exceptio in aliis contractibus. Ait, *Quod Iulianus.* subaudi, ait, id est, partem contractus tolli pacto heredis. Ait, *Et quod Pomponius*, id est partem contractus tolli pacto ipsorum contrahentium.

Ad §. Ait prætor.

POstquàm Vlpianos exposuit varias pactorum vires, nunc quasi proponens epilogum & imponens A colophonem huic tractatui, affert edictum prætoris de pactis seruandis: quod perinde est, ac si dicamus de pactorum viribus: si quidem vis pacti in eo cernitur, vt seruetur, & eatenus pactum dicitur vim habere, quatenus est seruandum. Pro interpretatione huius edicti tria sunt consideranda: primò subiectum, de quo edictum proponitur: deinde id, quod de eo subiecto edicitur: postremò limitatio adiuncta.

Quod ad primum caput attinet, edictum proponitur de pactis conuentis. Ait enim prætor, *Pacta conuenta*, &c. Pactorum conuentorum appellatione Baro existimat contineri omnia pacta, & omnes contractus. Ferrettus, autem putat excludi contractus eo verbo *conuenta*; quasi pactum sit genus pacti nudi, & contractus; pactum autem conuentum sit idem, quod pactum B nodum. Nos suprà Cuiacij sententiam secuti defendimus, idem esse pactum, pactionem, pactum nudum, & pactum conuentum: docuimus etiam vocari pacta nuda, tam pacta legitima, quàm pacta iurisgentium; & & tam pacta producentia & informantia actiones, quàm ea quæ pariunt exceptiones. Quoniam igitur prætor generaliter edicit de pactis conuentis, generaliter hoc edictum debet accipi de omnibus pactis, non tamen de contractibus.

Sequitur, vt videamus, quid de pactis prætor edicat. Pollicetur prætor se pacta seruaturum, dum ait, *Pacta conuenta seruabo.* Sed hoc seruandi vocabulum mirum in modum torsit interpretes. Dicitur enim seruari pactum, si ex eo detur actio, C. h. t. l. legem. 10. & C. de pact. conuen. l. 1. vnde videtur prætor ex pactis C non tam promittere exceptionem, quàm actionem, quod aduersatur regulæ suprà traditæ in §. sed cùm nulla. Confirmatur obiectio, & augetur difficultas: quia Iustin. in l. pe. C. eod. ait pacta ex hoc edicto omnimodò seruanda esse. Si omnimodò, non igitur vno tantum modo, id est, data exceptione, sed etiam data actione. Adde, quòd seruare, idem valet, qood tueri. Dicitur autem prætor tueri aliquam conuentionem, non solùm datis exceptionibus, sed etiam datis actionibus, infr. famil. ercisc. l. inter 44. §. 1. & de acquir. rer. domin. l. statuas. 41. Quomodò igitur dictum fuit, nudum pactum non parere actionem, sed tantùm exceptionem? Bartolus ait se huius obiectionis nullam videre bonam sulutionem. Baro, vt paulò antè notaui, appellatione pacti conuenti intellexit etiam contra- D ctus, ita vt dicatur prætor seruare pacta conuenta tam datis actionibus, videlicet si sint contractus, quàm datis exceptionibus, vbi sunt pacta nuda. Sed eios interpretatio non potest accipi: quia si hoc edictum esset etiam de contractibus, consequenter totus hic titulus esset tam de contractibus, quàm de pactis. Adde, quòd pactum conueotum pro pacto nudo sæpe reperitur: nullus autem locus vel in iure, vel apud alios auctores afferri potest, in quo pacti conuenti appellatio complectatur etiam contractus, & ipsa quoque vis verborum repugnat sententiæ Baronis: cùm enim dicimus pacta conuenta, quid aliud dicimos, quàm pacta, quæ nihil aliud sunt, quàm conuentiones? Contractus autem præter conuentionem in se habent etiam causam, E vt suprà docui. Vnde rectiùs, quod ad hoc, Ferrettus censuit verbo *conuenta* excludi contractus: quamquàm verius est excludi pacti, quàm cõuenti vocabulo: quandoquidem contractus non rarò vocatur conuentio, nusquàm autem appellatur pactum. Denique si prætor hoc edicto polliceretur actionem ex omnibus cõtractibus, quid opus fuisset aliis specialibus edictis, quibus prætor actionem dat, putà ex deposito, commodato, &c. Duarenus subtiliùs quàm veriùs inquit, prætorem hoc edicto nihil aliud promittere, quàm se seruaturum pacta in eodem statu, in quo erant ante

hoc

hoc edictum: adeo vt, quia ante hoc edictum pariebant tantum exceptionem, sententia huius edicti sit, ex pacto dandã esse exceptionem: quasi prætor dicat, Quod hactenus obtinuit, vt ex pacto detur exceptio, id ego quoque seruabo. Huic ioterpretationi duo obstant. Primò quia pacti exceptio ex pacto non dabatur ante edictum prætoris, sed ex ipso prætoris edicto originẽ habet, quemadmodum & ipsa exceptionum origo prætoria est, C. hoc tit. l. 5. & de pec. constit. l. 3. §. 1. Deinde quia non ait prætor, se pacta seruaturum in eo statu, in quo antea fuerant: sed simpliciter, se pacta seruaturum, quod iam ostendimus hanc vim habere, vt non solùm detur exceptio, sed etiam actio: illa autem Duareni adiectio nimis est voluntaria. Cuiacius verbum seruandi hoc loco restringit ad exceptiones dandas, pro subiecto argumento, quamuis alias hoc verbum latiùs pateat, & complectatur etiam actiones. Sed cùm prætor hoc edicto nouum quoddam ius introducat, cur dicemus potiùs eum date exceptiooem, quàm actionem, cùm verba generalia sint? an quia regula illa videtur obstare, quod ex pacto nudo non datur actio? d. §. sed cùm nulla. verùm illa regula non obtinet in omnibus pactis, sed tantùm in pactis iurisgentium, per se factis: & neqoe pertinet ad pacta legitima, neque ad pacta in continenti adiecta contractui bonæ fidei. Cùm igitur Cuiacius fateatur hæc omnia vocari pacta cõuenta, & intelligat ex horum nonnullis dari actionem, ex aliis informari actionem, ex aliis denegari actionem, ex aliis dari exceptionem; fateatur etiam seruandi vocabulum esse generale; cur non concedit, hæc omnia proposito edicto comprehendi? Breuiter igitur statuo, cùm varia sint pactorum genera, proinde variæ pactorum vires, prætorem generaliter de omnibus pactis, & de omnibus pactorum viribus edictum proponere, quo pollicetur se pacta seruaturum, singula scilicèt pacta eo modo, qui illis conuenit: ita vt, si pactum sit legitimum & obligatorium, ex eo detur actio: si verò legitimum, & liberatorium, ex eo denegetur actio; quòd si pactum sit iurisgentium, in continenti adiectum contractui, per illud actio informetur. Denique si factum iurisgentium ex interuallo, ex eo competat exceptio. His igitur modis pacta à prætore seruantur.

His enarratis, superest, vt expendam exceptiooes, seu limitationes edicto adiectas: quæ quidem sunt tres. Prima exceptio est, nisi pactum sit factum dolo malo. Ad hanc exceptionem primò notetur, prætorem non fuisse contentum dicere, quæ dolo facta non sunt, sed adiecisse verbum malo, propterea quòd doli vocabulum medium est, quod & in bonam, & in malam partem accipi potest. Itaque ne quis accipiat hanc exceptionem de dolo bono, id est, de solertia, expressè vocauit dolum malum. idémque obseruauit in edicto de dolo, vt Vlp. ootat in l. 1. §. non fuit, infr. de dolo. II. Notetur replicatio contra hanc exceptionem, pactum enim dolo factum nõ valet quidem contra deceptum, valet tamen contra decipientem: quia cùm nemo audiatur allegans suam turpitudinem, & suum dolum, si cui opponatur doli exceptio, is non poterit se tueri per allegationem doli à se commissi, C. de transact. l. transactione finita, 30. III. Notetur dolum malum obstare, quò minùs pactum valeat siue ab initio, id est, in paciscendo interuenerit, siue postea quandocumque, infr. h. l. §. siue. IV. Notetur, pactum, etiamsi dolo malo factum sit, aut dolos postea interuenerit, parere exceptionem, sed eam per doli replicationem elidi inf. eod. l. tres fratres. 35. Non dicimus pactum esse ipso iure nullum, sed requirimus factum hominis, id est, vt proponatur replicatio: quia in pactis non ius, sed factum versatur, inf. eod. l. si vnus. 27. §. pactus ne peteret. V. Videndum est, quomodò dicatur pactum fieri dolo ma-

A lo. sed id cõmodiùs explicabimus cum ipso Vlp. paulò pòst ad §. dolo malo. Hæc dicta sunto de prima limitatione siue exceptione. Sequitur altera exceptio, nisi pactum sit contra ius vel ciuile, vel prætorium. Nam & iuris ciuilis, & iuris prætorij partes nominantur in edicto. Hîc duo notentur. I. Vbi liber Florentinus habet *edicta principum*, in aliis rectiùs legi *edicta decreta principum*: nam alioqui omitterentur edicta prætorum. Edicta igitor generaliter accipe, siue principum siue prætorum: decreta autem principum tantùm, nõ etiam prætorum: quia decreta prætorum non habent vim legis. rationem vide apud Theoph. in §. sed & quod. Inst. de iur. natur. vbi etiam declarat discrimen inter edicta, & decreta. II. Notetur, cùm hic dicimus non valere pacta contra ius facta, nos intelligere etiam pacta fa-
B cta contra bonos mores: quamuis propriè loquendo hæc distinguantur: æquè enim reprobantur pacta contra leges, & contra bonos mores facta, C. hoc tit. l. 6. Exempla autem pactorum contra ius factorum proponuntur in l. contra. 28. in princ. inf. eod. Sed opponitur l. pacisci. 31. infr. eod. vbi I. C. sustinet pactum contra edictum ædilium factum, cùm tamen constet edictum ædilium esse partem iuris honorarij, Inst. de iur. natur. §. prætorum. Pro solutione obseruandum est, duobus modis dici posse aliquid factum cõtra ius; primo & propriè contra ius fieri dicitur, quod iure vetante fit, infr. de diu. reg. iur. l. qui vetante. 102. quo modo si pactum contra ius fiat, inutile est, vt hic & d. l. 6. C. eod. Altero modo contra ius fieri dicitur, quod tollit beneficiõ aliquod iure concessum, vt puta cùm edi-
C ctum ædilium tribuat hoc beneficium emptori, vt possit rem emptam redhibere propter certa vitia, quorum nomine vult edictum teneri venditorem, si emptor paciscatur vt eo nomine venditor non teneatur, dicitur aliquo modo pacisci contra edictum, non quia paciscatur edicto prohibente, sed quia facit cessare dispositionem edicti. Tale igitur pactum valet secundum illam regulam, quod dispositio hominis facit cessare dispositionem legis, & quod vnicuique licet renunciare iuri pro se introducto, infr. h. t. l. pacta. 46. & C. eod. l. pen. Qua ratione vtitur Vlpian. in hac ipsa specie, id est, in pacto cõtra edictum ædilium, in l. item quæritur. 14. §. pen. infr. de ædilic. edict. Hæc de secunda exceptione. Tertia exceptio est, nisi pactum factum sit in fraudem iuris: quia scilicèt ius non expressis ver-
D bis prohibeat ita pacisci, sed eius sententia & mens à paciscente circumueniatur: sic enim differt in fraudem iuris factum, ab eo quod fit contra ius. supr. de legib. l. & l. seq. Exemplum autem pacti in fraudem iuris facti habebimus in §. siue, inf. hac l. Hæc de edicto prætoris dicta sufficiant.

Ad § pactorum.

HIc §. continet pacti diuisionem, quòd aliud est in personam, aliud in rem, & addit quæstionem, vnde dignoscatur, vtrùm sit in personam, an in rem: vtrũque igitur est explicandum, id est, & diuisio & quæstio. Ad diuisionem plura notanda sunt. I. Notetur, sicuti actio diuiditur in realem, & personalem, Inst. de actio.
E §. omnium. deinde additur tertium membrum, quod quædam sunt actiones mixtæ, eod. tit. §. quædam. ita etiam hic adiici debere diuisioni tertium membrum, id est, pacta mixta, quæ partim sunt in rem, partim in personam, infr. h. t. l. qui in futurum. 57. §. 1. Non est igitur nouum, vt in diuisionibus ponantur tantùm membra simplicia, omissis mixtis seu compositis, quæ sub simplicibus continentur, vt Accurs. rectè notat in l. a, infr. de verb. oblig. Sic pactum mixtum, cùm simul sit in rem & in personam, quatenus est in rem, refertur

ad pactum generale: quatenus verò in personã, reducitur ad pactum personale. II. Notetur homonymia horum verborum, *in rem, in personam, mixtum*. Aliter enim hîc accipiũtur, quàm in dicta actionis diuisione: quandoquidem constat actionem personalem transmitti ad heredes, C. de hered. act. l. 2. cum sim. pactum verò dicitur in personam, quia non transit ad alium, ne quidem ad heredem, infr. hoc t. l. idem. 25. §. 1. Vt hoc discrimen clariùs appareat, sciendum est, actionem dici in personam, quia oritur ex aliqua obligatione, qua reus conuentus est obstrictus, & quamuis res aliqua petatur, putà fundus emptus, aut ex stipulatione debitus, non tamen ideo reus conuenitur, quòd eam rem possideat; nec actor ideo eam rem petit, quòd suam esse contendat; sed ideo agitur, quia reus actori obligatus est ad eam rem dandam, vel tradendam. In rem autem actio dicitur, cùm reus conuenitur ratione rei, quam possidet, quæque ad actorem pertinet, non ex sua persona, nec ob suum aliquod pactum siue obligationem, qua actori teneatur. Sed pactorum in rem, & in personam, longè alia est expositio. Pactum enim in rem appellatur, quod non est certæ personæ alligatum, sed pertinet ad plures, putà ad heredes, & ad correos, vnde etiam appellatur pactum generale: personale autem dicitur, quod personam non egreditur, adeo vt ne quidem heredi paciscenti noceat, vel prosit, vt paulò antè notaui. Dicitur ergo pactum in rem, vel in personam, in eadem significatione, in qua dicitur debitum in rem, vel in personam in l. 5. §. quod exigimus. infr. de pec. constit. eodem etiam modo dicitur dolus seu doli probatio esse in rem, vel in personam, infr. de doli mali & met. except. l. 2. §. 1. Eandem significationem accipe in operis noui nunciatione, infr. de oper. no. nunciat. l. operis. 10. Sic dicitur principis constitutio personalis, quæ non egreditur personam, supr. de constit. princ. l. 1. Sic dicitur stipulatio in rem, infr. vsufruct. quemad. cau. l. 5. Denique hoc eodem sensu dicitur edictum quod metus causa esse in rem scriptum, & actio quod metus causa esse in rem scriptã, inf. quod met. cau. l. metum. 9. §. vltim. quia generaliter prospicit metum passo, nec solùm contra eum, qui metum incussit, sed etiam contra alium quemcumque, ad quem ex eo lucrum aliquod prouenit. non propterea tamen actio illa est mixta, sed est merè personalis, nullo modo in rem, prout personale & in rem accipiuntur in dicta actionis diuisione: oritur enim ex facto, non ex rei dominio, vel possessione; factum autem est metus incussio, aut lucri ex metu illato perceptio. Nam & is, qui lucrum ex metu per alium adhibito sentit, hac actione tenetur ex facto suo, id est, ex perceptione lucri, non propter possessionem aliquam conuenitur. Sed vt redeam ad nostram pactorum diuisionem, III. Loco notanda est descriptio pacti in rem & pacti in personam ab Vlpian. tradita. Primùm ait pactum *in rem* esse, *quoties generaliter paciscor ne petam*. hoc sic intellige, quia neque ego, neque heredes mei petere possumus: item nec ab eo, cum quo paciscor, nec ab heredibus eius peti poterit. sic enim pactum est in rem, & generale ab vtraque parte. Deinde ait Pactum esse *in personam, quoties* paciscor, *ne à persona petam*. Quæ verba sic intellige, quoties ego non potero petere ab eo, cum quo paciscor, heres tamen meus petere poterit; immo & ego ab herede eius, cum quo pactus sum, rectè petam: sic enim pactum ab vtraque parte est personale. Ergo addendum, vt sup. notaui, pactum mixtum, quod ex vna parte est in personam, ex altera in rem. Hoc duobus modis potest contingere. Cum enim paciscor tecum de non petendo: aut est à mea parte pactum generale, quia nec ego nec heredes mei petere poterunt; ex tua verò parte personale, quoniam à te, quamdiu viuis, peti non poterit, ab herede autem tuo rectè petetur: aut contrà, à mea parte erit pactum personale, vt heres meus petere possit tam à te, quàm ab heredibus tuis, à tuo autẽ latere generale, quoniam ego nec à te, nec à tuis heredibus petere potero. Deinde ait Vlp. *id est, ne à L. Titio petam*. Appellatione L. Titij intelligit quemcumque paciscentem. ideo autem adiecit hanc expositionem, vt doceret, cùm dixit, *ne à persona petam*, se intellexisse, non generaliter, ne ab vlla persona petam, sed specialiter ne petam ab vna certa persona, putà ne petam à L. Titio, ita vt ab aliis petere possit, atque adeo etiam ab heredibus ipsius L. Titij. Postremò notandum est, hanc regulam, quod pactum personale ad alium quàm paciscentem non pertinet, pati quasdam exceptiones, veluti quia pactum filij prodest patri, & heredi quoque patris, quamdiu filius viuit, licèt post eius mortem nec patri, nec heredi patris proficiat, id autem fit propter coniunctionem personarum: quia pater & filius censentur vna & eadem persona, dum pater filij nomine conuenitur: vnde pater rectè excipiet ex pacto filij, quamuis filius personaliter pactus sit, ne à se petatur: quia scilicèt dum pater ex persona filij cõuenitur actione de peculio, ipse filius quodammodo conueniri videtur, vide l. si tibi. 17. §. pactum, l. acquiruntur. 19. §. item si filiusfam. & 2. ll. seqq. infr. h. t. Hæc dicta sint de pactorum diuisione.

Ad vers. Vtrùm autem.

SEquitur vers. vtrùm autem. in quo quæritur, quomodò possimus cognoscere, vtrùm pactum sit in rem, an personam. Ait Vlp. cuiusmodi pactum sit, non minùs cognosci ex verbis, quàm ex mente paciscentium. Quæ decisio si ita accipiatur, vt ipsa verba indicare videntur, falsa erit, & sequenti ratione euertetur. Maiorem enim rationem habemus sententiæ & voluntatis, quàm verborum, infr. de verb. sign. l. in conuentionib. 219. vt etiam obseruatur in contractibus, veluti in emptione & venditione, infr. de contrahend. empt. l. 6. item in pignoribus & hypothecis, C. quæ res pignor. l. vlt. item in vltimis voluntatibus, infr. de condit. & demonst. l. in conditionibus primum locum. 19. Et meritò subiicit Vlp. plerumque personam in pacto nominari, non vt pactum fiat personale, sed vt appareat, cum quo pactum factum sit. Ergo plerumque ex mente non ex verbis diiudicamus pacta, & alias conuentiones. Quapropter fatendum est, hunc locum aut emẽdatione aut interpretatione adiuuandũ esse, vt vel legator, *non minus, quàm ex verbis, ex mente*, facta illius particulæ *quàm* transpositione: vel saltem ita explicare oportet, adeo vt dicatur esse *ὑστερολογία*. Similis error aut similis loquendi figura aliquot aliis locis in libris nostris reperitur, vt in l. ab hostibus. §. nõ minus. inf. ex quibus. cau. maior. l. 3. §. si emãcipatus, inf. de bon. poss. contra tab. l. 3. §. Labeo, infr. de incen. rui. naufrag. l. solidum, infr. de solut. §. iniuria, Instit. de lege Aquil. & l. 22. C. Theodos. de suscept. Exemplum pacti generalis, in quo certa persona est nominata, habetur in l. tale pactum. 40. infr. h. t. Tandem notetur partic. *plerumque*, indicans regulam iuris patientem aliquot exceptiones. Interdum enim à verbis non est discedendum, inf. de vsufr. lega. l. si alij fundum. 16. nempe cùm aut voluntas & mens est obscura, infr. de lega. iij. l. non aliter. 69. aut absurdus esset intellectus: putà si testator dixerit se legare supellectilem, & legatarius probet eum voluisse legare vestimenta, vel fundum, infr. de leg. j. l. 4.

Ad §. Dolo malo.

SCopus huius §. est perspicuus. Vult enim I. C. interpretari ea edicti verba, *neque dolo malo*. Diuiditur, autem

autem hic §. in tres partes. In prima Vlp. proponit sententiam edicti: in secunda & tertia eam sententiam explicat.

Primæ partis verba sunt, *Dolo malo ait prætor pacta se non seruaturū.* Ad hæc verba duo notare oportet. I. Notandum, prætorem id non dixisse disertis verbis: sed dum dixit se seruaturum pacta, quæ non sint dolo malo facta, per argumentum a contrario sensu indicauit, se non seruaturum pacta dolo facta. Vnde apparet vis argumenti sumpti à contrario seosu, quod Papinianus in l. 1. supr. de offi. eius efficacissimum appellat. Doctores autem excipiunt seu limitant, vt argumentum ita demum cooeludat, si antinomia non inducatur. Verùm si argumentum rectè concipiatur, oon opus est hac limitatione: vnum tantùm cauere oportet, vbicumque ius vel eodem loco vel diuersis locis plures conditiones seu limitationes apponit, ne vlla prætermittatur: sic enim argumentum indistinctè concludit, non minùs quàm si id quod probare velimus, expressis verbis legis contineretur: verbi gratia, cùm edictum prætoris ita demum pacta confirmet, si & dolo careāt, & legibus non repugnent, à contrario sensu non rectè argumentaberis, si vnius tantùm ex singulis conditionibus mentionem facias, veluti si ponatur pactum bona fide factum de re aliqua publica, aut ne pupillus petat quod sibi debetur, probari non potest hoc pactum tali argumento: prætor reprobat pacta dolo facta: igitur probat pacta dolo vacantia: atqui pactum propositum, non est dolo factum: ergo valet, & à prætore probatur. Non rectè (inquam) sic arguitur: quia non est prætor contentus, si absit dolus, nisi & alia pactorum vitia absint. At si quis dicat, pactum aliquod nec dolo factum esse, nec legibus aduersari, rectè concludet pactum valere. II. Notandum quod dicitur pacta dolo facta non seruari, sic intelligi debere, non quod ipso iure sint inutilia, sed quod exceptio inde orta eliditur replicatione doli mali, infr. h. t. l. tres fratres. 35.

Sequitur secunda pars §. *Dolus malus fit calliditate & fallacia.* His verbis docet Vlpian. quomodo adhibeatur dolus malus, ipsa autem verba concludunt, Vlpianum loqui de dolo generaliter accepto, proinde rectè ait, dolum adhiberi, quacumque calliditate, & quacumque fallacia. Atque hæc sententia consentanea est definitioni doli mali a Labeone traditæ, & ab ipso Vlp. probatæ in l. 1. §. dolum, infr. de dolo. vbi Labeo dolum malum definit omnem calliditatem, fallaciam, machinationem ad circumueniendum, fallendum, decipiendum, adhibitam.

Succedit tertia pars nostri §. dum ait Vlp. *Et, vt ait Pedius, dolo malo pactum fit,* &c. Commodissimè transit à dolo generaliter accepto, ad dolum specialiter consideratum, quatenus inest pactis conuentis: quoniam in præsentia non de quocumque dolo sermo est institutus, sed de pactis, & de dolo qui pactis inest. Ait igitur pactum dolo fieri, seu dolum pacto inesse, cùm paciscens, aliud re vera agit, aliud se agere simulat. Vnde notanda est differentia inter dolum generaliter acceptum, & pactum dolo factum. Dolus enim adhiberi potest, non solùm per simulationem, sed etiam vi aperta, vt in rapina, inst. de vi bon. rapt. l. 1. §. doli. cùm autem dolus in pacto adhibetur, tunc id fit per simulationem aliquam. Vnde intelligitur, nullam esse antinomiam inter hunc §. & d. §. dolum, infr. de dolo. Ibi namque dolus tantum in genere consideratur, idcirco probatur ea Labeonis definitio, quod dolus malus sit quæcumque fallacia &c. siue per simulationem, siue absque simulatione adhibita. Quam definitionem Vlp. non solùm ibi sequitur, sed etiam hîc secutus est in secunda parte huius §. ibi autem rectè reprobatur definitio Seruij, qui dicebat, dolum malum esse machina-

A tioonem quandam alterius decipiendi causa, cùm aliud simulatur, & aliud agitur: rectè (inquam) ea definitio Seruij reprobatur, quæ etiam fuit Aquilij teste M. Tullio lib. 3. Offic. & Pauli lib. 1. sentent. tit. 8. quia simulatio absque dolo malo esse potest, nempe cum est dolus bonus, puta aduersus hostes, item dolus absque simulatione esse potest, vt in vi aperta. Atqui eadem definitio hîc tribuitur Pedio, & probatur. Rectè: quoniam Pedius non definit dolum malum in genere, vt Aquilius, Seruius & Paulus; sed dolum coangustatum ad pactum, seu pactum dolo factum. Non est autem absurdum, immo rationi maximè consentaneum, vt definitio, quæ vni definito rectè attribuitur, alteri definito attribui nequeat. Quemadmodū igitur aliud est dolus malus, aliud est, pactū dolo malo factum: ita etiam B diuersæ sunt sententiæ Seruij, & Pedij: meritóque Vlp. illā reprehēdit, hanc probat. Hoc nō animaduerterunt interpretes, qui valde laborarunt in his locis conciliādis, vt Ferrettus, qui fatetur sentētiam huius §. esse falsam; & Hotomanus, qui censuit esse antinomiam insolubilem; & Duarenus, qui nihil aliud habet, quod respondeat, quàm hîc afferri descriptionem, oon veram definitionem, quo responso non tollit conditiooem siue antinomiam; & Baro, qui duas solutiones affert: Prior solutio est, vt dicamus vtramqoe definitionem, & Seruij & Labeonis, probari Vlpiano: cùm tamen definitio Seruij perspicuè reprobetur optimo & insolubili argumento in d. §. dolum. Posterior solutio est, Vlp. in præsentia non esse contentum definitione Pedij dicentis dolum malum esse, cùm circumscribendi C causa aliud agitur, & aliud simulatur; sed ex definitione Labeonis adiicere, dolum malum esse calliditatem & fallaciam. Neque hæc solutio potest admitti: quia non conuenit verbis nostri §. Vlp. enim de alio subiecto loquitur, cùm dicit esse calliditatē & fallaciam; de alio, cùm ait aliud agi, aliud simulari. Primùm enim inquit, dolum malum esse calliditatem & fallaciam, atque ita loquitur de dolo malo in genere: deinde mutato subiecto definit ex Pedio, non dolum malum in genere, sed pactum dolo malo factum: proinde non supplet aliquid definitioni Pedij, vt Baro existimat. Sed & si hoc Baroni daremus: nihil tamen hoc valeret ad nodum dissoluendum. Non enim Seruius reprehensus est eo nomine, quod in definitione omisit ea verba *calliditas & fallacia*, quæ verba hîc suppleri Baro putat; D sed quod mentionem fecit simulationis; cuius etiam in præsentia fit mentio in definitione Pedij. Alij alia dicunt, quæ breuitatis causa non refero. Cuiacius, cùm & hunc §. & d. §. dolum. ex professo interpretatur, neutro loco hanc difficultatem attingit.

Ad §. Sed si fraudandi.

IN hoc §. soluit Vlpianus obiectionem quandam quæ videtur obstare edicto prætoris de pactis, itaque diuiditur hic §. in duas partes. Prior continet obiectionem, posterior solutionem. Prior pars est in illis verbis, *Sed si fraudandi causa pactum factum dicatur, nihil prætor adiuuat.* Sensus est, edictum prætoris videri E imperfectum, quia non reprobat pacta, quæ fraudendi causa fiunt, sicut reprobat pacta dolo malo facta, aut contra ius, aut in fraudem iuris. Deinde sequitur huius obiectionis solutio ex Labeone, cùm ait, *Sed eleganter Labeo,* &c. Hæc solutio sumitur ex distinctione verbi *fraudandi causa*, quod est ambiguum, quemadmodum & vocabulum fraus est homonymum. Ergo noteotur quatuor fraudis significationes. I. Fraus idem est, quod dolus, infr. de inoffi. testa. l. cum qui. 21. in pr. & de rei vind. l. si culpa. 63. & de suspect. tuto. l. 7. §. 1. II. Accipitur pro quacumque noxa, & quasi pœnæ præparation:

tione,infr.de verb.signif.l.aliud fraus. 131.III. Ipsam A
pœnam significat: ita enim veteres fraudem pro pœ-
na accepisse,testatur Vlp.in l.cùm autem. 23. §.excipi-
tur etiam,infr.de edilic.edicto. Postremò fraus signi-
ficat quodcumque damnum etiam absque dolo & no-
xa contingẽs,infr.ex quib.cau.maj.l.inter eos.23.§.vlt.
Ex his quatuor significationibus duæ in præsentia cõ-
siderantur,quatenus scilicet fraus vel dolum,vel dam-
num significat. Nam in obiectione sup.allata necesse
est, vocabulum fraudandi in alterutra harum signifi-
cationum accipere.Hac distinctione posita,inquit La-
beo, si fraus pro dolo accipiatur, non debuisse præ-
torem adiicere mentionem pacti fraudandi causa fa-
cti:quia hæc adiectio esset superflua, & induceret *ταυ-
τολογίαν*. Cùm enim hac significatione sumpta, idem
sit pactum dolo malo factum, & pactum fraudandi B
causa factum, sufficit in edicto mentionem fieri doli,
& pacti dolo malo facti. Quòd si fraus accipiatur pro
damno,& intelligamus pactum fraudandi causa, non
dolo malo,sed bona fide factum, vt quia debitor cum
creditore sciente,prudente, & liberalitatem exercente
pactus est,ne à se petatur vt fraudet creditorem,id est,
vt eius actionem perimat,& se ab obligatione liberet,
huius quoque pacti non debuit mentio in edicto fieri:
quia reprobari non debet, cùm bona fide factum sit,
licèt eo creditor fraudetur,id est, damno afficiatur, &
actionem amittat, id est, inefficacem reddat propter
exceptionem pacti.Hæc est elegans Labeonis solutio,
quam Vlpianus probat.Ex qua notãdum est,cùm fraus
dicatur esse vel re,vel consilio,vel vtroque modo,Inst.
qui & ex quib.caus.man.non poss.§. in fraudem. pacta C
& conuentiones valere,quocumque modo fraus adsit,
dummodò dolus absit.& ita intelligendum est, quod
dicitur in l.item si precio.22.§.vlt.& l.seq. infr. locati.
naturaliter licere contrahentibus se circumuenire etiã
in contractibus bonæ fidei, vt in emptione & vendi-
tione,aut locatione & conductione.Nam circumuen-
tio admittitur, quæ dolo caret: & sensus illius regulæ
est, posse aliquem emere rem viliori pretio, quamuis
sciat eam pluris valere; aut cariùs vendere quam scit
pluris æstimari:quoniam hoc naturaliter, id est, iure
gentium,ex quo contractus originem ducunt,conces-
sum est,vt quis emat quàm vilissimo precio potest, aut
vendat quanti plurimi. Eadem est ratio locationis &
& conductionis. Nam si lex ob quamcumque pretij
iniquitatem contractum rescindere vellet, nullus esset D
firmus contractus, & quàm plurimæ orirentur lites,
quarum minuendarum causa necesse fuit eam faculta-
tem contrahentibus concedere, vt singuli id quærant
quod sibi maximè vtile est,ne tamẽ hac facultate abu-
tantur,rectè adhibita est limitatio in l.2.C. de rescind.
vendit.Si verò quis fraudandi causa, id est, dolo malo
contrahat, tunc si contractus sit bonæ fidei, ipso iure
non valet,inf. pro soc. l. 3. Si verò sit contractus stri-
cti iuris,ex eo quidem dabitur actio,sed inefficax,quia
doli exceptione elidetur,infr. de verb. oblig. l. si quis
cùm aliter.36.Obiter hoc loco notetur regula,quod in
iure ciuili in fraudis interpretatione, id est, vt dicatur
fraus adhibita, non solùm spectamus euentum hoc
est vt fraus sit in re ipsa, sed etiam consilium, infr. de
din.reg.iur.l.fraudis.79.Ait,*Hoc*,id est, adiicere edicto E
prætoris, quod pacta fraudandi causa facta, non sint
seruanda.Ait, *Inest enim dolo & fraus*. Hæc verba non
sunt accipienda simpliciter, & per se,quasi diceret Vl-
pianus:omni dolo fraudem inesse,sed sensus est,in casu
proximè exposito, quando creditor deceptus pepigit.
ne peteret,appellatione doli, cuius mentio sit in edi-
cto,contineri etiam fraudem, & tale pactum fraudan-
di causa factum:talis enim fraus non est separato à do-
lo,sed in priori casu fraus erat absque dolo.

Ad §. Siue.

SOluit Vlp.in hoc §.alteram quandam tacitam ob-
iectionem,quæ contra edictum prætoris quasi im-
perfectum proponi potest. Obiectio est: quia prætor
reprobat pacta dolo malo facta:ergo loquitur tantùm
de eo casu,quo dolus ab initio in pacto inest:atqui do-
lus potest etiam postea interuenire, veluti si quis pa-
ciscatur sibi reddi,quod erat crediturus, & postea non
credidit:nam hoc casu pactum bona fide factum fuit:
nec tamen seruari debet, propter dolũ postea adhibi-
tum:dolo enim facit, qui vult eius pacti beneficio vti,
cùm pecuniam non crediderit. Eadem ratione contra-
ctus ab initio bona fide factus,propter dolum sequen-
tem infirmatur, infr.de doli except. l. 2. §. circa. & de
ver.obl.d.l.si quis cùm aliter. Huic obiectioni occur-
rit Vlpian. ostendens eum casum, de quo in præsentia
quæritur, non esse omnino prætermissum in edicto
prætoris:quia licèt prætor expressè tantùm reprobet
pactum dolo malo factum,proinde non faciat expres-
sam mentionem doli pactum ex interuallo secuti,adeo
vt si quis hoc casu velit vti exceptione pacti, non fa-
ciat contra verba edicti, tamen faciet contra mentem
& sententiam edicti,secundum quam dictum pactum
est irritum: constat autem non minùs dici contra le-
gem vel edictum fieri, quod eius sententiæ repugnat,
quàm quod verbis expressis contrarium est, infr. de
verb.signif.l.6.§.1.Quod cùm ita sit, rectè etiam dice-
mus casum,de quo quæritur, comprehẽdi aliquo mo-
do verbis edicti:quia licèt non contineatur verbis illis
neque dolo malo:tamen commodè referetur ad postrema
illa verba,*neque quò fraus cui eorum fiat*. his enim verbis
reprobat prætor, quod fit in fraudem, id est, contra
mentem iuris ciuilis, vel prætorij: atqui iam ostendi-
mus in casu proposito fieri contra mentem edicti, si
quis vti velit pacti exceptione. Hæc igitur exceptio,
quia est in fraudem edicti,reprobatur verbis illis, *Ne-
que quò fraus*,&c.Ait, *Ab initio*,id est, dum pactum fit,
vt in specie l.sub prætextu.19.C. de transact. Ait, *Siue
post pactum*.Vt in exemplo sup.allato, cùm quis pacisci-
tur quasi crediturus pecuniam, quam postea non cre-
dit,infr.de doli except.l.2.§.circa.Ait, *Exceptio*. vt doli
replicatio, qua exceptio pacti eliditur. Notum enim
est appellatione exceptionis passim contineri etiam
replicationem. Verumtamen hîc potest dari exceptũ,
vbi sit exceptio doli propriè dicta,nempe si pactum in
continenti adiectum sit contractui,ita vt ad agendum
valeat: nam ex eo pacto conuentus excipiet de dolo.
Denique verbum exceptionis accipio hîc generaliter,
vt complectatur omnes exceptionum gradus,& quæ-
cumque sit vis pacti, id est, siue ex eo agatur, siue ex-
cipiatur,siue replicetur, obstat inuicem exceptio, vel
replicatio,vel duplicatio doli mali Ait,*Neque fiat*.Ac-
curs.legit, *ne quod fiat*. & ait, hæc verba non extare in
edicto proposito,sed inserta fuisse in alio quodam edi-
cto.Sed placet Florentina lectio, *Neque fiat*. & notan-
dum est,Vlpianum concisè proponere verba edicti; &
significare verba illa, *Neque quo fraus cui eorum fiat*.
nam breuitatis studio posuit tantùm primum & vlti-
mum verbum,media prætermisit.

Ad §. Quod ferè.

HIc §.pertinet ad expositionem verborum, *Rogauit
Titius: spopondit Meuius*.Diuiditur autem in duas
partes.in priori declaratur duplex eorum verborum
vis;in posteriori quærit,vtra illarum virium seu signi-
ficationum in singulis casibus accipi debeat, ne ambi-
guitas nos fallat. In prima parte ait Vlp. *Quod ferè no-
uissima parte pactorum ita solet inseri*. Particulam *ferè*
Accursius

iungit cum proximo verbo *nouissima*: quoniam, inquit, post hæc verba solent etiam alia adiici, vt subscriptiones testium: hæc igitur pars non est omnino nouissima siue vltima, sed quasi nouissima. Hanc interpretationē non omnino repudio: malo tamen eam particulam referre ad verbum *soles inseri*, vt sensus sit, non quidem semper, sed tamen plerumque hæc verba inseri solere: nam interdum etiam omittuntur. Ait, *Pactorum*. Pactum tribus modis accipitur. plerumque enim significat consensum & conuentionem, vt in l. 1. §. & est. supr. h. t. & passim: interdum significat id quod ex conuentione debetur, vt in l. 3. C. de obsequ. patron. præst. quandoque accipitur pro scriptura, qua pactum continetur, extr. de verb. sign. c. pactum. 11. Hæc postrema significatio debet hoc loco accipi: quoniam Vlpia. ait, pacto inseri hæc verba, *rogaui* &c. **B** verba autem neque in cōsensu, neque in re ex conuentione debita ponuntur, sed in instrumentis. Ait, *Solet inseri*. Hinc quidam colligunt pactum esse genus pacti nudi, & contractus: quoniam stipulatio, quæ contractus est, dicitur in pactis inseri, proinde videtur esse pactum. Sed hæc consecutio est neganda: primùm quia pactorum appellatione hic significantur instrumenta, vt paulò antè notaui. Deinde quia etiamsi placeat pactum accipere pro consensu, nihil tamen prohibet, quò minus stipulatio dicatur sic inseri pactis, vt alibi dicuntur legata & exheredationes fieri inter heredum institutiones. Vt enim ibi legatum aut exheredatio institutionibus insertum, non est pars institutionis: ita etiam stipulatio pactis inserta non erit pars pactorum. Ait, *Rogaui*, id est, interrogauit, vt & sup. de adopt. l. 2. **C**

Ait, *Hæc verba non tantum pactionis*, &c. Hinc etiam nituntur probare pactum esse genus stipulationis, quasi hîc dicatur eandem conuentionem esse pactum & stipulationem: quod falsum esset, si pactum & stipulatio essent distinctæ species: necesse igitur est, vt stipulatio sit species pacti. Sed facilis est responsio. nam I. C. non loquitur de conuentione, sed de verbis: nec ait, hæc verba simul habere vim & pacti & stipulationis: sed tantùm docet, his verbis duo significari posse, vel pactum, vel stipulationem: quia sunt verba ambigua, quæ debent recipere interpretationem ex mente & voluntate eorum inter quos conuenit: ideóque modo faciunt pactum, modò stipulationem. Nec obstat, quòd interrogatio præcedens & responsio sequens videntur efficere stipulationem: quoniam hoc tum demum verum est, **D** cùm adest animus stipulandi, & hoc est, quod dictum fuit in l. 1. supr. nullum cōtractum carere consensu, quia scilicet necesse est esse mutuum vtriusque partis consensum in eundem contractum celebrādum, inf. de reb. cred. l. si ego. 18. Ait, *ideoque*, &c. Sequitur altera pars §. in qua dissoluitur altera quæstio. Cùm enim ea verba, *rogauit Titius*, significent vel pactum, vel stipulationem, non vtrumque simul, vt modò notaui: cōsequenter quæritur, in singulis instrumentis, in quibus talia verba reperiuntur, vtra interpretatio debeat potiùs accipi. Vlp. ita distinguit. Aut constat de voluntate partium, vtrum scilicèt voluerint pacisci an stipulari: & eorum voluntati standum erit. etenim si tantùm pacisci voluerunt, tantummodò est pactum; si verò habuerunt animum stipulandi, & pacto conuento subie- **E** cerunt, *rogaui*, &c. vt stipulatione confirmarent pactū factum, dicendum erit, esse stipulationem pacto conuento adiectam, vt in l. petens. 27. C. eo. Ait, *Ex stipulatu*. Latè accipe hoc verbum, vt complectatur omnem actionem ex stipulatione descendentem: siue sit certi condictio, qua certum petitur: siue actio ex stipulatu propriè dicta, qua incertum petitur, Inst. de verb. obl. in pr. In eadē lata significatione sumitur actio ex stipulatu etiam alibi, vt in l. rescriptum. 10. §. 1. inf. h. t. & in §. De pactis.

A fuerat, Inst. de act. Ait, *Non animo stipulantium*, &c. His quoque verbis nonnulli vtuntur, vt probent eandem conuentionē simul esse pactum & stipulationem, ideóque stipulationem esse speciem pacti. Cùm enim dicat lex esse stipulationē, nisi probetur partes habuisse tantùm animum paciscendi, non etiam stipulandi: perspicuè indicat fieri posse, vt simul habeant animum & paciscendi, & stipulandi, eóque casu simul esse pactionem & stipulationem. Respondeo, esse vtrumque, non quia pactum stipulationi attribuatur quasi genus speciei, & quasi vna & eadem numero conuentio dici possit & pactum & stipulatio, sed quia sunt duæ conuentiones, id est, pactum nudum, & stipulatio subiecta, per quam illud pactum confirmatur, vt in d. l. petens.

B

Ad §. Si paciscar.

HOc §. probātur duo pacta. Primum est, cùm actor paciscitur ne agat iudicati contra reum condemnatum. Intellige pactum post sententiam condemnatoriam factum; ideóque Vlp. ait, *ne pro iudicato agatur*. Particula enim *pro*, significat iudicium & sententiam præcessisse pactum. Similisque interpretatio debet accipi & in altero pacto, *ne incensarum ædium agatur*. Non enim ait incendēdarum; sed incensarum: quoniam pactum ne agatur contra aliquem, si in futurum ædes incēderit, cum sit cōtra bonos mores & inuitet ad delinquendum, non valet, infr. h. t. l. si vnus. 27. §. pacta quæ turpem. Vt autem intelligatur, ad quam actionem hoc pactum pertineat, notandum est, plura esse iudicia & plures casus, quibus de ædibus incēsis agi poterit. **C** Aut enim dolo malo ædes aliquis incendit, ac tenetur iudicio capitali: aut ob casum fortuitum, & datur ei venia: aut propter negligentiam, & iudicio ciuili tenetur noxiam sarcire, inf. de incend. rui. nauf. l. qui ædes. 9. & l. pen. & C. de sicar. l. si quis dolo. 10. & inf. de pœnis. l. capitalium. 28. §. incendiarij. Est autē hæc actio ciuilis in duplum, si credimus Paulo lib. 5. sent. tit. 3. Ergo in casu nostri §. intelligas incendium negligentiâ commissum, & intelligas actionem ciuilem: quia si casus esset fortuitus, nulla esset actio, quæ pacto tolleretur. si dolus commissus fuisset, & iudicium esset eo nomine publicum, non posset pacto tolli, iost §. prox & d. l. si vnus. §. pacta quæ turpem. priuatorum enim pactis iuri priuato derogari potest, non iuri publico, inf. de diu. reg. iur. l. neque pignus. 45. §. 1.

D

Ad §. Si paciscar ne operis.

QVemadmodum in §. præced. probatū est, pactum ne agatur iudicati, vel ne agatur incensarū ædiū, quamuis prima facie videri possit non valere propter auctoritatem rei iudicatæ, & ne delicta maneant impunita: ita similiter in hoc §. probatur pactū, ne is, qui opus nouum nunciauit, eius nunciationis beneficio vtatur: adhibetur tamē distinctio, ex qua patet solutio illius obiectionis: omnia enim eiusmodi pacta eatenus probantur, quatenus concernunt causam priuatam, & derogant iuri priuato, non iuri publico.

Diuido hunc §. in quinque partes. In quarum prima proponitur species: in secūda subiicitur falsa quædam eius speciei decisio, vnà cum eius ratione, ita vt **E** ibi habeamus rationē dubitandi: tertia continet veram decisionem: in quarta & quinta producitur ea decisio ad casus similes.

Primæ partis verba hæc sunt, *Si paciscar ne operis noui nunciatione exequar*. Supponit I. C. me antea nunciasse nouum opus vicino, ideóque ponit me cum eo pactum, ne exequar eam nunciationem. vnde hac quoq; ratione hæc species præcedentibus est similis, immo & sequenti: quoniam in his omnibus proponuntur pacta de causa aliqua præterita.

Sequitur secunda pars, *Quidam putant non valere pactionem*, &c. Ex qua intelligimus, prima facie pactum propositum videri inutile: quia nó potest pactum priuatorum derogare imperio prætoris: atqui prætor cófirmat nunciationem noui operis, & vetat ea pendente ædificari, etiamsi quis ædificandi ius habeat: pacto igitur priuatorũ non potest concedi ædificatio à prætore inhibita. Hęc est obiectio seu ratio dubitandi, cui satisfacit ex Celso Vlp. in l. 1. §. inde quæritur, infr. de oper. nou. nunc. quia nihil aliud agebat prætor confirmans nunciationẽ noui operis, quam vt vicinorũ controuersias dirimeret. si igitur hi sponte sua à cótrouersiis recessęrunt, debet prętor id habere ratum. Vis solutionis in eo consistit, quòd is, qui paciscitur, ne exequatur núciationem noui operis, non propriè paciscitur contra edictum prætoris, sed contra ius sibi ex prætoris edicto competens. valet igitur pactum, quia licet vnicuique iuri suo renunciare, C. h. t. l. pen. qua ratione etiam sup. defendimus pactũ factum contra edictum ædiliũ, id est, contra ius emptori ex eo edicto competens. quòd si pactum vetante prætore vel ædili fieret, sine dubio non haberet effectum.

Sequitur tertia pars, *Labeo autem distinguit*, &c. Hîc affertur ex Labeone vera decisio per distinctionẽ. Aut enim pactum pertinet ad rempublicam, vt quia ædificabatur in loco publico: aut ad rem priuatam ipsius paciscentis. Priori casu pactum non valet, quia pacta priuatorum non possunt derogare iuri publico. posteriori casu pactum valet ob rationem antea adductam, quod renunciare suo iuri quilibet potest. Hoc loco quęritur, si pactum de re publica fuerit, an eo non obstante possit exequi operis noui nunciationem is, qui pactus est ne exequeretur. nam aliis, qui nó sunt pacti, nihil præiudicij fieri, quò minùs nuncient, & nunciationem exequantur, certi iuris est, infr. eo. l. si vnus. 21. §. pacta quæ turpem. in fin. sed quod ad eum, qui pactus est, discrepantes reperiuntur Doctorum sententiæ. Alij namque putant, eum nihilominùs posse persequi operis noui nunciationem: alij negant. nec videtur hæc res facilis explicatu. Fortasse veritatem faciliùs inueniemus, si breuiter rationes, quæ hinc inde possunt afferri, expendamus. Primum igitur quod pactus nó possit persequi nunciationem noui operis publicam causam concernentis, videtur probari per l. si maritus. 15. §. si negauerint, inf. ad leg. Iul. de adult. vbi pater aut maritus adulteræ, qui semel negarũt se adulterij acturos, postea repelluntur ab accusatione. vnde apparet, etiam in causis publicis eum, qui semel ius suum remisit, postea non audiri. Quod autem Accurs. ait, ibi fuisse litem antea cótestatam, ipsis legis verbis repugnat. nam textus ait, eos negasse se acturos: loquitur ergo de actione intentanda, non intentata. Altera responsio plus habet probabilitatis, vt speciale id sit in adulterio. rationem tamen specialitatis nullam Accursius affert. & cùm de adulterio pacisci non liceat, C. de transact. l. transigere. 18. videtur nihil ibi esse speciale, sed non obstante pacto vtili admittendam esse accusationem: aut, si ibi pactus repellitur à persecutione, etiam in casu nostro repelli debere, cùm vtrobiq; sit eadem ratio, id est, cùm æquè de re publica, & de adulterio pacisci non liceat. II. Eadem sententia iuuatur l. 3. C. ad Turpill. vbi dicitur, eum qui ab accusatione destitit, non posse eam instaurare, quamuis ei fides conuentionis non seruetur. similiter ergo & in casu nostro non est cócedenda persecutio noui operis, quamuis fides pacti non seruetur. Quod ait Accurs. illam legẽ procedere in causis criminalibus, hîc autem nos loqui de causa ciuili, cuius aliud debet esse iudicium: hæc solutio non est admittenda: quia si in ciuilibus causis pactum agenti non obstat, multò minus officere debet in criminalibus; quia minus

A pacisci licet de criminibus, & quia reipublicæ interest, ne delicta maneant impunita, infr. ad l. Aquil. l. ita vulneratus. 51. Affert Accurs. & aliam responsionẽ, quam ipsemet reprobat in d. l. 2. ideóq; breuitatis causa eam prætermitto. Postremò eadem sententia probatur, eo quod dicitur in l. quæritur. 14. §. si venditor, inf. de ædilic. ed. remittentibus actiones suas, non dari ad eas regressum. In contrarium autem facit primò noster §. qui ait pactum non valere. Videtur enim absurdum repelli aliquem ab agendo propter pactum inutile; quod non valet; nam pactum quod actorem submonet, certè valet, neque caret effectu. II. Idem probatur per l. si vnus. 17. §. pacta quæ turpem, infr. h. t. vbi dicitur, nos de re publica aut iure publico pacisci non posse. nam si pacisci non possumus, frustra paciscimur:

B &, si frustra paciscimur, pactum nobis agentibus non obstabit. III. Facit l. 3. §. si is cuius. infr. de sepul. viol. vbi disertè traditur, eum, cuius interest sepulchrum non esse violatum, si nolit agere, postea posse pœnitere, & ad agendum admitti. His argumentis hinc inde adductis, superest, vt propositæ quæstionis afferamus solutionem, adducta iura concilianrem. Sic igitur statuo, eum, qui de re publica pactus est ne agat, vel ne actionem persequatur, postea in ea causa non esse audiendum, non tamen repelli vi pacti; quandoquidem pactum est inutile, sed quia videtur indignus, cui causa publica committatur, ex quo semel ostendit, se eam habere contemptui. Hac ratione pater, vel maritus non admittuntur ad accusationem adulterij, quam semel remiserunt. Nec obstat huic sententiæ d. l. 3. §. si

C is cuius, infr. de sepul. viol. vbi admittitur ad actionem ille ipse, qui agere noluerat. Duo namque ibi sunt consideranda. Primò proponi personam, cuius interest non esse sepulchrum violatum. vnde, & si agere noluerat, tamen lex adhuc ei fidit quasi seriò sit persecuturus iudicium propter proprium interesse. alia verò esset ratio extranei. Præterea non dicitur ibi pactus esse, aut remisisse actionem, sed simpliciter noluisse agere: nihil autem vetat, quominùs nolens hodie agere, crás agere velit: nulla enim lex denegat actionem ei, qui post aliquod tempus agere instituit, nisi temporis præscriptio ei officiat. nostra autem quæstio ad eum pertinet, qui iam actionem instituit, vel opus nouum nunciauit, postea per pœnitentiam non vult pergere, deinde iterum vult iudicium persequi. nam hæc leuitas &

D mutatio reddit eum suspectum.

Sequitur quarta pars, *& in ceteris igitur*, &c. in qua Vlp. quod dixit de operis noui nunciatione, producit generaliter ad ea omnia, quæ prætoris aliquo edicto continentur: omnium namque eadem est ratio.

Sequitur quinta pars, *Nam & de furto pacisci lex permittit*. His verbis Vlpian. decisionem allatam producit ad ea, quæ iure ciuili cauentur, ne putemus eam esse propriam iuris prætorij. Notandum igitur est, pactum valere, etiamsi deroget constitutioni iuris ciuilis, si non fiat lege prohibente, sed tollat ius priuatum ex iure ciuili competens. Exempli gratia, ius ciuile cóndemnat furem in duplum, vel quadruplum: sed hæc actio dupli vel quadrupli remitti pacto potest: quod

E I.C. confirmat perspicuo argumento, quia ipsa lex tale pactum admittit. intellige legem xij. tab. quæ fecit hoc pactum legitimũ, adeo vt tollat actionẽ ipso iure sine ope exceptionis, inf. h. t. l. si tibi. 17. §. 1. Non est omittendum, hæc intelligi de furto iam commisso, cuius pœna remitti potest. nam pactum ne de furto agatur, si in posterum committetur furtum, non valet, ne inuitentur homines ad delinquendum. inf. eo. l. si vnus. 27. §. pacta quæ turpem. Ceterùm pactum de furto admisso ideo sustinetur: quia quod factum est, infectum fieri nequit. Deniq; notáda est particula *nam*, quæ indicat, hoc

hoc vers.confirmari,quod proximè dictum fuit.est autem A argumentum tale: Pactum derogare potest iuri ciuili, ac tollere actionem ex lege xij.tabularum competentem:ergo multò magis potest derogare iuri prætorio,& tollere actionem edicto competentem.

Ad §. Sed & si quis.

HOc §.probantur duo pacta ad contractum depositi pertinentia:prius est,ne depositi agatur:posterius,vt depositarius præstet omne periculum, cùm regulariter de dolo tantùm teneatur, culpam verò non præstet,& multò minus casus fortuitos.

Quod attinet ad prius pactum,quæri potest, vtrùm I.C.loquatur de deposito contracto, an contrahendo. Cuiacius restringit pactum ad depositum contractum, B existimans pactū de futuri depositi nomine agatur, esse inutile. Mihi contrariū verius videtur: quia Paulus in d.l.si vnus.§.illud.apertè hoc indicat, distinguēs inter pactū ne dolus præstetur,& pactū ne depositi agatur. & cùm ibi loquatur sine dubio de futuro dolo,necesse est intelligere etiā futurum depositum. Ait enim, *Nulla pactione effici posse.*(id est,neq; pacto nudo, neque pacto in continenti contractui adiecto)ne futurus dolus præstetur, ne scilicèt inuitetur paciscens ad delinquendum,inf.depos.l.1.§.illud. si quis tamē paciscatur ne depositi agat,hoc pactum valere,licèt vt ipsa videatur de dolo pacisci, cùm dolus in actionē depositi veniat.hoc autē pactum sustinetur,quia non sit principaliter de ipso dolo,sed de re:ac multa valent tacitè,quæ expressa non valerēt,inf. de here.instit.l.si quis Sēpro- C nium.68.de condit.& demonst.& l.nonnumquàm. 52. Quid ergo?dicet aliquis,an is, qui paciscitur ne depositi agatur,rē suā amittit?minimè gentium.Nihil enim prohibet, quò minus is,qui rem deposuit, siue habeat etiam actionem depositi efficacem,siue eam facto inutilem reddiderit, rem ipsam vindicet:quandoquidē rei vindicatio datur domino,non solùm contra verū possessorem, qualis non est depositarius,sed etiam contra quemlibet habentem facultatem restituendi, vt depositarium,& similes,inf.de rei vind.l.officium. 9.hæc de priori pacto. Quod attinet ad posterius pactum:cùm quis paciscitur, vt depositarius præstet omne periculum,magna quæstio est de vi huius pacti, vtrùm scilicèt pertineat ad omnes casus fortuitos,an ad quosdam tantum,an ad nullos,quasi opus sit expressa & speciali D enumeratione eorum casuum, quos depositarius non præstet.Nam hæc verba,*omne periculum præstari*, generalia sunt:hæc autem verba (v. g.) præstari periculum incendij, & periculum incursionis hostium, speciales quosdam casus significant. Huic quæstioni satisfeci in l.1.C.commodati, vbi ostēdi hæc verba generalia sufficere ad hoc, vt quis teneatur præstare omnes casus fortuitos,exceptis iis solis, de quibus non fuit cogitatum.vnde ad omnē difficultatem tollendam tutius erit casus specialiter exprimere, deinde adiungere clausulā generalē, ne quis cas⁹ omissus videatur. Ceterùm huic posteriori pacto videtur obstare,quòd factum est cōtra naturam deposito à iure tributam, si quidē natura depositi est,vt depositarius non præstet omne periculum, sed tantùm de dolo teneatur.Huic obiectioni occurrit E Vlp.& inquit eam non obstare: quia hoc pactum non est contra ius commune, id est ,non sit iure prohibente,sed est contra ius ipsius paciscentis,id est, depositarij,qui potest iuri suo renunciare,& ea suo consensu atque pacto magis obligari, quàm alias esset obligatus. Denique, vt in superioribus ostendi, contractus sunt priuati iuris,ideòque forma iis à iure tributa non perpetuò obtinet,sed pactis informantur & reformantur pro arbitrio contrahentium.

De pactis.

Ad §. Et generaliter.

QVod hactenus à §.si paciscar ne pro iudicati.specialiter docuit aliquot exemplis seu casibus, nūc generaliter concludit, & eā generalem conclusionem producit ad similes casus. Tria igitur continentur hoc §. I. Pactum à iure communi remotum, non esse seruandum. Huic decisioni solet opponi §.pacta quæ turpem. l.si vnus 27.eod.h.t. vbi dicitur,pactum à re priuata remotum, non esse seruandum. Nam absurdum videtur esse,si nec à publica re seu cōmuni,nec à priuata remotum seruētur.ideòque Cuiacius in d. §. pacta quæ turpem.pro *re priuata* putat legendum,*re publica*.Baro autem sic interpretatur , vt verbo *communi* , in nostro §. significetur,quod est priuatum:quoniam(inquit) iura, quæ ad priuatos spectant , illis omnibus communia sunt,publica verò sūt nullius.Hęc mihi videntur(quod pace tantorum virorum dixerim)ineptè proponi.Illud potiùs considerandum est,Vlpianum hic loqui de iure, non de ea re,de qua fit pactum:Paulum autem in d. §. pacta quæ turpem. non loqui de iure, sed de re in pactum deducta. itaque hæc duo loca pulchre consentiunt.Nam pactum dicitur remotum à re priuata, quia non fit de re priuata , sed de re publica. Meritò igitur improbatur,vt paulò sup.etiam ab Vlp.talia pacta improbata sunt.sed hæc ead.pacta remota à re priuata,id est,facta de re publica,sunt remota à iure communi,id est,sunt aliena,siue abhorrent, siue repugnant iuri publico;cui cùm derogare non possint,effectu carent.I I. Quod dicit Vlp. de pacto , producit ad legatum: nam contra ius frustra legatur,veluti si quis contra senatusconsultū leget ea,quę ædibus iuncta sunt,inf.de lega.j. l.cetera.41.§.1.I I I. Producit Vlp.suam decisionem,vt pactū vel legatum contra ius factū non valeat,etiamsi iureiurando confirmetur:quia non debet iusiurandū contra ius interpositum sustineri , nec debet officere iurati , sed potiùs est retorquenda pœna in eum qui detulit iusiurandum,vt ait Iustinian.Nou.51.Postremò producit Vlp. eandem decisionem ad stipulationem, quæ contra ius facta non valet , veluti si quis homicidium se facturum promiserit,infr.de verb.oblig. l. generaliter.26.& l.seq.l.si flagitij. 123.Hic difficilis quæstio occurrit , vtrùm talis stipulatio sit ipso iure nulla, vt videntur probare leges adductæ , an sit locus exceptioni,per quam rescindatur,vt videtur hic significare Vlpian.dum ait,*seruanda non est sed omnimodo rescindenda*.Sed quidam rescindendi verbum hic accipiunt impropriè, vt rescindi dicatur stipulatio, quæ nulla esse dicatur per sententiam iudicis:itàque accipiunt rescindendi verbum in l.5.C.de rescin.vendit. Vtra autē expositio melior sit, & vtrùm huiuscemodi stipulationes sint ipso iure nullæ, an exceptio requiratur, docui ad l. 1. C. de condict. ob turp.cau. vbi per distinctionem conatus sum contraria iura conciliare:nempe aut turpitudo est manifesta, & stipulatio ipso iure non valet, supr.h.t.§.si ob maleficium.& C.de inutil.stipulat. l.4. & D.de ver.obl.d.l.generaliter,cum l.seq.& d.l.si flagitij. Aut dubitatur,an sit turpis stipulatio nécne , quia causa turpis nō fuit expressa, putà promisi tibi decem, vt delinqueres, sed ea delicti causa non fuit expressa: túncque danda est à prætore ex stipulatu actio,sed adiecta exceptione,nisi turpi ex causa promissum sit,inf. de condict.ob turp.cau. l. pen. Hæc distinctio confirmatur etiam per l.9.infr.de iureiur.sic enim ibi distinguitur in actione propter iusiurandum deneganda,vel cum exceptione concedenda.

Ad §. Si ante aditam.

AB hoc §.vsque ad §.1.l.10.tractatur de pacto creditorum hereditariorū cum herede, cui partem debiti remittunt,quo magis eum inuitent ad hereditatem

tem adeundam, vel ad se immiscendum iu bonis hereditariis. nam huiusmodi pactū fieri potest cum quocúque herede, id est, siue cum extraneo, siue cum suo, siue cum necessario. Ac de extraneo quidem herede loquitur hic §. de reliquis heredibus sequens §. cúmque hoc pactum fiat inter heredes & creditores hereditarios: quemadmodū de heredibus agitur in his duob. §§. ita de creditoribus dicetur deinceps à §. vlt. huius l. vsque ad §. 1. d. l. 10. Ratio autē huius pacti est: quia sæpe contingit, vt bona hereditaria non sint soluendo, quo casu heres, ne iacturam faciat, si extraneus est, potest hereditatem repudiare, hodie habet etiam beneficium legis & inuentarij, ne teneatur vltra vires hereditarias; si suus, habet beneficium abstinendi iure prætorio. Siue autem sit suus, siue extraneus, siue necessarius, potest impetrare separationem bonorū: nempe extraneus, antequàm adeat: suus autem vel necessarius, priusquàm se immisceat. Ergo creditores hereditarij solent partem crediti remittere, vt alliciant heredes ad adeundum vel se immiscendum, atque ita habeant quem cōueniant. Est autem hoc pactum non solùm creditoribus fauorabile, vt habeant, sicuti dixi, quem conueniant, sed etiam defuncto, vt habeat heredem. His generaliter expositis, singula deinceps, prout in contextu proponuntur, explicemus.

Ait, *Si ante aditam hereditatem*. Non est dubium, quin heres, postquàm adiit hereditatem, possit pacisci cum creditoribus hereditariis. sed ante hereditatem aditam dubitatio aliqua esse poterat, quasi pacisceretur de re ad se non pertinente, aut quasi paciscatur alteri, nempe hereditati iacenti, quæ non futuri heredis, sed defuncti personam sustinet. admittitur tamen hoc pactum: quia confertur in tempus aditæ hereditatis, licèt ante aditionem fiat. Ceterùm nisi heres adiret, nulla ex parte creditoribus hereditariis teneretur, consequenter nullum beneficium ex pacto proposito consequeretur. Intelligendum est præterea, fieri hoc pactum post mortem debitoris. nam eo viuo alius de eius hereditate, quamuis eam speraret, tamen frustra pacisceretur, C. h. t. l. vlt. excepto filio, de quo ad finē §. seq. dicetur. nam hic de extraneo herede I. C. loqui perspicuum est ex verbo *aditam hereditatem*, quandoquidem sui heredes dicuntur se immiscere, extranei adire. Ait, *Paciscatur quis*, id est, futurus heres, qui vocatur ad hereditatem, quam nondum adiit. nec refert vtrùm ex testamento, an ab intestato succedat. Ait, *Cum creditoribus*. subaudi, hereditariis.

Ad §. Sed si seruus.

SEquitur § Sed si seruus, in quo trāsgreditur Vlp. ad heredes suos vel necessarios: proponuntur autem in hoc §. plures species, quas sigillatim enarrabo. Ait igitur Vlp. *Sed si seruus sit*, &c. Hîc ponit primam speciem, quæ talis est: Seruus à domino suo heres cum libertate institutus est sub conditione, *si nauis ex Asia venerit*, hac conditione pendente cùm nec sit liber, nec heres, paciscitur cum creditoribus hereditariis de parte debiti sibi, si adierit, remittenda; postea existente cōditione, fit liber & heres necessarius: conuenitúrque à creditoribus in solidum: quæritur, an habeat beneficium dicti pacti, vt pro parte tantùm condemnetur. Prima facie videtur pactum valere, & ei prodesse: quia seruus hereditarius potest acquirere hereditati, & futuro heredi, infr. de stipul. seruor. l. seruus hereditarius. 35. exceptionem igitur pacti in casu proposito acquisiuit iacenti hereditati, vel sibi postea heredi. Contrariū tamen hîc respondetur, pactum scilicèt ei non prodesse. Ratio decidendi afferetur in vers. sed si quis. nempe quia non solet post libertatem prodesse, quod in seruitute factum est, quemadmodū nec solet nocere, infr.

A de nego. gest. l. cum actum. 17. etenim manumissus videtur esse nouus homo, infr. de solut. l qui res. 98. §. vlt. perinde igitur pactum à se factum nō proderit, ac si ab alio factum fuisset. Non obstat, quod dicebamus, seruū hereditarium posse acquirere hereditati: id enim tum demum locū habet, cùm hereditati paciscitur: hic autem non hereditati, sed sibi ipsi pactus est. Rursus non obstat, quod diximus, seruum hereditarium posse pacisci, & acquirere futuro heredi: hoc enim sic debet intelligi, vt rectè paciscatur heredi futuro sub appellatione heredis, non nominatim. Nā si paciscatur ne à Titio petatur, illud pactū est inutile, licet Titius heres postea sit, infr. h. t. l. si tibi. 17. §. si pactus. atqui in casu nostro seruus hereditarius non est pactus heredi, nec voluit cuicumq; heredi cōsulere, sed tantùm sibi, si heres postea fuerit. B quoniam igitur nominatim de sua persona pactus est, valere pactum non potest, infr. de stipul. seruo. l. seruus hereditarius futuro. 16. & l. seruus hereditarius & heredi. 35. Ait, *Quia sub conditione*. &c. Rectè addit conditionem: quia seruus à domino suo pure heres scriptus, statim fit liber & heres necessarius. Ait, *Marcellus autem*, &c. In hoc vers. Vlp. ex Marcello coniungit duas species inter se admodū similes. in vna seruus à domino, in altera filius à patre fuit purè heres institutus. Itaque harum specierū prior ab ea, quā sup. retuli in pr. §. eò tantùm differt, quòd ibi erat institutio conditionalis, hîc autē pura ibi igitur seruus est pactus antequàm esset liber & heres: hîc verò post libertatem & hereditatem ipso iure aquisitam, sed antequàm bonis se immisceret, ideóq; tunc habebat beneficiu separationis C bonorū. Hoc igitur casu pactum sustinetur, licèt primo casu non valuerit: quoniam hoc est factū ab homine libero, illud autem à seruo. Quod de seruo hîc dicimus, idem de filiofam. dicimus: vt enim seruus statim est heres necessarius, & ipso iure fit heres, etiā inuitus, vel ignorans, infr. de reb. cred. l. pe. & Inst. de hered. qualit. & diff. §. 1. ita etiam filiusfam. iure ciuili est heres necessarius patri, quamuis prætorio iure possit abstinere, Inst. eod. §. sui autem. Ait, *Idem & in extraneo herede*. Ab heredibus suis vel necessariis transit ad heredes extraneos, in quibus ait idem iuris esse, nempe vt eorum pactum valeat, & exceptionem pariat aduersus creditores hereditarios, quamuis ante aditam hereditatem factum fuerit. Quidam tamen hunc vers. accipiunt de pacto post aditionem hereditatis facto, quòd D alioqui repetatur species tractata in §. præced. Sed hæc interpretatio verbis nō conuenit: quia I. C. ait idē in extraneo, quod in suo, vel necessario herede: atqui de suo & necessario dixerat, priùs quàm se immisceāt. ergo similiter de extraneo intelligendū est, priusquam adeat. nā & mox subiicitur, *Si mandatu creditorum adierit*. Quemadmodum igitur mandatum ponitur præcedere aditionem hereditatis, ita etiam intelligere oportet pactum præcedere. Adde, quòd species parum est elegans, & minimè dubia, si ponatur pactum aditionē hereditatis secutum esse. quis enim dubitat heredem, postquàm adiuit, posse pacisci de rebus & iuribus hereditariis? sed tum demū dubitatur, cùm pactus est, antequàm aditione fieret heres. & prima facie nō videbatur extraneus heres cōparandus suis & necessariis, cùm E hi sint ipso iure heredes, etiā priusquàm se immisceāt, ille autē non sit heres antequàm adeat. Nō obstat, quòd dicebatur, secundū nostram interpretationem repeti speciem tractatā suprà in §. prox. quia respondeo ex regula peruulgata, non malè repeti, quod dictum est, cùm ideo repetitur, vt aliquid noui addatur. Sic enim Vlp. in hoc ipso §. nostro, id est, in vers. sed si quis, repetit speciem in prin. eiusdem §. decisam, vt rationem decisionis & nouam quæstionem de eadem specie adiungat. sic igitur & in præsentia repetit speciem.

§. præced.

§. præced. vt commodè adiungat, quod expositurus est de aditione mandatu creditorum facta. Ait igitur, *Qui si mandatu*, &c. Sententia huius versic. est, si heres extraneus duplici ratione sibi cauerit, ne solidum soluat creditoribus hereditariis, id est, si & pactus sit de parte obligationis remittenda, & præterea mandatu creditorum adierit, habere eum contra eos creditores duplex remedium: quorum alterum est pacti exceptio, qua creditores solidum petentes pro parte submouebit: alterum est actio mandati, qua repeter à creditoribus, quod sua intereſt, id est, peter sibi resarciri damnum, quod passus est propter aditionem hereditatis & solutionem creditoribus factam. Hinc notanda est differentia inter mandatum de hereditate adeunda, & mandatum de legato adgnoscendo. ex eo namque mandato erit mandati actio: ex hoc autem actio nulla competit legatario. Differentiæ ratio est: quia hereditas tam potest esse damnosa, quàm lucrosa: legatum verò continet merum lucrum, inf. manda. l. si hereditatem. 31. Sed hoc loco quæritur, verùm intelligendum sit pactum heredis cum omnibus, an cùm quibusdam creditoribus hereditariis. Quidam intelligunt, hic omnes creditores esse pactos: alij nonnullos tantùm. Alexander, cuius interpretationem probo, simpliciter & generaliter accipit, vt procedat, siue omnes creditores, siue aliqui tantùm pacti fuerint. Nam qui pacti sunt, quotcumque sint, actione mandati conueniri poterunt per hunc contextum. Hæc interpretatio vera est: quia verba legis simpliciter & generaliter prolata, debent simpliciter & generaliter intelligi, nisi vitandæ alicuius absurditatis causa cogamur ea restringere, & limitatè accipere. Atqui, dicet aliquis, in casu nostro sequitur absurditas, si generalis interpretatio Alexandri sumatur: ergo hæc interpretatio est reiicienda. Absurditas sic probatur: quia si omnes creditores conuenerint cum futuro herede, heres, qui postea adibit, contentus esse debet exceptione pacti conuenti, nec potest vti actione, infr. de dolo. l. vltim. quæ tamen actio in nostro contextu ei datur. oportet igitur hunc contextum de alio casu accipere, id est, quando non omnes creditores pacti sunt. Ad hanc obiectionem respondeo, magnam esse differentiã inter actionem mandati, de qua hic loquimur, & actionẽ de dolo, de quo agitur in d. l. vlt. nam actio de dolo est odiosa & subsidiaria, quæ nõ concurrit cum exceptione vel alio remedio. quamobrem in ea l. vlt. exceptio excludit actionem de dolo. longè alia est ratio actionis mandati, quæ nec odiosa nec subsidiaria est: & quò minùs cum exceptione alióve remedio concurrat, nihil obstat. Ait *Etiam mandati*. Particula *etiam*, quam implicatiuam vocant, indicat dari etiam pacti exceptionem, quasi I. C. dicat, non solùm pacti exceptionem, sed etiam mandati actionem habet. Ait, *Sed si quis*, &c. In hoc vers. repetit speciem & decisionem initio §. propositam: nec frustra repetit: verùm duo adiungit: primum addit rationem decidendi, quam supr. omiserat, deinde addit nonam quæstionem de eadem specie: & cùm antea docuerit non dari exceptionem pacti conuenti, deinceps quærit, an detur exceptio doli subsidiaria. Ait, *Vt suprà retulimus*. in primo vers. huius §. Ait, *In seruitute pactus est*. Intellige seruum à domino suo liberum & heredem sub conditione esse iussum, ea conditione pendente pepigisse cum creditoribus hereditariis de parte debiti remittenda. Ait, *Negat Marcellus* supple pactum profuturum seruo, cùm implera conditione liber & heres erit: quoniam eo pacto non obstante, poterit in solidum conueniri. Ait, *Quoniam non solet*, &c. Hæc est ratio decidendi, quam supr. exposui. Ait, *Quod*, id est, quæ sententia Marcelli. Ait, *Sed an vel doli*, &c. De ead. spe-

A cie proponit nouam quæstionem: &, cùm denegauerit exceptionem pacti, quærit, an saltem detur exceptio doli subsidiaria, quæ multis casibus conceditur deficiente pacti exceptione, infr. h. t. l. rescriptum. 11. §. plerumque.

Ait, *Marcellus in similibus*. Antequàm respondeat ad quæstionem propositam, quædam præmunit, id est, ex ipso Marcello similes quasdã species decidit, vnde colligit etiam in casu nostro dandã esse doli exceptionẽ. Ait, *Vt puta filius familias*, &c. Hęc est prima species, quę præmunitionis loco hîc tractatur: sed concisè proponitur, vt quædam supplere necesse sit, quæ in contextu non explicantur. Intellige igitur filiumfam. heredem scriptum ab extraneo, pactum esse cum creditoribus hereditariis iacente hereditate, id est, post mortem de-

B functi, priusquàm eius hereditatem adiret, quo modo accipiebatur etiam pactũ in §. præced. Hoc casu Marcellus dedit exceptionem doli subsidiariam, non exceptionem pacti: propterea quòd quando pactus est, in potestate patris erat; deinde emãcipatus adiit. pacti igitur exceptio non potuit ipsi acquiri, cùm non esset sui iuris: sed ex bono & æquo datur ei doli exceptio, vt etiã aliis similibus casibus, infr. manda. l. si verò non remunerandi. 12. §. si filiofam. mandauero. & de here. inst. l. quidam. 46. §. vlt. Ait, *Idem probat*, &c. Sequitur altera species cuius decisio est præmunitio ad principalem quæstionem decidendã. Proponit igitur, filiumfam. viuo patre pactũ esse cum creditoribus paternis de parte debiti remittenda, postea patri heredem extitisse: atque ei similiter tribuit doli exceptionem. ponit autem pa-

C ctum viuo patre, in cuius potestate erat: quoniam inde sequitur, non potuisse eum, qui alieno iuri subiectus erat, exceptionem pacti sibi acquirere. vnde cõfugiendum est ad exceptionem doli subsidiariam. Hic breuiter notandum est, speciale esse in filiofam. vt de paterna hereditate sperata viuo patre pacisci possit: nam in cõtrarium regulam suprà firmauimus. Specialis autem iuris ratio est: quia iure naturæ debetur filio successio in bonis paternis, infr. de bon. damn. l. vlt. & filius viuo quoque patre dicitur quodammodo rerum paternarum dominus, infr. de lib. & post. l. in suis. 11.

Ait, *Immo & in seruo*, &c. Iam, quæ modò exposui, accommodat speciei propositæ in vers. sed an vel doli. & Marcelli decisionẽ in speciebus similibus producit ad speciem, quæ in hoc vers. potiùs innuitur, quàm expli-

D catur, sed eius interpretatio facilè repetitur ex d. vers. sed an vel doli. Ergo verbum, *in seruo*, sic accipe, si seruus à domino suo sub conditione liber & heres esse iussus est, & ea conditione pendente pepigit cum creditoribus hereditariis de parte obligationis remittenda: hoc enim casu diximus suprà, nõ dari exceptionem pacti, hîc autem datur exceptio doli subsidiaria. Huic decisioni videtur obstare l. 1. §. si seruus, inf. de except. rei vend. vbi in simili casu datur exceptio in factum. Quidam, vt hęc loca concilient, distinguunt. aut enim, inquiunt, dolus interuenit, aut dolus abest. Priori casu excipitur de dolo, vt hic: posteriori casu, in factum, vt in d. §. si seruus. Hæc distinctio non est admittenda: quoniam exceptio doli non est subsidiaria, vt actio de

E dolo, sed concurrit cum omnibus exceptionibus: quia dolo facit quicumque agit, cùm ei exceptio aliqua potest obiici, infr. de doli excep. l. 2. §. item quæritur. & §. generaliter. Præterea exceptio doli potest mitigari, & suppressa doli mentione fieri in factum, quemadmodum & actio de dolo potest mitiùs proponi, vt sit in factum, infr. de dolo. l. rei quam. 33.

Ad §. vlt.

IN duob. §§. præced. respexit Vlpian. ad personam heredis paciscentis: iam incipit ea proponere, quæ

pertinent ad perſonam creditorum hereditariorum, A
ac facit diuiſionem bimembrem , cum vnius membri
ſubdiuiſione. Quando enim heres paciſcitur cum cre-
ditoribus hereditatiis , aut omnes creditores adſunt,
aut quidam abſunt. hoć poſterius membrum in princ.
l. 10. tractabitur ; prius membrum hîc ſubdiuiditur.
Cùm enim omnes creditores adſunt , vel inter eos
conuenit de portione debiti remittenda , & nullus
eſt labor, quia connentioni eorum ſtandum eſt:vel in-
ter eos non conuenit,ideóque dubitatur,quorum ſen-
tentia ſit potiſſimùm ſequenda. & hoc caſu voluntas
maioris partis præualet , atque à prætore confirma-
tur : ita vt contra regulam iuris , quæ non permittit,
vt pactum ab vna perſona factum , alteri proſit vel
noceat , infr. hoc tit.l.ſi vnus. §.pacta quæ turpem. in
fin. ſpeciale ſit , vt pactum quorundam creditorum B
aliis creditoribus noceat. Specialitatis ratio eſt æqui-
tas,nimirum vt defunctus habeat heredem , & credi-
tores habeant quem conueniant , quemadmodum
ſuprà expoſui. Ait *Hodie* , id eſt , poſt reſcriptum Diui
Marci. Ait *Creditoribus*. ſupple , hereditariis. Ait , *Si
verò diſſentiant*. Quæritur de quo diſſenſu Iuriſconſul-
tus loquatur.poſſunt enim aliqui creditores diſſentire
à maiore parte,vel quia minus, vel quia nihil remitte-
re velint. Quidam igitur hanc deciſionem reſtringuút
ad priorem diſſenſum , vt pactum creditorum partem
remittentium , noceat aliis creditoribus nolentibus
minus remittere , non etiam iis, qui nihil nolunt re-
mittere. Mouentur præcedentibus verbis , *quota parte
debiti*. Ex proximo enim repetentes , ſic interpretan-
tur , *ſi diſſentiant* , id eſt , ſi circa quotam diſſentiant. C
non videtur autem circa quotam diſſentire , qui nihil
vult remittere , quandoquidem fruſtra quæritur,
quota pars remittatur , ſi nihil remittitur. Accurſius
contrariam ſenteotiam defendit , quæ vt æquior,
ita & verior mihi videtur , & valde iuuatur l. vltim.
C. qui bon. ced. poſſ. Immo & verba noſtri §. viden-
tur mihi huic ſententiæ fauere. Nec moueor argu-
mento in contrarium adducto. Vlpianus enim ſimpli-
citer ait , ſi diſſentiant. Ergo ſimpliciter & generaliter
intelligo , ſi quoquo modo diſſentiant.nec neceſſe eſt
ex præcedentibus repetere verbum *circa quotam*. Nam
quotæ mentio fit in priori membro:quia non ſufficit
qualiſcumque creditorum conſenſus , vt pactum va-
leat:ſed requiritur conſenſus circa quotam : hoc enim
non ſufficit , omnes creditores velle aliquid remitte- D
re:ſed opus eſt , vt conſentiant in quantitatem remit-
tendam:diſſenſus alia eſt ratio. faciliùs enim diſſenſus
impendit actum,quàm conſenſus efficiat : quia ſi con-
ſenſus duplex requiritur , & eſt neceſſarius , vt modò
expoſui, cóſequens eſt,vt diſſenſus quocumqoe modo
acceptus , id eſt , cuicumque conſenſui oppoſitus im-
pediat , conſequenter pertineat ad hunc §. in quo diſ-
ſenſus opponitur illi conſenſui creditorum qui facit
prætoris partes ceſſare. Præterea quæritur , an hæc
deciſio locum habeat poſt aditam hereditatem , id eſt,
ſi maior pars creditorũ heredi,qui adiuit hereditatem,
remittat partem debiti , an prætor debeat etiam alios
creditores cogere , vt ea ſint contenti. Quidam hoc
admittunt duplici argumento moti.Primum eſt : quia
ita obtinet in filiofam. & ſeruo, id eſt , eorum pactum E
ſuſtinetur à prætore etiam in præiudicium credito-
rum, qui non coonſenſerunt : atqui filius & ſeruus ſta-
tim fiunt heredes ipſo iure , ſicut extraneus aditione.
Vnde apparet , non impediti effectum huius deciſio-
nis , eò quòd paciſcens iam ſit heres. Valebit igitur
etiam in extraneum , qui aditione factus eſt heres. In-
ſuper mouentur verſ. idem & in extraneo. §. præced.
ſic enim eum verſ. interpretantur , quaſi loquatur de
pacto extranei heredis poſt aditionem hereditatis fa-
ctam. Sed hanc interpretationem nos ſupr.reiecimus.
In contrarium facit, quia hoc ius eſt ſpeciale & contra
regulas iuris introductum,facitque præiudicium cre-
ditoribus non conſentientibus : ſtrictè igitur debet
accipi. Adde , quòd in hoc caſu controuerſo ratio ſpe-
cialitatis ceſſat. dicebamus enim hoc ius ideo intro-
ductum , vt defunctus habeat heredem , & credito-
res habeant quem conueniant : niſi enim admittere-
tur pactum , heres non adiret hereditatem. atqui hæc
ratio ceſſat in herede,qui iam adiuit. ergo ceſſare de-
bet etiam diſpoſitio legis. Denique abſurdum videtur,
cùm aditione heres ſit factus omnibus creditoribus
obnoxius , pacto quorumdam ius aliis quæſitum adi-
mi.Non obſtat argumentum ſumptum à filio & ſeruo:
quoniam etſi filiusfam. vel ſeruus ſtatim eſt heres ipſo
iure , ac pater vel dominus mortuus eſt; tamen,priuſ-
quàm ſe immiſceant,habent beneficium abſtentionis,
vel boourum ſeparationis : extraneus autem , poſt-
quàm adiuit hereditatem , nullum habet beneficium,
ſed omnimodo & efficaciter tenetur creditoribus he-
reditariis in ſolidum , niſi fortè propter ætatem aut
aliam iuſtam cauſam poſſit impetrare reſtitutionem in
integrum. Quapropter heres extraneus , qui adiuit,
noo eſt comparandus filio vel ſeruo , niſi poſtquàm
hi ſe immiſcuerunt. Atqui hi poſt immixtionem paciſ-
centes cum maiori parte creditorum , non nocebunt
aliis creditoribus diſſentientibus. idem igitur conclu-
dendum de herede extraneo , qui adiuit hereditatem.
Hoc autem ſine dubio procedit iure Pandectarum.ſed
hodie cùm Iuſtinianus heredibus certa ſeruata forma
adeuntibus tribuat beneficium,ne teneantur vltra vi-
res hereditarias, quod vulgò vocant beneficiũ legis &
inuentarij,non malè tentari poteſt,in huiuſmodi here-
de,qui cum tali beneficio adiuit,admittendam eſſe de-
ciſionem noſtri §.vt pactum maioris partis creditorum
ſuſtineatur à prętore etiam in præiudicium creditorum
diſſentientium. Poſtremò quæritur , an deciſio huius
§.producenda ſit ad debitorẽ viuũ,qui non eſt ſoluen-
do,vt ſi maior pars creditorum partem ei remittat, alij
creditores ea parte cogãtur eſſe contenti. Quod prima
facie videtur eſſe dicendũ,quoniam fauores ſunt am-
pliandi.Sed in contrarium eſt Doctorum ſententia,cui
ſubſcribo. primùm quia hoc eſt ius ſingulare cõtra re-
gulam iuris, quæ vetat pactum quorundam aliis obeſ-
ſe:non debet igitur produci ad conſequentias. Deinde
quia in debitore viuo ceſſat ratio noſtræ deciſionis,in
qua conſiderabamus eum fauorem , vt defunctus ha-
beat heredem. Denique in debitore viuente , qui non
eſt ſoluendo, aliud remedium eſt introductum à Iuſti-
niano in l. vlt. C. de his qui bon. ced. poſſ. debet igitur
ad illud confugere,& eo contentus eſſe.

Ad L. 8.

POſtquàm Vlpianus docuit quid obſeruetur , vbi
omnes creditores conueniunt, ſiue inter ſe cóſen-
tiant, ſiue diſſentiant : conſequens erat , vt explicaret,
quid iuris ſit,vbi non omnes conueniunt , ſed quidam
creditores abſunt.hoc exponet Vlp.in princ.l.10.Nam
Tribonianus interiicit duas leges 8.&9.pertinentes ad
ea explicáda,quæ nouiſſimè ab Vlpiano dicta ſunt pro
deciſione illius ſpeciei, cùm creditores inter ſe diſſen-
tiunt.In primis igitur , quia dixit Vlp. prætorem ſequi
voluntatem maioris partis creditorum: quæritur,quo-
modo maior pars accipiatur:ſecundò quæritur , ſi ma-
ior pars non reperiatur , quia diuerſæ ſint ſẽtẽtiæ ha-
bentes totidem auctores , quid faciendum ſit. Vtram-
que quæſtionem tractat Papinianus in hac l.8.priorem
in pr.legis,poſteriorem in verſ.in numero.

Ad priorem quæſtionem reſpondet , maiorem cre-
ditorũ partem accipi duobus modis, id eſt,vel ratione
quantitatis

quantitatis debitæ, vel ratione numeri personarum: ac docet maiorem haberi rationem debitæ quantitatis, quàm numeri personarum. Sic (exempli gratia) quatuor creditores hereditarij, quorum primo debeantur ducenta, secundo octoginta, tertio triginta, quarto decem: ac primus dissentiat à ceteris, dicimus primum solum constituere maiorem partem creditorum, quia plus debetur soli primo, quàm reliquis omnibus simul. Quòd si omnibus deberentur summæ æquales, putà singulis quinquaginta, tunc maiorem partem vocaremus, vbi sunt plures creditores.

Ad alteram quæstionem Papinianus per distinctionem respondet. Aut enim creditorum dignitas est diuersa, aut eadem. dignitatem hic accipe, non pro honore publico, sed latius pro existimatione, quæ reperitur etiam in personis priuatis, immo & in seruis, infr. de vsufruct. l. sed si quid. 15. Priori casu, vbi diuersa est creditorum dignitas, prætor eorum sententiam, qui meliores sunt, tueri debet: posteriori casu debet admittere illud pactum, quod æquius & humanius est. Hic quæritur, quódnam pactum dicatur humanius. Baro distinguit, vt interdum humanius dicatur, quod fauet heredi, interdum quod creditoribus. Finge maiorem esse inopiam creditorum, quàm hereditatis: vt putà quia in hereditate sunt centum, ac debentur centum quinquaginta: creditores autem habēt centum, sed aliis debent ducenta, vel trecenta: hîc, secundum Baronem, admittendum est pactum, quod fauet creditoribus, id est, quod minus remittit, ne ære alieno oppressi cogantur multum ex eo, quod sibi debetur, remittere: contrà si creditores sint diuites, humanior est sententia, quæ plus remittit, & heredi prodest. Accursius autem, cuius sententiam etiam Cuiacius amplectitur, indistinctè humaniorem sententiam appellat eam, quæ fauet heredi, id est, quæ maiorem partem remittit: atque hanc sententiam ego quoque probo: quia sic accipitur humanior sententia in d. l. vlt. C. qui bon. ced. poss. vbi simile remedium traditur a Iustiniano: nec potest diuersitatis ratio afferri, cur aliter debeat accipi humanior sententia ibi, quàm hîc. Denique in hac causa & quæstione proposita heres omnino est fauorabilior creditoribus, & semper reus, vel debitor est fauorabilior actore seu creditore: sicut liberatio est fauorabilior obligatione, infr. de oblig. & action. l. Arrianus. 47.

Ad L. 9.

HÆc lex pertinet ad explicandum, quomodo intelligatur maior pars creditorum in §. vlt. l. 7. atque hîc traduntur de ea re aliquot regulæ.

Prima regula est: Plures rei credendi numerantur pro vna persona, quoniam est vna obligatio. Correorum exempla duo proponuntur, id est, rei stipulandi, & argentarij, quorum nomina simul facta sunt. Obserua, stipulationem, & nominum obligationem distingui, vt & in l. 1. infr. de ann. legat. quia stipulatio verbis contrahitur, nominum autem obligatio fiebat per scripturam, vt Iustinia. docet Institut. de liter. oblig. Nomina enim facere, est pecuniam aliquibus expensam in tabulas referre: vnde Asconius in 3. Verr. *Tabulis (inquit) debitorum, nomina dicuntur, præsertim in iis debitis, in quibus hominum nomina scripta, quibus pecunia commodata sunt, cui rei contrarium est, mutuas accepisse.* In quibus verbis notandum obiter est, Asconium accipere commodatum pro mutuo, quomodo etiam accepit Cicero Verr. 6. vbi ait: *Publicè commodasti non sint magno quidem prouincia Siciliaque detrimento tritici modios sexaginta.* Ait autem I.C. *nomina simul facta*, vt indicet esse correos.

Altera regula proponitur in vers. & cùm tutores. Plures tutores vnius pupilli habentur pro vna perso-

A na: nec mirum, quia hîc non solùm est obligatio, sed etiam vna persona principalis, cui debetur: hoc est, vnus pupillus, cuius nomine tutores interueniunt.

III. Regula subiicitur in vers. nec nō & vous: Si vnus tutor interueniat nomine multorum pupillorum vnum debitum prætendentium, non habet plura vota, sed numeratur vt vna persona: quia hîc quoque vna est obligatio: ideo diximus, vnum debitum prætendentium. Quòd si diuersæ essent obligationes, existimarem hunc tutorem haberi pro diuersis personis: quia fieri potest, vt idem tutor diuersorum pupillorum diuersa debita prætendentiū à semetipso dissentiat, & habet diuersa vota. Finge vnum pupillum esse priuilegiatum, vt debeat aliis creditoribus præferri, alterum carere priuilegio: certè tutor ex officio faciliùs debet partem debiti

B remittere, quatenus est tutor pupilli non priuilegiatij, quàm vt tutor alterius pupilli, qui priuilegio suo vtens, fortassè consequetur solidum, vnde pactum videtur ipsi non tam prodesse, quàm nocere. Nec obstat, quod ait Paulus, difficile esse, vt vnus homo duorum vicem sustineat: quia quod est difficile non est impossibile. Nec est nouum, vt vnus plurium vicem obtineat, siue plures personas sustineat, infr. de stipul. seruor. l. 1. §. communis.

IV. Regula subuectitur in vers. nam nec is. Creditor, qui plures actiones habet, non sustinet vicem plurium personarum: sed vnius tantùm. Hanc regulam, vt proponitur generaliter, ego generaliter accipio, id est, siue sint actiones concurrentes de eadem re, & ex eodem contractu, veluti si quis habeat certi condictio-

C nem generalem vna cum aliqua speciali condictione; siue sint actiones de diuersis rebus, & de diuersis causis, veluti si quis habeat actionem ex stipulatu, & ex mutuo: vna enim est persona creditoris & diuersæ illæ actiones coniunguntur, ita vt si vna actione (exempli gratia) petat decem, alia quinque, intelligatur esse creditor quindecim. Ergo diuersæ actiones possunt ipsi prodesse, vt dicatur creditor maioris summæ, ideóque eius sententia præferatur voto eius cui minus debetur: non tamen habeatur pro multis creditoribus. Quod nunc dixi, probatur eo quod deinceps proponitur in §. 1. huius l. vbi traditur V. regula.

Sicut debeantur diuersæ summæ, oportet omnes illas summas in vnam colligere, ita vt intelligatur creditor eius summæ quæ ex multis particularibus coniun-

D ctis efficitur. Hanc etiam regulā generaliter accipio, id est, siue diuersæ summæ debeantur ex eadem causa, siue ex diuersis. eandem causam intelligo in genere, exempli gratia, siue cui debeantur decem ex mutuo & quinque ex stipulatione; siue decem ex mutuo, & quinque similiter ex mutuo: quia diuersis temporibus crediderit diuersas summas, primò decem, postea quinque, siue primò stipulatus sit decem, & postea stipulatus quinque: in omnibus his casibus æquè dicitur creditor quindecim. Notandum igitur est, hîc diuersas summas in vnam conferri: quod secus est in quæstione de iurisdictione, sup. de iurisdict. l. si idé. 11. vel de donatione insinuanda, C. de don. l. sancimus. 34. §. si quis autē per diuersa. quoniā ibi singulæ summę per se considerātur, &

E per se consistunt, hoc est, singulæ summæ separatim petuntur, & singulæ donationes per se valēt, nec opus est, dum iudex de vna summa petita iudicat, vt etiā alterius summæ rationem habeat: item cùm certa summa donatur, nihil ad hanc donationem facit alia donatio præcedens, vel postea sequens, cùm singulæ conuentiones per se spectari debeant. Hinc igitur est, quod iudex, qui non habet iurisdictioné (exempli gratia) vltra trecētos aureos, tamen potest iudicare de plurib. summis, quarū singulæ sunt intra quantitatem trecentorum aureorū, sed earum coacervatio excedit trecentos aureos. Hinc

etiam est, quod plures donationes diuersarum summarum, quarum nulla per se conficit quingentos aureos, omnes autem coniunctæ superant eam quantitatem, non requirunt insinuationem, quam exigit donatio excedens quingentos aureos. In casu autem nostro secus est: quia omnium creditorum simul ratio habetur, & simul agitur, vt omnibus & singulis creditoribus aliquid detrahatur, & omnes ac singulæ obligationes minuantur: vnde cum omnes obligationes simul considerentur, non est mirum, si & summæ diuersæ coniungantur in vnam, quasi vna debeatur.

Vltima regula proponitur in §. summæ. vt scilicet non solùm coniungantur summæ principales, sed etiam iis adiungantur accessiones, vt vsuræ: sicuti ergo debentur centum nomine sortis, & quinque nomine vsurarum, is dicetur creditor centum & quinque. Hanc quoque regulam, quia generaliter I. C. ait, summæ applicari vsuras, generaliter accipio, siue vsuræ sint in obligatione, vt quia per stipulationem sunt promissæ, siue tantùm officio iudicis contineantur, vt quia debeantur ex mora.

Ad princ. L. 10.

DIctum fuit in §. vlt. l. 7. aut omnes creditores hereditarios conuenire, aut eorum quosdam abesse. Cùm igitur prius membrum hactenus expositum sit, exponendum est & alterum. Quæritur ergo, an pactum creditorum præsentium noceat etiam absentibus: non enim dubium est, quin valeat contra ipsos paciscentes: item, si noceat absentibus, quæritur, an noceat etiam priuilegiariis, vel habentibus hypothecas: item quæritur, an noceat absentibus etiam non citatis. Priores duæ quæstiones simul in contextu dissoluuntur: sed primùm in primis verbis legis proponit Vlpianus occasionem harum quæstionum. Occasio hæc est, quod diuus Marcus dans formam pacto heredum & creditorum hereditariorum, supponit omnes creditores conuenire: nec quicquam expressè statuit de eo casu, quo aliqui absint. Si quis quærat, quomodò Diuus Marcus id supponat, existimo verba rescripti fuisse indefinita, quomodo etiam ipse Vlpian. sententiam rescripti referens explicuit in d. §. vlt. l. 7. id est, si creditores consentiant, non addito verbo *quidam*, aut verbo *omnes*. Quoniam igitur oratio indefinita æquipollet vniuersali, infr. de legat. ij. l. si pluribus. 44. & de au. & arg. legat. l. cùm aurum. 19. idcirco Diuus Marcus, dum dixit creditores & heredes pactos esse, videtur intellexisse omnes creditores, sed quia non expressè dixit omnes, ideo subest aliqua dubitatio, & Vlpianus apponit improprietatis particulam *quasi*, dum ait, *sic loquitur, quasi omnes creditores debeant conuenire.* Hac quærendi occasione exposita, subiicit Vlpianus priorem quæstionem, dum ait, *Num exemplum præsentium absentes sequi debeat?* id est, an pactum creditorum præsentium noceat absentibus, vt cogantur tantam partem debiti remittere, quantam præsentes remiserunt? Posthac, in vers. sed an & priuilegiarij. adnectit alteram quæstionem, quæ ex priori pendet, ac quærit, an pactum creditorum præsentium noceat absentibus priuilegiariis: nihil expressè quærit de creditoribus habentibus hypothecam: mox tamen in decisione, horum quoque mentionem faciet. Decisionem autem proponit in vers. & repero. quam colligit ex rescripto Diui Pij, quamquàm hoc rescriptum est antiquius rescripto Diui Marci, sed non est nouum, vt nouæ leges ex antiquis explicentur. Sententia decisionis est, pactum nocere absentibus priuilegiariis, qui habent actionem personalem, non obesse autem creditoribus habentibus hypothecam. Ergo hi, quàm illi, sunt melioris conditionis, vt & in l. cos. 9. C.

A qui potior. in pign. Atque hoc consentit cum regula vulgari, Plus est cautionis in re, quàm in persona, infr. de diu. reg. iur. l. plus cautionis. 25. Porro nominatim fit mentio fisci, qui habet quidem priuilegium, sed nihilominùs aliorum creditorum pacta ei nocēt in iis casibus, in quibus non habet hypothecam: alioqui iure hypothecæ pactum illud contemneret. id est, non obstante pacto aliorum creditorum, posset vti actione hypothecaria, & retinere pignus, donec solidum debitum sibi solueretur. Generaliter enim hæc decisio sic est intelligenda, vt pactum dicatur non nocere habentibus hypothecam, si agat actione hypothecaria: nam si agat in personam, ipsi quoque pacti exceptio obstabit. Differentiæ ratio inter actionem personalem, & hypothecariam est, quod personalis non potest intentari, nisi
B heres adeat hereditatem, & aditione se creditoribus obnoxium faciat; ergo vt creditores habeant quem conueniant, pactum fauorabiliter sustinetur, etiam quibusdam absentibus vel inuitis: hypothecaria verò non intentatur contra heredem, sed contra quemcumque possessorem: vnde cùm creditoris, qui pignori vult incumbere, contra heredem autem non vult agere, pactum de parte debiti remittenda nihil prosit, non debet etiam nocere: alij verò agentes in personam non debent de eo pacto conqueri, quasi damnum sentiant, ob partem debiti remissam, quoniam ex eodem pacto sentiunt magnum beneficium, id est, habent quem conueniant. Iam aduersus ea, quæ diximus, occurrunt aliquot obiectiones. Primum quia dictum est, pactum nocere fisco iis casibus, quibus fiscus non habet ius pi-
C gnoris vel hypothecæ: oppono, quod fiscus semper habet ius pignoris, infr. de iur. fisc. l. aufertur. 46. §. fiscus. Pro solutione intelligendum est, eam regulam, quod fiscus semper habet ius pignoris, esse ita limitandam, vt habeat tantùm ius pignoris ex sua persona, veluti ex suo contractu. Quod vt meliùs intelligatur, notanda est distinctio: aut enim fisco debetur aliquid ex delicto, aut ex contractu. Priori casu fiscus neque priuilegium, neque pignus habet: quoniam in pœnis exigendis cedit priuatis creditoribus, infr. eod. l. in summa. 17. l. quod placuit. 37. l. Statius 48. §. vlt. & C. de pœn. fiscal. credit. præfer. l. vn. Posteriori casu subdistinguendum est: aut enim fisco debetur ex contractu ipsius fisci, aut ex contractu alterius, cui fiscus successit. Quando contractum est cum fisco, omnimodò fiscus habet ius pignoris, C.
D in quib. caus. pign. tac. contrah. l. 2. Cùm autem fiscus succedit creditori non habenti pignus, tunc nec ipse habet ius pignoris, nisi ex eo tempore, quo successit: quatenus autem repræsentat personam defuncti, id est, ratione anterioris temporis, nempe antequàm succederet, ius pignoris non habet, infr. de iur. fis. l. 6. Præterea, quod dictum est, pactum creditorum præsentium nocere absenti priuilegiario, videtur euerti per contex. in l. si præcedente. 58. §. Lucius. infr. mandat. vbi dicitur pacto creditorum præsentium non auferri absentibus priuilegium. Doctores variant, & valdè laborant in his locis conciliandis: sed breuiter conciliationem illam veram esse puto, quam tradidi cent. 1. quæst. 89. Tertiò opponitur, quod hæc decisio est iniqua, id est, iniquum est, haberi maiorem rationem creditorum non priuilegiariorum, licèt plures sint, quàm creditoris priuilegia-
E rij: quia cùm hic illis omnibus præferatur, fortasse illi in huius fraudem volunt partem obligationis infringere, intelligentes se nihil aut parùm consequi posse, eò quòd nihil possunt consequi, antequàm priuilegiario sit plenè satisfactum. Iason hanc obiectionem soluere non potest, ideòque nobis cogitandum relinquit. Ego pro solutione considero nos in præsentia loqui de actionibus personalibus, & de herede, qui nondum adiuit hereditatem, nec vult adire, nisi pars debiti sibi remittatur,

remittatur, ideóque non potest à creditoribus hereditariis conueniri, siue priuilegium prælationis habentibus, siue eo carentibus. Ergo hoc pactum, quod ad actionem mouendam attinet, æquè prodest priuilegiario, atque aliis creditoribus: proinde, sicut commodum, ita etiam aliquod incommodum sentire debet: nec potest cooqueri, cùm priuilegium (vt supr. docui) retineat, adeo vt eo sit vsurus in parte exigenda, in qua aliis creditoribus præfertur. Postremo nostro cõtextui opponitur lex vlt. C. qui bon. ced. poss. vbi tollitur discrimen inter priuilegiarios, & pigneraticios creditores, ita vt noceat vtrisque pactum maioris partis creditorum: malè igitur hîc statuitur, pactum obesse tantùm priuilegiariis, non etiam habentibus hypothecam. Hanc obiectionem commodè Bartolus dissoluit, tradens differentiam, ac differentiæ rationem inter nostrum contextum, & d. l. vlt. Hîc enim agitur de magno præiudicio, id est, de parte eius, quod debetur, omnino remittenda: sed in d. l. vlt. agitur de modico præiudicio, id est, de dilatione: nihil enim ibi remittitur, sed tantùm exactio differtur: quamobrem maior ibi est æquitas; & creditores, qui hypothecam habent, conqueri non possunt. Fauet huic solutioni, quod statuitur in l. 2. C. de precibus imper. offer. His expositis quæro, vt pactum creditorum præsentium valeat etiam in preiudicium absentium, an necesse sit absentes citari. Iacobus Butrigarius, & Bartolus & Baldus existimant citationem esse necessariam; adeo vt ea prætermissa, pactum non noceat creditoribus absentibus, sed tantùm creditoribus præsentibus, qui pacti sunt. Angelus contrà citationem non requirit. Castrensis putat Angeli opinionem esse veriorem, priorem tamen esse tutiorem, hoc est, posse quidem iure defendi, quòd pactum nocet etiam absentibus creditoribus non citatis: qoia tamen hæc sententia non caret dubitatione, tutiùs facturum, & meliùs sibi prospecturum heredem, qui curabit absentes citari, vt sine vlla controuersia etiam aduersus illos exceptione pacti vti possit. Huic sententiæ ego subscribo, & Angeli opinionem veriorem iudico, quia lex nostra citationem non exigit, & quia præsentes creditores non disponunt de iure absentium, sed tantùm de iure suo, id est, non remittunt partem eius, quod omnibus creditoribus debetur, sed tantùm eius, quod sibi debetur. Quod autem hoc pactum absentibus noceat, non fit vi ipsius pacti, quasi pactum hoc ad creditores absentes producatur: sed fit potestate iuris, quod iubet absentes eadem parte esse contentos, qua præsentes contenti sunt: hoc est, iobet absentes ita pacisci cum herede, vt præsentes pacti fuerunt; & tantam partem remittere heredi, quantam præsentes remiserunt; tutiùs tamen est citare absentes, vt omnis quæstio & dubitatio tollatur: quoniam aliàs passim videmus requiri citationem eorum, quorum interest, supr. de adopt. l. nam ita diuus. 39. & infr. de recept. qui arbitr. l. si vnus. 17. §. vlt. & l. seq. & de re iudica. l. de vno quoque. 47. & si cui plus quàm per leg. Falc. l. 1. §. cùm dicitur. & Nou. 119. cap. 6.

Ad §. 1.

IN hoc §. tractatûr de stipulatione pœnali pacto adiecta. Diuiditur autem in quatuor partes: prima continet speciem: secunda quæstionem: tertia, quæstionis decisionem: vltima, decisionis expositionem.

Prima pars continetur his verbis, *Si pacto subiecta sit pœna stipulatio.* Quæ verba quia concisè sunt proposita, & magis innuunt, quàm explicant speciem, idcirco hæc species non eodem modo ab omnibus accipitur. Baro restringit ad pactum, de quo suprà tractatum fuit, id est, quod fit inter creditores hereditarios & futurum he-

A redem de parte obligationis remittenda, vt hac ratione hic §. præcedentibus cohæreat: sed quia verba contextus generalia sunt, Doctores communiter intelligunt quoduis pactum liberatorium, id est, inter quoscumque creditores & debitores factum, vt species talis sit: Debitor cum creditore pactus est, ne à se petatur: deinde subiecit stipulationem conditionalem, qua stipulatus est certam pœnam, si creditor aduersus ea fecerit, id est, si contra fidem pacti ampliùs petierit. Ego hanc quidem interpretationem priori antepono: malo tamen adhuc generaliùs accipere hunc §. quia simpliciter loquitur de pactis, & de pacti exceptione, vt non sit opus coangustare hanc speciem ad pactum liberatorium, cùm æquè possit pertinere ad pactum obliga-B torium: quandoquidem etiam ex pacto obligatorio competit exceptio, vt expressum est in l. pacta conuenta. 72. in princip. infr. de contrah. empt. Hæc de specie.

Sequitur quæstio, cùm Vlpianus ait, *Quæritur, vtrùm pactis exceptio locum habeat, an ex stipulatu actio.* Actionem ex stipulatu hîc latè accipe, vt in l. 7. §. quod ferè. supr. h. t. pro omni actione, quæ ex stipulatione descendit, siue certum quid persequatur, quo casu propriè dicitur certi condictio; siue incertum, quo casu propriè vocatur actio ex stipulatu, Institut. de verb. oblig. in princip.

Postea subiungit Vlpianus decisionem ex Sabino, cùm ait, *Sabinus putat.* &c. Quod ait, *Vtraque via*, sic ac-C cipe, quasi dixerit, alterutra: non enim potest vtroque remedio simul vti, sed alterutro: quoniam habet optionem, vt ostendunt sequentia verba, *prout elegerit. qui stipulatus est.* Sed hoc clariùs explicatur in seq. vers. si tamen. qui continet vltimam partem huius §. ibi enim ait Vlpianus, cum eidem paciscenti & stipulanti concesserimus, & exceptionem & actionem ex stipulatione: tamen si ab aduersario contra fidem conuentionis fuerit iudicio conuentus, eúmque exceptione pacti submouerit, stipulationem non habere ampliùs effectum, immo acceptilationem tollendam esse. Huic decisioni sic explicatæ quædam videntur obstare: sed in primis notandæ duæ exceptiones, id est, duo casus, quibus vtrumque remedium cum effectu competit, ita vt D idem possit & excipere pacto, & petere pœnam ex stipulatione. Alter casus, quando conuentio fuit iureiurando firmata: nam etsi petatur pœna ex stipulatu, nihilominùs propter vim iurisiurandi seruanda est conuentio, ideóque ex eo datur exceptio, C. de transact. l. si quis maior. 41. Alter casus est, si quis pœnam stipulatus sit rato manente pacto: hæc enim clausula vim habet, vt pœna soluatur ex stipulatione, & nihilominùs salua maneat pacti exceptio, infr. eod. l. qui fidem. 16. & C. eod. l. cùm proponas. 17. aliàs, præter hos duos casus, vno tantùm remedio vti possumus, id est, vel sola exceptione, vt Vlpianus ait in vlt. vers. nostri §. vel sola pœnæ petitione, vt in l. si pater. 12. §. si mulier. infr. de pact. dotal. Sed aduersus hanc decisionem opponi potest: primùm vt probetur, ipso iure vnum tantum remedium competere, adeo vt nulla electio detur paciscenti ac stipulanti: deinde, vt è contrario probetur, vtrum-E que remedium simul competere, nec vnius electione alterum tolli Prior obiectio nititur l. obligationum ferè. 44. §. 1. infr. de oblig. & act. vbi tractatur talis species: quidam nauim fieri stipulatus est, & si non fieret, stipulatus est centum, quæritur, vtrùm duæ sint obligationes, altera faciendæ nauis, altera dandorum centum, an vna sit obligatio centum: & respondet I. C. tantùm centum deberi, quoniam stipulatio prior, in quam nauis facienda deducta fuerat, per posteriorem quodammodò nouata est. Similiter igitur in casu nostro pactum videtur subiecta stipulatione pœnali nouatum esse. Ad

esse. Ad hanc obiectionem Doctores variis modis res-
pondent: sed omissis illorum solutionibus, quæ faciliùs
refutari, quàm defendi possunt, dico in primis conside-
randum esse, quòd I. C. in d. §. vlt. non ait esse veram
nouationẽ, sed quasi nouationem. Hoc ita explico: quia
prior stipulatio erat facti; huiusmodi verò stipulatio-
num natura est, vt ex eis pecunia, id est; æstimatio de-
beatur, infr. de re iudic. l. si quis ab alio. 13. in fin. & de
verb. oblig. l. stipulationes non diuiduntur. 72. in princ.
l. vbi autem. 75. §. qui id quod. Vnde quia incertum est,
quanti factum æstimabitur, solent contrahentes stipu-
lationi, quæ in faciendo consistit, addere stipulationem
certæ quantitatis, nisi fiat quod promissum fuit, vt hæc
certa quantitas in locum illius æstimationis succedat,
atque ita omnis lis amputetur, Instit. eod. §. vlt. Cùm
igitur huiuscemodi stipulatio certæ pecuniæ subiicitur
stipulationi facti, hæc prior stipulatio non est quidem
nouata. (quomodò enim hoc dici potest, cùm posterior
stipulatio magis confirmandæ, quàm tollendæ prioris
causa interponatur? Vt enim metu pœnæ coerceatur, &
faciat quispiam quod promisit, priori contractui subii-
cimus stipulationem certæ pœnæ, nisi id fiat:) sed dici-
tur quasi nouata, & quasi transfusa in posteriorem; quia
non potest habere effectum, nisi per posteriorem, ita vt
si ex prima agere velis, cogaris vti etiam secunda, quam-
uis secunda per se constet & sufficiat. Nam si ex secun-
da stipulatione petas centum, res est expedita, nec po-
teris aliquid ampliùs petere: quod si ex prima stipula-
tione velis petere pecuniam, tamen necesse erit eius
pecuniæ quantitatem definiri ex secunda stipulatio-
ne. Alia ratio est, cùm prior stipulatio in dando con-
sistit, quoniam ex ea debetur ipsa res promissa, non
eius æstimatio: item alia ratio est in casu nostro: quo-
niam exceptio pacti nihil habet commune cum pœnæ
petitione: proinde pactum nec nouatur subiecta stipu-
latione pœnali, nec potest quasi nouatum videri.

Sequitur posterior obiectio, qua probari videtur,
vtrumque remedium simul competere cum effectu, ita
vt electione vnius alterum non tollatur. Hæc senten-
tia videtur probari per l. qui Romæ. 122. §. vlt. infr. de
verb. oblig. vbi duo fratres communem hereditatem
diuiserant; nihílque commune sibi mansisse caue-
rant; ideóque, ne ampliùs eo nomine lis esset, con-
uenerant; ac stipulationem pœnalem aduersus eum,
qui contra conuentionem quid petierit, subiecerant:
postea vnus ex fratribus contra fidem conuentionis
datam, fideicommissum petens, exceptione submotus
fuerat: & quærebatur, an nihilominus pœna ex stipu-
latione commissa esset. Scæuola respondet esse com-
missam. Ecce igitur, etiam post exceptionem pacti in
iudicio propositam, deberi pœnam ex stipulatione;
proinde vtrumque remedium simul competere, & ha-
bere effectum. Pro solutione diuinat Baro, ibi fuisse
adiectam clausulam, *rato manente pacto*, alij aliter: sed
vera est eorum solutio, qui dicunt pœnam quidem esse
commissam, non tamen peti posse: quoniam, vt Vlpia-
nus ait, hîc acceptò ferri debet. Tantùm igitur abest, vt
hæc loca sint contraria, vt potius inter se pulchrè con-
sentiant. Cùm enim certa sit & vulgata iuris regula,
priuationem præsupponere habitum: certe si pœna ac-
ceptò ferẽda est, oportet eam esse commissam, & si ipso
iure cõmissa est, potest acceptò ferri: quandoquidem ea
demum obligatio dissolui per acceptilationem potest,
quæ iure est constituta. Præterea opponitur nostræ
decisioni l. vbi pactum. 40. C. de transact. vbi dicitur, ab
eo, qui fidem transactionis rumpit, & pœnam promis-
sam solui debere, & simul etiam ea, quæ accepit, resti-
tuenda esse. Sed re vera hæc lex nihil facit ad proposi-
tum: continet enim speciem & decisionem omnino
diuersam à nostro casu & nostra decisione. Primùm

A enim ibi est Aquiliana stipulatio, hîc nudum pactum.
Deinde pœna ibi coniungitur non cum exceptione pa-
cti, vt in nostro casu, sed cum restitutione eorum, quæ
transactionis causa data fuerant. Denique ibi & pœna
infertur, & accepta restituuntur, non ex iuris necessita-
te, cuiusmodi necessitas in §. nostro spectatur, sed ex
mera voluntate, & ex mutuo vtriusque partis à transa-
ctione discedentis consensu, vt verba illa legis perspi-
cuè demonstrant, *Si hoc aduersarius maluerit*. Postremò
minùs ad rem facit §. 1. l. 7. infr. de condict. furt. qui
etiam solet nostro contextui obiici: ibi namque hoc
tantùm habetur, eum, cui res surrepta est, posse & rem
vindicare seu condicere, & pœnã dupli vel quadrupli à
fure petere: sed quid hoc habet commune cum nostra
specie? Non enim negamus posse peti rem, & pœnam:
B sed negamus posse peti pœnam ex stipulatione, & ex-
cipi ex pacto, in ea specie, quam suprà exposuimus. hîc
igitur sunt duæ conuentiones eodem spectantes, id est,
ad coërcendum aduersarium, ne petat: ibi verò nulla
est conuentio, tantùm consideratur delictum, id est,
furtum, & dominium rei furtiuæ.

Ad §. vlt. & tres ll. seqq.

Dictum est de exceptione pacti: nunc dicendum de
exceptione doli accommodata ad pacti exceptio-
nem. Sciendum est, doli exceptionem concurrere cum
pacti exceptione, quemadmodum & cum omnibus
aliis exceptionibus: quoniam dolo malo facit, quicum-
que petit, cum petitioni aliqua exceptio obstat, infr. de
C doli except. l. 2. §. & generaliter. Quotiescumque igitur
datur pacti exceptio, datur etiam doli exceptio: sed
hoc non reciprocatur: nam doli exceptio latiùs patet,
quàm exceptio pacti: & quibusdam casibus datur exce-
ptio in subsidium deficientis exceptionis pacti: cuius-
modi sunt casus, qui hîc tractantur. Primò autem pro-
ponitur generalis regula, quòd sæpe contingit, vt ces-
sante pacti exceptione tribuatur doli exceptio subsi-
diaria. Deinde explicatur hæc regula quinq; exemplis.
Quorum primum, id est, in procuratore paciscente tra-
ctatur in §. vlt. l. 10. & trib. lll. seqqq. De aliis igitur exẽ-
plis postea videbimus: nunc de procuratore dicendum,
secundum ordinem nostri contextus. Primò igitur Vl-
pianus in vers. vtputà. ponit hoc axioma, quòd ex pacto
procuratoris mei non datur mihi exceptio pacti, sed
D doli. non pacti; quia pactus non sum: sed doli; quia sua-
det æquitas, vt procuratoris mei pactum mihi prosit;
& quia dolo malo facit aduersarius, dum à me petit
cõtra fidem, quam procuratori meo dedit. Simile quid-
dam in actionibus seruatur: per procuratorem enim
domino quæritur actio vtilis, non directa, infr. de pro-
curat. l. in causæ. 27. & de acq. poss. l. possessio quoque
49. §. vlt. Deinde in eodem vers. confirmat Vlpianus
propositum axioma auctoritate Trebatij, & eiusmo-
di argumento: Pactum mei procuratoris mihi nocet:
ergo etiam prodest. Consecutio nititur vulgata regu-
la, Ad quem pertinet commodum, ad eundem etiam
pertinere incommodum: & contra. Intelligo enim
hanc rationem generaliter prout verba generaliter &
simpliciter sunt concepta, vt quodcumque sit pactum,
E mihi prosit, aut noceat, dummodò sit pactum validum:
potissimum autem hæc sententia procedit in diuersis
pactis, vt sensus sit, quemadmodum mihi nocet, si pro-
curator paciscatur de non petendo à meo debitore, ita
etiam mihi prodesse, si paciscatur, ne meus creditor pe-
tat. Quod ergo ait, pactum nocere aut prodesse, non
tam est intelligendum de vno & eodem pacto in spe-
cie, quàm de pacto generaliter accepto, & ita etiam
Doctores hunc locum intelligunt: quod notare opor-
tuit, propter §. quod ferè. l. 7. supr. ex quo nonnulli
malè

tnale colligebant, eandem conuentionem simul esse pactum & stipulationem: quoniam ibi proponuntur quædam verba, quæ dicuntur habere vim & pactionis & stipulationis. Atqui non dicuntur habere vim eodem casu, neque considerantur verba illa in vno speciali casu, sed generaliter vt omnes eorum significationes explicarentur, quæ variis casibus accommodantur, quemadmodum & hîc pactum procuratoris non specialiter, sed in genere consideratur.

Ad L. Quia & solui. 11.

QVod proximè dixit Vlpianus pactum procuratoris prodesse domino, & confirmauit eo argumento, quia similiter nocet domino, id Paulus hac lege, quę præcedenti cohæret, noua ratione confirmat: & videtur arguere à solutione ad pactum hoc modo: Debitor procuratori creditoris soluere potest: ergo etiam cum eo pacisci potest, ne à se petatur, & sicut illo modo, ita etiam hoc liberabitur per exceptionem. Hoc argumentum non videtur concludere, nec videtur esse bona consequentia: quoniam ei, qui solutioni adiectus est, solui quidem rectè potest, sed pactum cum eo factum non valet, quod & aliis casibus notari potest, infr. de pec. constit. l. 7. & de donat. l. cui rectè. 10. & de solut. l. cum quis. 38. Accursius fatetur non esse bonum argumentum: Cuiacius ait, argumentum & consecutionem regulariter valere, licèt non semper valeat. Ego verò puto, idem esse hîc dicendum, quod supr. dixi in l. 2. & l. 4. id est, decisionem hîc confirmari, non allata ratione decidendi, sed soluta quadã obiectione. Etenim si procuratori solui non posset, pactum procuratoris domino non noceret: argumentum enim à solutione ad pactum negatiuè concludit, infr. h. t. l. sed si tantùm. 13. & l. contra. 21. Perinde igitur est, ac si Paulus diceret: Ne mireris, quod dictum est, pactum procuratoris domino nocere: nam si quidem ei solui non posset, certè pactum nõ valeret: sed ei rectè soluitur: ergo hęc obiectio planè cessat: & nihil obstat, quò minùs pactum valeat.

Ad L. Nam & nocere. 12.

HÆc quoque lex cohæret §. vlt. l. 10. vbi Vlpianus argumentabatur à pacto quod nocet, ad pactum quod prodest: & dicebat pactum procuratoris prodesse: ergo etiam obesse. Huius argumenti vis consistit in antecedente, & consequentia: sed consequentia manifesta est ex vulgata regula, quod idem sentire debet commodum & incommodum: antecedens autem ab Vlpiano declaratur, & confirmatur. Declaratio est, quia pactum procuratoris dicitur valere & nocere domino, siue habeat mandatum speciale de paciscendo, siue generale, quo rei administratio sit ei concessa. Vbi mandatum est speciale, res dubitatione caret. Sed quod ad mandatum generale attinet, ne implicemur quibusdam difficultatibus, notandæ sunt duæ limitationes. Prior est, quòd habens generale mandatum, & rerum administrationem, non potest transigendi causa pacisci, nisi habeat liberam administrationem, infr. de procurat. l. procurator cui. 58. l. mandato generali. 60. l. procurator tutorum. 63. Altera limitatio est: quia nequidem habens liberam administrationem, potęst donandi causa pacisci, infr. h. t. l. contra. 28. §. vlt. & de donat. l. filiusfam. 7. & C. de nouat. l. 4. Hæc de declaratione. Sequitur confirmatio, quæ duplex est. Altera sumitur ab auctoritate I. C. Puteolani lib. j. adsessoriorum, id est, eorum, quæ notauit, & quæ tractata fuerunt, cùm ipse esset adsessor. Altera confirmatio est per argumentum à simili: nam procurator, siue habeat speciale, siue generale mandatum, potest rem petere, & petendo in iudi-A cium deducere, adeo vt, si dominus postea eandem rem petat, ei possit vtiliter opponi exceptio rei iudicatæ: similiter igitur potest procurator pacisci, & eo casu poterit domino opponi exceptio doli.

Ad L. Sed si tantùm. 13.

HActenus locuti sumus de procuratore dato ad negotia: hæc autem lex est de procuratore ad litem. Hîc habemus regulam, & exceptionem, & regulæ & exceptionis rationem. Regula est: Procurator creditoris ad agendum datus non potest cum debitore pacisci de non petendo: probatur hæc regula: quia non potest ei procuratori solui: suprà autẽ diximus, negatiuè argumentum valere à solutione ad pactum, quam-B uis affirmatiuè non valeat: cùm igitur huic solui non possit, non poterit etiam pacisci, & generaliter procurator non debet excedere fines mandati: excedit autem fines mandati, qui datus est tantùm ad agendum, si vel exigat, vel paciscatur. Rectè cùm Paulo dixi, ***tantùm ad agendum***, seu, ***tantùm ad actionem***, subaudi, mouendam: quia nihil prohibet, huic mandato adiici mandatum etiam de exigendo, vel paciscendo: quo casu, propter expressum mandatum sine dubio procurator id iure facere poterit, infr. de solut. l. hoc iure. 86. Excipit Paulus, nisi sit procurator datus in rem suam: nam huius pactum repellet à petitione etiam eum qui procuratorem fecit. Ratio est in contextu, quia hic procurator pro domino habetur, cùm vtilitas ad ipsum pertineat, ideóque etiam in actione mouenda præfertur domino, C infr. de procurat. l. procuratore in rem suam. 85.

Ad L. Item magistri. 14.

EXpositum est primum exemplum pacti, ex quo datur exceptio subsidiaria, id est pactum procuratoris, ex quo per exceptionem doli submouetur dominus à petitione exceptionis: sequuntur deinceps alia exempla, & in hac lege proponitur secundum exemplum, id est, pactum factum à magistro societatis, quem socij elegerunt, eique rerum communium administrationem & curam præcipuè iniunxerunt, infr. de verb. sign. l. cui præcipua. 57. Huius magistri pactum omnibus sociis prodest, vel nocet: nocet, inquam, per exceptionem doli, nisi donandi causa pactus sit, quo casu pactum D non valet, arg. l. item imperatores. 37. infr. h. t. & l. præses. 12. C. de transact.

Ad L. Tutoris. 15.

HÆc lex continet tertium exemplum pacti producentis exceptionem doli subsidiariam. Cùm enim ipse pupillus non sit pactus, non potest habere exceptionem pacti, sed ei accommodatur doli exceptio, quia dolo malo faciunt creditores petentes id à pupillo, quod ne ab eo peterent, cum tutore pacti fuerunt. Ita intelligendum est, quod dicitur in hac l. pactum tutoris prodesse pupillo, id est, ei tribuere exceptionem doli mali. Sed quæro, an è contrario pactum tutoris possit obesse pupillo: id est, eum agentem submouere, si tutor de non petendo pactus sit cum debitoribus pu-E pillaribus. Respondeo, pactum illud pupillo agenti nocere. Cùm enim tutor in rebus pupillaribus administrandis pro domino habeatur, meritò eius pactum seruandum est, infr. de furtis. l. si pignore. 54. §. vlt. l. interdum. 56. §. qui tutelam. Quod tamen intelligendum est, si rectè, & ex causa administrationis pactus sit, veluti quia tantundem ex alia causa est consecutus: alioqui, si donandi causa tutor paciscatur, & pupilli debitores dimittat, cùm hoc sit extra causam administrationis,

tionis, nec tutor habebitur pro domino, nec tale eius A pactum pupillo oberit, C. hoc tit. l. pactum curatoris. 22. & infr. de administr. tut. l. tutor ad vtilitatem. 21.

Ad princ. L. Si cum emptore. 16.

SEquitur quartum exemplum pacti parientis exceptionem doli subsidiariam. Quidam cùm defuncto successisset, hereditatem illam alteri vendidit: postea emptor cum debitoribus hereditariis pactus est de non petendo: deinde venditor, id est, heres ab iisdem debitoribus petit; quæritur, an debitores possint se tueri ex pacto facto cum emptore hereditatis. Prima facie non videtur pactum eis prodesse: quia pactum vnius, alteri B non prodest, infr. hoc tit. l. si vnus. 27. §. pacta quæ turpem. in fin. Accedit, & difficultatem auget, quod alibi traditur, exceptionem ex persona venditoris nocere emptori; non contrà, vẽditori ex persona emptoris: vnde si heres vendidit rem hereditariam, & emptor de ea re litigans succubuit, exceptio rei contra emptorem iudicatæ, non nocebit venditori, infr. de except. rei iudic. l. si à te. 9. §. vlt. Ergo similiter in casu nostro exceptio pacti cum emptore facti, non nocebit venditori. Vlpianus tamen respondet nocere, non quidem data exceptione pacti, cùm ipse venditor non sit pactus, sed data exceptione doli subsidiaria. Ratio decisionis in contextu hæc affertur: quoniam emptor hereditatis vtiles actiones (subaudi, hereditarias) suo nomine habet. C Dico *suo nomine vtiles*: quia nomine heredis vendentis, id est, tamquàm procurator in rem suam ab eo factus, directas actiones habet, ita demum si sibi fuerint mandatæ, C. de heredit. vel act. vend. l. 5. Vis rationis in eo consistit, quod emptor hereditatis, quamuis non sit verus heres, tamen habetur pro herede, infr. eod. l. 2. §. cùm quis. vt cognoscitur ex eo, quòd habet vtiles actiones suo nomine, quasi ipse heres esset. Ergo quemadmodum tutus est, qui paciscitur cum vero herede; ita etiam qui paciscitur cum emptore hereditatis. Hîc obiter adde, emptorem hereditatis suo nomine & absque mandato venditoris posse etiam implorare officium iudicis, infr. de opt. legat. l. si optio. 13. §. 1. Non obstat regula dicti §. pacta quæ turpem. quia tantùm D spectat ad exceptionem pacti: hîc autẽ ex bono & æquo recedimus à regula iuris, & damus exceptionem subsidiariam doli mali. Item non obstat d. l. 9. §. vlt. infr. de except. rei iudic. vbi habetur contraria regula, & eius regulæ exemplum. Regula erat, quod ex persona emptoris non nocet exceptio venditori: exemplum subiicitur in emptore & venditore rei hereditariæ. Respondeo, ab illa regula excipi nostrum casum, propter rationem adductam: & aliam esse rationem eius, qui hereditatem vendidit, de quo hîc tractamus; & eius, qui rem hereditariam vendidit, de quo ibi. Aut enim quæstio proponitur ante rem emptori traditam, aut post factam traditionem, & vtroque casu est discrimen: nam priori casu emptor hereditatis habetur pro domino, quoniam habetur pro herede: emptor autem rei particularis non est dominus, nec habetur pro domino. Posteriori casu heres, qui vendidit, cùm nihilominùs maneat heres, ipso iure habet actionem contra debitores E hereditarios: habet, inquam, ex iure venditionem præcedente, id est, ex eo quòd successit defuncto, propter regulam illam iuris, qui semel est heres, non potest desinere esse heres; venditor autem rei hereditariæ postquàm rem tradidit, nihil ampliùs iuris in illa habet. Si igitur postea eam petat, ex nouo iure petit, non ex eo, quod ante venditionem habuit & traditione amisit.

Ad §. 1.

HIc ponitur quintum & vltimum exemplum pacti, ex quo datur doli exceptio subsidiaria. Procurator meus rem meam Titio vendidit, & tradidit, pretio nondum accepto: postea ego paciscor cum Titio, vt eam rem procuratori meo restituat, atque ita inter me & Titium conuẽnit de emptione rescindenda: postea procurator meus petit à Titio pretium; ait Vlpianus, eum repelli exceptione doli, propter pactum à me factum. Pactum igitur meum procuratori nocet; quia etiamsi obligatio sit quæsita procuratori, propterea quòd ipse procurator contraxit: tamen ego procuratori, qui mihi mandari tenetur, iubere possum, vt liberet emptorẽ, inf. mandat. l. idémque. 10. §. sicui. in casu autem proposito apparet ex pacto mea voluntas emptorem liberandi: non tamen ipso iure denegatur procuratori actio ex vendito: quia cùm res non fuerit integra, id est, cùm res emptori tradita fuerit, non potuit emptio & venditio per pactum dissolui ipso iure, sed opus est exceptione, supr. h. t. l. 7. §. adeo. & l. ab emptione. 58. Est autem hîc exceptio non pacti, sed doli; quoniam opponitur procuratori alterius paciscentis. Hæc dicta sint de quinque casibus, in quibus ex pacto datur exceptio doli subsidiaria, non exceptio pacti ordinaria, quando alius pactus est, alij ex eo pacto competit exceptio.

Ad princ. L. 17.

HÆc sententia repetitur in l. rogasti. 11. §. 1. infr. de reb. cred. & vtrobique eadem ratio affertur, ac generaliter traditur, non contrahi obligationem re, vltra quàm datum est: veluti si quis det decem hoc pacto, vt sibi reddantur quindecim, tantùm decem petere poterit, pactum autem de reliquis quinque non valet: quia nec deberi possunt ex causa mutui, cùm non fuerint numerata; nec tamquàm vsuræ, cùm quia de vsuris non fuit cogitatum, tum etiam quia vsuræ non debentur ex pacto nudo, C. de vsur. l. 3. an igitur debebuntur, quasi donata? Non desunt, qui hoc admittant, putantes hos contextus corrigi per l. si quis argentum. C. de donat. vbi Iustinian. nouum ius introducit, vt donatio nudo pacto facta sine traditione rata sit, & actionem pariat. Ergo secundum hanc sententiam ideo dicitur hîc non contrahi obligationẽ; quoniam hoc iure, nudo pacto non consistebat donatio. Hæc sententia mihi non placet: quia hîc non proponitur animus donandi, & nemo donare præsumitur: neque autem donatio, neque vllus contractus est, nisi vtraque pars sit eo animo, vt velit hunc contractum celebrare, infr. de reb. cred. l. si ego. 18. Concludo hanc decisionem non esse correctam, sed hodiéque procedere. Videntur tamen obstare l. in traditionibus. 40. infr. h. t. & l. 6. C. de rer. permuta. Quibus in locis confirmatur, omne pactum rei traditioni appositum valere, ita vt pariat actionem præscriptis verbis: cur igitur pactum de quindecim reddendis appositum traditioni decem, non valebit, nec pariet actionem præscriptis verbis? Respondeo, leges oppositas perspicuè loqui de contractu innominato do vt des; in casu autem nostro esse contractum mutui, cuius natura est, vt tantumdem reddatur, nec potest ex pacto obligatio augeri, propter rationem in contextu allatam, id est, quia mutuum re contrahitur, non pacto & consensu nudo. Eatenus igitur mutuum & mutui obligatio est, quatenus datum fuit. Alia est ratio contractus innominati: quamuis enim etiam huiusmodi contractus re perficiantur, infr. de rer. permutat. l. 1. tamen non requirunt, quod mutuum, vt tantumdem ab vtraque parte præstetur. Ei, quod de mutuo diximus,

diximus, simile est, quod alibi traditur de constituto: A cùm enim constitutum non valeat, nisi debitum constituatur: si quis constituerit se quindecim constitutum pro eo, qui tantùm decem dederit, constitoria actione non tenebitur, nisi in decem, infr. de pecun. constitu.l.hactenus.11.§.si quis.

Ad §. 1.

REgulariter pactum de non petendo parit exceptionem: hæc enim est natura pactorum, vt producant exceptionem, infr. hoc tit.l.7.§.sed cum nulla. interdum tamen absque ope exceptionis obligatio per pactum tollitur ipso iure: idque fit, vel ratione obligationis, vel ratione pacti: ratione obligationis, veluti si, B fit obligatio naturalis; quia cùm hæc obligatio solo æquitatis vinculo contineatur, atque hoc vinculum per pactum & voluntatem contrariam dissoluatur, consequens est, vt ipsa obligatio omnino corruat, infr. de solut.l.Stichum.95. §. naturalis. Ciuiles quoq; obligationes, quæ nudo cõsensu constant, nudo consensu siue pacto dissoluũtur, sup.h.t.l.7.§.adeo.& inf.eod.l.ab emptione.58.Instit.quib.mod.toll.obl.§.vlt.secundum regulam illam, Nihil est tam naturale, quàm vnumquodque eo modo dissolui, quo colligatum est, infr. de diu. reg. iur.l. nihil tam naturale. 36. Ratione autem ipsius pacti fit, vt obligatio tollatur ipso iure, quando pactum est legitimum, id est, lege aliqua nominatim confirmatum, supr.h.t.l.6. Huius pacti legitimi hîc proponuntur C duo exempla, id est, pactum ne agam iniuriarum, & pactum ne agam furti: quoniam hæc pacta nominatim confirmata fuerunt lege duodecim tabularum, supr. eod.d.l.7.§.paciscar. Gell.lib.20.cap.1. Porro quod hîc dicitur de pacto iniuriarum, vel furti, debet intelligi de iniuria iam facta, aut furto iam commisso: alioquin pactum ne agam furti, vel iniuriarum, si feceris, non valet, vtpote quod inuitat ad delinquendum, infr.eod. l.si vnus. 27.§. pacta quæ turpem. Quæro, an id quod hîc dicitur de furto, & iniuria, obtineat etiam in aliis delictis. Doctores putant obtinere, à quibus dissentio: quia non ideo pactum tollit actionem furti, vel iniuriarum, quòd actio illa sit ex delicto, alioquin eadem esset ratio omnium delictorum: sed ideo tollit, quia est D pactum legitimum: atqui pactum de alio delicto, non est legitimum, nec vlla lege specialiter confirmatum. Ergo nostra decisio ad illud pactum non pertinet.

Ad §. De pignore.

HIc §.docet obligationem pignoris, id est, hypothecæ nudo pacto constitui, & nudo pacto dissolui. Hîc differentia est constituenda inter pignus, & hypothecam: pignus re contrahitur, & parit obligationem ciuilem, atq; actionem personalem pigneraticiam: hypotheca verò contrahitur nudo consensu, id est, nudo pacto, & parit actionẽ prætoriam in rem, id est, Seruianam vel quasi Seruianam, quæ etiã vocatur hypothecaria: hanc actionem in præsentia debemus intelligere, non illam pigneraticiam ciuilem. Hæc dicta sint de obligatione pignoris constituenda. Deinceps dicamus de E ea dissoluenda: paciscor tecum, vt res mea sit tibi pignori pro summa, quam tibi debeo, diximus hinc esse obligationem honorariam. Iam finge contrarium pactum fieri, ne sit pignori: quæritur, quis sit effectus huius pacti, id est, vtrùm tollat pignus siue hypothecam ipso iure, an ope exceptionis. Cuiacius putat opus esse exceptione. Baldus censet obligationem ipso iure dissolui, nec desunt argumenta in vtramque partem. Primùm quòd exceptio sit necessaria, probatur per nostrũ §.qui ait obligationem tolli per exceptionem. Idem probatur per l.2. C. de remiss. pignor. quæ lex videtur infringere Baldi distinctionem. Ait enim Baldus: Aut paciscor de ipso pignore, id est, de hypotheca, & tollo pignus ipso iure: aut paciscor de principali debito: & vt debitum principale, ita etiam pignus tollitur ope exceptionis: atqui in casu nostri §. pactum est de principali debito, & in d.l.2. pactum est de pignore: vtrobiq; tamen datur exceptio. In contrariũ, quòd pignus tollatur ipso iure, probatur primùm per l.1.§.1.inf.quib.mo. pign.vel hypoth.soluit. vbi dicitur, eum, qui remisit pignus, frustra illud petere. Sed respõderi potest, eum frustra petere, quia sibi obstat exceptio. Secundò ead.sententia confirmatur l.maior. 23. C.de pignorib. vbi qui pignus remisit, illud persequi ampliùs non potest, quib. ex verbis videtur colligi, nõ dari actionẽ, proinde non esse opus exceptione. Cuiac. respondet, verba esse accipienda cum effectu, vt dicatur nõ posse persequi, qui nõ potest persequi cum effectu, id est, cui obstat exceptio. Ego autẽ malim aliter respondere, ac dicere, ipsum non posse persequi, non quia ipso iure non habeat actionẽm, sed quia actio quam habet, denegatur ei à prætore, quod semper fit, quotiescumque euidẽs est exceptio, D.de iureiur.l.nam posteaquam.9. Denique ead.sententia probatur firmo argumento, quia nihil est tam naturale, quàm vnumquodque dissolui eo modo, quo colligatum est. vnde obligationes nudo consensu contractę, etiam nudo pacto dissoluũtur, vt dictũ est in §.præced. atqui iam diximus, pignus nudo pacto contrahi, ergo etiam nudo pacto dissoluitur. Quid dicendum? Aut loquimur de pacto, quod factũ est de principali debito non petẽdo: aut de ipso pignore dissoluẽdo. Priori casu si debitũ principale per pactũ tollatur ope exceptionis, secundũ regul. l. 7.§.sed cùm nulla.supr.& l.si vnus.27. §.pactus ne peteret. infr.h.t.quia scilicet illud debitum nõ sit nudo consensu contractum, sed re, aut verbis, aut literis: tunc necesse est, etiã pignus per exceptionẽ tolli: quandoquidem pignus non tollitur per se, cùm de eo non sit pactum, sed per consequentiam ob sublatam principalem obligationem. Quòd si principalis obligatio nudo consensu constet, pactum de ea obligatione dissoluenda æquè tollet pignus, ac si esset pactũ de ipso pignore, quoniam vtraque obligatio nudo consensu consistit. Posteriori casu puto pignus dissolui ipso iure propter rationes antea adductas. Ad d.l.2. C.de remiss. pignor. quæ exceptionem tribuit, dupliciter possumus respondere. Primò, exceptionem ibi accipi impropriè pro ea, quam Accurs. vocat exceptionẽ facti, I.C. autem vocãt allegationem, D.de minorib.l.minor.18.l.minor. 36. Secundò possumus respondere, quod alibi I. C. ait, quamuis ipso iure actio non detur, tamẽ tutius esse opponere exceptionẽ: nec mirum, si omnis periculi vitãdi causa damus exceptionem, etiam vbi defendi potest nõ competere actionem, cùm certi iuris sit, liberis suis præteritis dari bonor. possessionem contra tabulas, etiamsi possint dicere testamentũ parentis esse ipso iure nullũ, D.de leg.præst.l.is qui.15.& C.de collat.l.vt liberis.17.

Ad §. *Si quis paciscatur.*

HIc ponitur exemplum pacti personalis, quod heredi non prodest, infr.h.t.l.idem. 25. §. 1. Ait I.C. *Sed vt ab herede petatur*, quoniam in dubio censetur aliquis pacisci, vt neque à se, neque à suo herede petatur, infr.de probat.l.si pactum.9.

Ad §. *Si pactus.*

HIc §.continet regulam, & duas productiones. Regula est, pactũ alicuius ne ab altero petatur, illi nõ prodest. Ratio huius reg. est: quia sicuti nõ possum' extraneo acquirere obligationẽ & actionem. inf.de verb.

oblig. l. stipulatio ista. §. alteri. ita etiam non possumus acquirere exceptionem, infr. de diu. reg. iur. l. quo tutela. 73. Prima productio, vt pactum non confirmetur, etiamsi extraneus ille paciscenti postea heres extiterit. Non obstat, quod heredibus nostris paciscí possumus: quia id tum demum obtinet, cùm ab initio paciscimur ne petatur à nostris heredibus. Secus est, si paciscamur, ne petatur ab extraneo, qui postea heres extitit, quia hoc pactum, cùm ab initio non valeat, postea non est confirmatum: hic enim valet illa regula, quod ab initio non est vtile, tractu temporis non confirmatur, infr. de diu. reg. iur. l. quod initio. 29. quia in contractibus & conuentionibus semper initium spectare solemus. Altera productio est, vt dictum pactum nō valeat, etiamsi quis paciscatur, ne petatur à filio suo, & postea filius patri paciscenti heres existat. Huic secundæ productioni videtur contradicere Lauus. 33. infr. h. t. vbi valet pactum patris ne à filio petatur, & inde filio datur pacti exceptio. Pro solutione distinguēdum est, vel enim pater filio paciscitur vt filio, vel vt futuro heredi. Priori casu pactum filio non prodest, vt hic, intellige, non prodesse per exceptionem pacti, quia ex bono & æquo datur exceptio doli subsidiaria, infr. eod. l. & heredi. 21. §. eos autem. vers. Iulianus. Posteriori casu pactum prodest filio, vt cuiuis alij heredi, habétque ordinariam conuentionis exceptionem, d. l. auus.

Ad §. Pactum.

HIc quoq; regulam vnam, & productiones duas complectitur. Regula ponitur in princ. §. Pactum in rem factum à venditore, prodest emptori; exempli gratia, finge, cùm Titius vellet à me petere fundum Tusculanum, pactus cum eo sum, ne eum petat: postea eum fundum tibi vendidi: deinde Titius eum à te petit, quæritur, an possis Titium submouere exceptione pacti à me facti. Prima facie non videtur meum pactum tibi prodesse, propter regulam, Pactum vnius, alteri non prodest, infr. h. t. l. si vnus. 27. §. pacta quæ turpem. in fin. Contrarium tamen respondetur: quia emptor causam habet à venditore, & eum repræsentat, proinde ex eius persona habet exceptionem: an autem contra venditor. habeat exceptionem ex pacto emptoris, exposui ad l. 17. Hæc de regula. Prima productio est ibi, *Secundum Sabinum*, &c. vt idem dicendum sit de pacto personali, quod antea diximus de pacto in rem facto, id est, vt etiamsi pactus sim cum Titio, ne à me petat; tamen per hoc pactum actio Titij reddatur inefficax etiam aduersus te emptorē, qui non es quidem pactus, sed excipis tamen ex mea persona, quam repræsentas. Ex dictis videtur effici, nullam esse hoc casu differentiam inter pactum in rem, & in personam; re vera tamen est discrimen: quia pactum meum in rem factum, tibi emptori prodest tam viuo quàm mortuo me: pactū autem personale cum mea persona extinguitur, & post mortem meam tibi nō prodest, quemadmodum nec heredi meo prodest, argum. l. & heredi. 21. in princ. & l. idémq; 25. §. 1. infr. eod. Altera productio est ibi, *qui hoc*, &c. vbi quod dictum est de venditore & emptore, producitur ad donatorem & donatarium; vt scilicet, pactum donatoris, siue in rem, siue in personam factum, prosit donatario: hic tamen maior est dubitatio, cùm enim venditor teneatur emptori de euictione: qui ab emptore petit, quodammodo potestate iuris à venditore petit, contra quem emptor habet regressum: non est igitur mirum, si ex pacto venditoris accommodamus exceptionem emptori; quandoquidem hac ratione magis consulimus venditori paciscenti, quàm emptori. Verùm donator secūdum communem & (ni fallor) verissimam sententiam, paucis temerè dissentientibus, non tenetur de euictione, nisi de ea cauerit donatario: vnde nullo modo consulimus donatori, si tribuamus exceptionem donatario. Quare Accursius hanc productionem limitat, & coangustat ad eum casum, quo donator de euictione se obstringit. Verùm Iurisconsultus loquitur generaliter, nec tantum in donatione, sed etiam in venditione: & fieri etiam potest, vt venditor non teneatur de euictione, vt quia pactus sit ne euictionem præstet: contextum igitur generaliter loquentem, generaliter intelligo, ac dico exceptionem meritò accommodari etiam donatario ex persona donatoris: quia cùm Titius pactus sit mecum de non petendo fundo, non debet impedire meam liberalitatem, nec debet obstare, quò minùs de eo fundo liberè disponam, & in te ex causa liberalitatis transferam. Dum igitur Titius à te petit fundum, quia tentat meam liberalitatem rescindere, & ostendere fundum non potuisse à me in te transferri, idcirco videtur contra suum pactum venire, & mihi molestus esse, agens contra eum, qui à me causam habet. Denique seposita causa euictionis, sicut emptor venditorem, ita donatarius donatorem repræsentat.

Ad §. pen.

HIc proponitur exemplum illius regulæ; Pactum vnius, alteri non prodest. Nam si Titius possideat hereditatem pertinentem ad Meuium, & paciscatur cum creditoribus hereditariis ne petant, deinde Meuius euincat hereditatem Titio: creditores hereditarij, qui pacti sunt cum Titio, nihilominùs efficaciter agent contra Meuium: quia pactum vnius, &c. infr. hoc tit. l. si vnus. §. pacta quæ turpem. Huic decisioni oppono l. si post. 22. infr. de pecun. constit. vbi constitutum factum in personam possessoris hereditatis prodest vero heredi euincenti hereditatem, si qui constituerint se soluturos possidenti hereditatem: arqui constitutum fit nudo pacto: ergo pactum possessoris prodest heredi, ita vt heredi tribuat actionem vtilem, quæ datur ex constituto: multò igitur magis in specie nostri §. videtur pactum possessoris prodesse heredi, vt ei tribuat exceptionem: quandoquidem faciliùs datur exceptio, quàm actio. Pro solutione dicendum est, quædam esse specialia in pecunia constituta, quemadmodum illud, vt nudum constituentium pactum pariat actionem: ergo hoc etiam speciale est, vt huiusmodi pactum cum possessore factum, prosit heredi. Specialis iuris ratio pendet ex natura constituti: quia constitutum accedit obligationi principali, & eam sequitur: vnde cùm obligatio principalis pertineat ad verum heredem, consequenter ex bono & æquo fit, vt ad eundem transeat actio de pecunia constituta. Ait, *Pactus est*, &c. id est, pactus est cum debitoribus hereditariis, ne ab illis petat: vel creditoribus hereditariis, ne petant.

Ad §. vlt. & leg. sequentes, vsque ad §. nos autem. l. & heredi. 21.

HIc agitur de pactis filiorumfam. & seruorum, qui tractatus cùm non sit obscurus, tantùm breues notas adscribemus. Ait, *Filius seruúsve.* Loquitur de seruo acquirente domino, in cuius potestate est, de seruo autem fructuario dicetur in l. si debitor. 55. Ait, *Acquirent*, subaudi patri, vel domino. Ait, *Exceptionem*, intellige exceptionem pacti, non doli subsidiariam. Ait, *De peculio conuenitur, vel de in rem verso*: quoniā his actionib. pater tenetur ex persona filij. Ait, *Vel quasi defensor filij*. sensus est, non solùm patrem habere exceptionem pacti à

Pacti à filio facti, quando ipse pater conuenitur actione honoraria de peculio, vel de in rem verso; sed etiam quando ipse filius conuenitur, & pater nomine filij tanquàm eius defensor iudicium subiit: hoc autem casu meritò habet exceptionem, quia defensor eandem vicem subit, quam reus, quem defendit, infr. de procurat. l. minor. 51. §. 1. Ait, *Si hoc maluerit*, his verbis indicat, non teneri defendere filium, sed posse eum defendere, si velit. Ait, *Et heredi patris*. Pactū filiifa. non solùm prodest patri, sed etiam heredi patris; quia etiā hic cōuenitur ex persona filij, quemadmodum conueniebatur pater, cui successit, infr. quando act. de pecul. anna. est. l. 1. §. alienatio. Ait, *Quia personale pactum est*, id est, quia filius pactus erat, ne à se peteretur. Doctores hîc fallūtur, dum statuūt duo genera pactorum personaliū, & aiunt hoc vocari pactum personale, eò quod extinguitur cum persona paciscentis, non quia non trāseat ad alium, quia transit ad patrem, & ad heredem patris. Hanc sententiam nō probo: quia pactum personale definitur, quod nec ad alium, nec ad heredem transit, infr. h. t. l. idem. 25. §. 1. ergo idem pactum personale ad alium non transit, & cum persona extinguitur. Non moueor, eò quòd hoc pactum prodest patri & heredi patris: quia prodest ex persona filij, quatenus repraesentant filium quem defendunt, vel cuius nomine conueniuntur, adeo vt habeantur pro vna & eadem persona. Ait, *Nihil valebit pactum*. Ratio est: quia seruus non habet legitimam personam standi in iudicio: ergo à seruo peti non potest. Nam peti dicitur, quod iudicialiter petitur, infr. rat. rem haberi. l. amplius. 15. Inane igitur est pactum ne petatur à seruo, quia non potest habere effectum in persona serui, consequenter non potest prodesse domino: quia quodcumq; aliquis gerit, ita demum valet, si à persona gerente initiū capit, inf. de obl. & act. l. quæcumq; 11. Ait, *De doli exceptione*, quæ est subsidiaria, & ex bono & æquo, cessante pacti exceptione conceditur, supr. h. t. l. rescriptū. 10. §. vlt. Ait, *Si in rem paciscatur*, id est, si seruus paciscatur generaliter, ne petatur. Ait, *Proderit domino*, &c. etiam post mortē serui, quia est pactus in rem, & simile est, quòd seruus impersonaliter stipulādo acquirit domino, Instit. de stipul. seruo. §. siue. sic enim & impersonaliter paciscendo exceptionē domino acquirit. Ait, *Si in personam pactum conceptum sit*, id est, si seruus pactus sit, ne à se petatur. Ait, *Doli superest exceptio*, id est, datur exceptio doli subsidiaria: quoniā pacti exceptio iam denegata est in pr. huius §. Hîc quæritur, an & doli D exceptio detur domino post mortem serui: quod Accursius & Baro admittunt, alij rectiùs putant, hanc exceptionem vnà cùm persona serui extingui; quoniam est exceptio subsidiaria, quæ succedit in locum pacti exceptionis: Ergo hæ duæ exceptiones paribus passibus ambulant: quemadmodum non daretur pacti personalis exceptio post mortem serui, ita etiam non est danda exceptio doli subsidiaria, infr. si quis in testam. lib. es. iuss. l. 1. §. hæc actio. alioquin maior esset vis pacti inutilis, quàm pacti vtilis.

Ad §. Nos autem. d. l. 21.

POstquàm quæsiuit, an pactum filij vel serui prosit domino vel patri, nunc è cōtrario quærit, an pa- E ctum patris prosit filio. Ac primùm de hoc pacto proponit duas regulas, postea quasdam limitationes attexit, de hoc, inquam, pacto, id est, quo pater pepigit, ne à filio suo, quem in potestate habet, petatur.

I. Regula est: Pactum patris non prodest filio: de qua etiam dictum fuit in l. si tibi. 17. §. si pactum. Non enim vt filij patribus ita patres filiis acquirunt, infr. de pact. dotalib. l. 7. & de verb. oblig. l. quod dicitur. 130. Huic regulæ videtur obstare l. tutus. 33. infr. h. t. sed hanc ob- A iectionem soluimus in d. §. si patris.

Sequitur altera regula, quæ continetur illis verbis, *Sed nobis id profuturum, si nomine eorum conueniamur*. Sensus est, pactum patris ne filio petatur, tribuere ipsi patri exceptionem, si nomine filij conueniatur actione de peculio, vel de in rem verso; propterea quod hoc casu habentur pro vna & eadem persona, vt & supr. notaui. Posthæc I. C. ait, *quod ita recte dicitur, si in paciscendo id actum sit*. Apponit limitationem ad posteriorem regulam, vt ita demum pactum prosit patri, si hæc fuerit paciscentium voluntas, vt nec à filio, nec à patre nomine filij petatur: cùm enim paciscentium voluntas sit seruanda: certe si fuerit hæc eorum mens, vt tantùm à filio peti nequeat, dicendum erit, patrem efficaciter posse conueniri. Deinde cùm ait, *Ceterùm si paciscar*, &c. B Adiungit aliam limitationem, ostendens, quod dictum est de patre & filio, non habere locum in personis extraneis. Finge enim me pactum esse tecum ne petas à Titio debitore tuo. Si postea conuenias Titium, egóque vt defensor Titij iudicium suscipiam, non potero vti exceptione pacti, quamuis ipse pactus fuerim: quia in hoc iudicio repræsento personam Titij, quem defendo, proinde eandem vicem subire debeo, infr. de procurat. l. minor. 51. §. quoniam. Sicut igitur Titius, ita & ego ex pacto illo excipere non possum. Ait, *Ne à Titio*, id est ab extraneo. Cuiac. putat legendum, *ne à filio*, sed nun est, cur perperam recedamus à recepta lectiune, quæ cōmodum habet sensum, si modò accipies particulam *ceterùm*, pro *se ¿*; vt sit particula aduersatiua, innuens differentiam inter filium & extra- C neum, non pro *alioqui*, vt Cuiac. interpretatur. Ait, *Non est danda pacti conuenti exceptio*. Existimo, nec doli subsidiariam exceptionem dandam; quia sunt perlonæ extraneæ. Ait, *Iulianus quoque scribit*, &c. Hîc adhibet limitationem ad priorem regulam, qua dicebatur pactum patris non prodesse filio: id enim verum est, quantum ad exceptionem pacti ordinariam: prodest tamen filio per exceptionem doli subsidiariam. Simile est, quod alibi traditur, per patrem filio quæri actionem vtilem, non directam, infr. de verb. oblig. l. quodcumque. 45. §. si ita. & C. de pact. conuent. l. 7.

Ad §. Filiafamilias.

IN hoc & seq. §. proponuntur pacta, quibus renunciatur iuri futuro, & in hoc quidem §. agitur de pacto filiæfam. in seq. autem §. de pacto filijfam. Rursus in hoc §. renunciatur actioni de dote, in seq. §. renunciatur actioni ex testamento, qua petitur legatum. Denique in hoc §. actio nondum competit filiæ, propterea quod est in potestate patris, proinde ipsi patri actio datur, infr. solut. matrim. l. si cum dotem. 22. §. nec non illud. in seq. verò §. non solùm actio nondum competit filio, quia est in potestate patris, sed etiam quia pendebat conditio, sub qua legatum relictum fuerat. In nostro igitur §. dicitur, filiamfam. posse pacisci, ne de dote agat. & additur limitatio, cùm sui iuris esse cœperit: hæc verba, *cùm sui iuris esse cœperit*, non sunt referenda ad verbum *pacisci*, sed ad verbum *agat*: nam pacisci potest, non solùm quando sui iuris esse cœpit, sed etiam dum est in potestate patris, infr. sol. matrim. l. 2. §. 1. & de pact. dotal. l. 7. sed pactum conferre debet in id tempus, quo erit sui iuris, hoc est, non debet pacisci ne agat nunc dum est in potestate patris: (tale enim pactum esset inane, cùm etiam absque pacto agere non possit, infr. h. t. l. contra. 28. §. vlt. & l. in persona. 30. in princ. iam enim diximus, actionem patri, non filiæ dari, sed pacisci debet, ne agat tunc, cùm erit sui iuris; quia tunc actio ipsi competet: rectè igitur tunc actionem tollet, perinde ac si tunc pacta fuisset

ecundum regulam illā; paria sunt aliquid fieri cōgruo tempore,& conferri in tempus congruum, infr.de hered.instit.l.in tempus. 62. & C. de donat.ante nupt.l.4. Postremò notandum est,etiamsi filiaf.simpliciter paciscatur, ne de dote agat;quoniā in dubio debet actus intelligi potiùs vt valeat, quàm vt sit inutilis; tacitè subintelligi,cùm sui iuris erit,infr.de pact.dotal.l. 7. & solut.matrim.l.2.§.1.

Ad §. Item filiusfam.

Filiusfam.rectè paciscitur,ne petat legatum,quod sibi relictum est sob condirione:quod ita intelligendum est,vt si pēdente cōditione legati,fiat sui iuris,posteáque condirio existat, pactum illud vim habeat, & petenti legatū obstat.Ceterùm siue conditio legati deficiat, siue legatario adhuc in patris potestate cōstituto impleta sit,pactū inutile erit: nam priori casu nulla est actio:posteriori autem casu actio patri quæsita est.Hæc ita obtinent in pacto de legato non petendo: alia ratio est repudiationis:quia pacisci quidem possumus de iure nondum delato, infr.h.t.l. pactum. 46. & C. eod. l. penult. sed frustra ius nondum delatum repudiamus: ideóque repudiatione non obstante,si postea nobis deferatur,poterimus illud petere,& consequi, infr. de legat. ij. l. si ita sit scriptum. 45. §. 1. Rursus alia est ratio stipulationis conditionalis; ex qua patri omnimodò actio quæritur, id est, si filiusfamilias sub conditione stipuletur,quandocumque existat eius stipulationis conditio,siue filio in potestate adhuc retento, siue emanciparo, actio quæritur patri, non filio: quoniam in stipulationibus, vt & in aliis contractibus, spectamus initium,infr.de verb. obligat. l. filiusfam. 78. Ait, *De eo*,subaudi, non petendo cùm sui iuris esse cœperit: hoc enim ex §.præced.est repetendum.

Ad §. vlt.

AB hoc §.vsque ad §. pactus ne peteret, l. 27. tractatur hæc quæstio, an pactum vnius alteri prosit, vel noceat. Nam etsi regulariter neque prodest, neque nocet, d.l.si vnus.§.pacta quæ turpem.in fin.tamen quidam casus specialiter excipiuntur, vt ex huius D partis explicatione intelligemus. Diuiditur autem hic tractatus in quatuor partes: in prima proponitur quæstio tam de pacto in rem, quàm de pacto in personam: in secunda specialiter agitur de pacto in rem, & quæritur, quatenus alteri prosit: in tertia agitur de pacto personali: quarta & vltima continet quædam supplementa.Prima pars continetur in primo vers. huius §. secunda continetur à vers.& in rem. vsque ad §.1.l. 25. tertia pars eo §. 1. absoluitur. ad quartam & vltimam pertinent reliqui contextus, id est, §. vlt.l.25.&l.26.& princ.& §.1.l.27.

In prima igitur parte quæritur, si duo sint correi credendi, & vnus paciscatur de non petendo, an pactum illud alteri noceat: item quæritur, si duo sint rei debendi,&vnus paciscatur de non petendo,an pactum illud alteri prosit. Hæc quæstio proponitur simpliciter, vt intelligamus, generaliter quæri de quouis E pacto: decisio autem postea subiungitur per distinctionem inter pactum in rem, & pactum personale. Ac primùm agitur de pacto in rem, de quo statuitur hæc regula; Tale pactum non solùm prodest paciscenti, sed etiam aliis, quorum obligationem dissolui interest ipsius paciscentis: non igitur aliis per se prodest, sed merito siue in gratiam paciscentis. Huius regulæ dantur quædam exempla. Primum exemplum proponitur in fine huius §. Nam si debitor cum creditore generaliter & in rem paciscatur ne petatur, pactum illud non

A solùm reo paciscenti, sed etiam fideiussori proderit; ita vt etiam fideiussor à creditore conuentus, eum pacti exceptione submoueat. Ideo autem pactum fideiussori prodest, quia rei paciscentis interest, infr. hoc tit.l.si vnus. 27.§.1.propterea quod fideiussor quicquid soluere creditori cogetur, id repetere poterit à debitore actione mandati,vel negotiorum gestorum, infr. mandat.l. ex mandato. 20. §. 1.l. qui fide. 53. proinde, dum fideiussor conuenitur, quodammodo & potestate quadam videtur reus conueniri, & infr. de recept.qui arbitr.aduersus.29.& C.de vsur.rei iud.l.vlt.§.vlt. Atq; hoc plerumque obtinet. Nam fieri potest, vt fideiussor non habeat regressum contra reum principalem, putà quia donandi animo fideiussit: quo casu, quia B nihil interest rei, fideiussorem liberari, verius est, pactum rei non prodesse fideiussori,infr.hoc tit.l.quod dictum. 32.

Ad L. Nisi.22.

QVod dictum fuit in fine l. præced. conuentionem seu pactionem debitoris prodesse fideiussoribus, id explicatur in hac lege, & ostēditur habere locum in pactione generaliter & in rem facta, non in pactione personali:nam si debitor suam tantùm personā liberare voluit,& pactus est ne à se petatur, à fideiussore autem peti possit, certè hæc pactio fideiussori non proderit. Huic decisioni primò opponitur l.Stichum. 95. §. pen. infr.de solut.ex qua videtur colligi,quòd creditor agēs C contra fideiussorem cogitur ei cedere actionem suam contra debitorem principalem: alioqui nihil ab intercessore exigetur. Atqui hoc casu non potest actionem efficacē contra reum cedere fideiussori,propterea quod per pactū eam reddidit inanem:frustra igitur agit contra fideiussorem, & consequenter pactū rei prodest fideiussori.Pro solutione dicendum est, in d. §. pen.non agi de fideiussore, sed de mandatore:inter fideiussorem autem & mandatorē plurimùm interest:nam fideiussor ex se habet actionē contra reū principalē ex contractu vel quasi contractu,id est,mandati,vel negotiorum gestorum,vt supr.notaui ad finem l.præced.adeo vt nō sit opus, vt creditor actionem ei cedat: mandator autem, quia non cōtraxit cum debitore,sed cum creditore, cui mandauit vt suo periculo credat, idcirco ex se nullam habet actionem contra reum,nec potest eum cōuenire, nisi actione à creditore sibi cessa. Secundò nostræ legi obstat cap.1.Nou.4.vbi Iustinianus constituit, fideiussores vel alios intercessores non posse conueniri ante reum principalem excussum: quia si hic soluendo sit, intercessores non debent inquietari: atqui in casu nostro propter pactum creditoris factum est, vt debitor principalis non possit excuti.Ergo fideiussor non poterit conueniri cum effectu,quoniam opponet exceptionem ex ea Nou.quam vocant exceptionem ordinis.Pro solutione concedendum est, hanc legem corrigi per d. Nou.4. sed hæc lex procedit secundum sua tempora & secundum Pandectarum & Codicis iura, quibus datur optio creditori, vtrùm priùs contra reum principalem, an contra fideiussorem agere velit, C.de fideiuss.l.5.

Ad L. Fideiussoris.23.

CVm proximè locuti sim⁹ de pacto debitoris principalis,nūc agitur de pacto fideiussoris,de quo duo quæruntur,primùm an prosit reo principali,deinde an prosit confideiussori. Intellige pactum in rem factum, quia fideiussor generaliter cum creditore pactus est, ne petatur:nam si pactus esset in personā:& sibi tantùm voluisset prospicere,non est dubium quin pactum aliis esset inutile. Quoniam igitur pactum in rem factum est, videri potest etiā aliis personis coniunctis prodesse,

nempe

nempe reo, & fideiussori. Nam & de iureiurando hoc alibi traditur, quod si fideiussor iurauerit se nō teneri, sibi tantùm acquiret exceptionē, si verò in rem & generaliter iurauerit non deberi, etiam reo prosit, infr. de iureiur. l. in duobus. 28. §. 1. Contrarium tamen hic respōdetur, quod fideiussoris pactū neq; reo prodest, neq; cōfideiussori. De reo affertur ratio sumpta ex §. vlt. l. & heredi. 21. quia tum demum pactū in rem ab vno pactū prodest alteri, cùm alterū liberari interest ipsius paciscentis: atqui in casu proposito non interest fideiussoris paciscentis reum liberari: per pactū igitur fideiussoris reus non liberatur. De confideiussore dubiū est: nam fideiussoris paciscētis interesse videtur, etiam cōfideiussorē liberari vel ratione affectionis, quia nostra interest, aliquē per nos beneficio affici, inf. manda. l. cùm seruus, 54. & infr. de ser. export. l. 7. vel quia confideiussore cōuento, creditor tenebitur cedere actionem contra alios confideiussores, inf. de fideiuss. l. fideiussorib. 17. si igitur cōfideiussor à creditore conueniatur, actione sibi ab eo cessa partē repeteret a cōfideiussore, qui pactus est: proinde interest paciscētis liberari etiam confideiussorē. Respōdet I.C. non sufficere quodcumq; interesse, sed opus esse, vt peculiariter & principaliter paciscentis intersit alium liberari, quod in casu proposito non reperitur. Nam interesse affectionis, non est interesse pecuniariū: actio autem contra paciscentem cessa confideiussori, inanis erit, quia pacti exceptione eliditur. Vnde notandum est, in casu proposito confideiussorem non habere beneficium cedendarum actionum, sed tantùm beneficium diuisionis, inf. de fideiuss. l. inter. 26. & l. seq. & beneficium ordinis ex d. Nou. 4. cap. 5. Ait, *Neque enim quoquo modo cuiusque interest*, id est, non sufficit quodcumq; interesse; ad verbum *cuiusque*, subaudi, paciscentis. Ait, *Cum alio*, &c. Hæc verba præcedentibus cohærent, & malè in Florentinorum editione à superioribus erant auulsa statuto hic nouo §. Ait, *Per eum*, Intellige eum, qui pactus non est. Ait, *Sicut in reo*, &c. Hoc fuit expositum in vlt. vers. l. & heredi. 21.

Ad L. Sed si fideiussor. 24.

DIctum est in l. præced. pactū fideiussoris non prodesse reo, nec cōfideiussori: hic subiungitur exceptio, nisi is, qui pactus est, in rem suā fideiusserit, putà pro suo procuratore: nā hic fideiussor habetur pro reo principali, ideóq; pactū eius & reo & cōfideiussori prodest.

Ad prim. L. Idem. 25.

AVdiuimus pactum debitoris prodesse fideiussori, pactū autē fideiussoris neq; reo neq; confideiussori prodesse, nisi fideiussor in rem suam spopunderit: nunc proponitur aliud exemplum pacti ab vno in rem facti, quod alteri prodest: nam pactum socij prodest socio, si vnus ex sociis paciscatur cum creditore de nō petendo. Ait I.C. *Idem*, subaudi, quod de reo promittendi, & his qui pro eo obligati sunt, dictum fuit in fine, l. 23. cui hanc legem cohærere inscriptiones ostendunt. Sensus est, quemadmodum pactum rei prodest fideiussori, ita pactum socij prodesse socio. Ait, *Socijs*. Hoc verbum referri debet non solùm ad argentarios, sed etiam ad duos reos promittendi, vt sensus sit, pactum rei prodesse correo, si modò socij sint, alioqui pactum vnius ad alterum non pertineret, infr. de recept. arb. l. si duo. 34. & infr. de liber. legat. l. 3. §. nunc de effectu. Sed videtur non sufficere, si correi sint socij, verùm vlteriùs requiri, vt causa communis sit, per tex. in l. 9. §. 1. infr. de duo. re. vbi erant duo correi debendi ex cōtractu depositi, & is, qui deposuit, cum vno pactus est ex interuallo, vt etiam culpam præstaret: & I.C. ait, pactum ad vtrumque correum pertinere, si socij sint, & culpa sit communis: ergo præter illam conditionem societatis, etiam re-

A quirit communē culpam: quomodò igitur hìc sufficit, eos esse socios? Solutio: Ibi proponitur cōmunis culpa, vt species sit elegantior & dubitationem aliquam contineat. Aut enim culpa cōmittitur à paciscente, aut à socio, aut communiter ab vtroq;: si à paciscente, non est dubiū, quin ad pactum pertineat: si verò ad socium, nihil ad pactum pertinet, quia de ea pacti non sunt. Ergo hi duo casus tamquàm manifesti omittuntur à Iurisconsulto. Tertius casus dubius est, quando culpa est communis: quia quatenus est culpa paciscētis, videtur pertinere ad pactum: quatenus alterius, non pertinet.

Ad §. 1.

HActenus dictū est de pacto in rem, & expositum, quatenus alteri prosit: in hoc autem §. agitur de B pacto personali, quod alteri nō prodest, nec nocet: hæc enim verba, *ad alium non pertinere*, generalia sunt. Hîc igitur habemus effectū pacti personalis: vnde refellitur Doctorum distinctio, qui putant aliud esse pactum personale, quod non egreditur personam paciscentis; aliud quod cum persona extinguitur. Nam hic §. ostendit, nullum pactum personale ad alium pertinere, item omne pactum personale cum persona extingui, siquidem non transit ad heredem.

Ad §. Sed quamuis. & l. seq.

HIc incipit vltima pars diuisionis à nobis traditæ in §. vlt. l. 21. supplētur enim quædam suprà omissa. In primis, cùm sup. dictum fuerit, pactum fideiussoris non prodesse reo, neque confideiussori, hic additur in- C terpretatio, & limitatio, vt dicatur non prodesse, id est, non parere exceptionem pacti: parit tamen exceptionē doli subsidiariā, si modò inter paciscentes id actum sit, vt pactum reo vel confideiussori proficiat.

Ad princ. L. Si vnus. 27.

SVprà quæsitum fuit, an pactum vnius alteri prosit: nunc quæritur, an pactū vnius alteri noceat: quemadmodum igitur Paulus in l. idem. 25. proposuit duos reos promittendi socios, vel duos argētarios socios, qui erant rei debendi: ita hìc proponit duos reos stipulandi, vel duos argentarios socios, qui sunt rei credendi: & primùm quidem loquitur de argētariis: sed postea quæ de his dixit, producit ad reos stipulandi: ita vt argenta- D riorum & reorum stipulandi eadem sit ratio: proinde leges loquentes de reis stipulādi, adducemus etiam in quæstione de argētariis dissoluenda. Vt autē hic textus, qui obscurus est, planiùs intelligatur, eum diuido in septem particulas, in quarum prima proponitur species pertinens ad pactum argentarij, quæ continetur his verbis, *Si vnus ex argentariis sociis cum debitore pactus sit.* Ait, *Vnus ex argentariis*. Intellige duos tantùm argentarios, non plures. Nam mox dicit, *alteri noceat, alteri nocere, alter petere possit*: constat autem alterum dici de duobus, alium de pluribus. Sic enim idem Paul. in pr. l. idem 25. ponebat duos reos, & duos argentarios: immo etiam in fine huius principij ponet duos reos: hoc autem fuit notandū, quoniā hinc paulò pòst soluemus quandā difficultatē. Ait, *Socijs* Id est multò magis dicendū, si non essent socij: nam si pactum socij non nocet socio, multò E minùs pactū extranei nocebit extraneo: proponuntur igitur socij, vt species magis dubia sit. Ait, *An etiam alteri noceat exceptio*. Hæc est secunda pars cōtinens quæstionem, an pactum argentarij de non petēdo noceat coargentario. Dubitationem facit societas, & regula iuris; Ad quem pertinet commodum, ad eundem pertinere etiā debet incommodū, inf. de diu. reg. iur. l. secundū. 10. sicut igitur pactum socij prodest coargentario socio, ita etiam videtur nocere. Ait, *Neratius Atilicinus*, &c.

Hæc est tertia pars continens decisionem. Ait I. C.pactum non nocere ei, qui pactus est,ne quidem si sit pactum in rem:multò igitur minùs,si sit in personam.Ait, *Tantum enim*, &c. Sequitur quarta pars,qua confirmatur dicta decisio: ratio autem talis est: Nemo potest plus facere, quàm sibi permissum sit: atque vni ex argentariis concessum est alteri præiudicium facere tantummodò solidum petendo à debitore: non potest igitur præiudicium facere etiam paciscendo. Assumptionem sic intellige, quòd vnus ex argentariis pluribus potest solidum petere,& in iudicium deducere, infr.de nouat.l. si rem.31.§.si duob. adeo vt debitor ab hoc argentario conuentus,postea soluere alteri argentario rectè non possit,infr.de duob. reis.l. ex duobus reis stipulandi.16.Quod igitur diximus, argentarium posse tantùm petere:ne ita accipias,quasi prorsus nihil aliud facere possit: sed illa particula *tantum* excludit pactum, non etiam quiduis aliud. Etenim argentarius potest etiam iusiurandum deferre, inft. de iureiur. l.in duob. 28. in princ. quia iusiurandum habet vim litis contestatæ,infr.eod.l.nam posteaquàm.9.§.si is qui.Item potest vni argentario constitui, inft. de pecun.constit. l.idē est & si ex duobus.10.Præterea potest argentarius acceptò ferre,infr.de nouat. d.l. si rem. §. si duobus. & de duob.re.l.2. & de acceptil.l.& per iusiurandum. 13. §.vlt.quoniam acceptilatio pro solutione habetur,infr. eod.l.si ex pluribus. 16. cùm definiatur imaginaria solutio,Instit.quib. mod. tollat. obligat. §. 1. Hæc igitur vnus ex argentariis facere potest:pacisci autem,vel donare nequit.Ait, *Nam nec nouare*, &c. Sequitur quinta pars,in qua,vt plerique exponunt,I.C.affert nouam rationem ad confirmandam eandem decisionem; Vnus ex argentariis sociis non potest nouare obligationem; ergo non potest pacisci de non petendo. Huius rationis antecedens falsum est.Quod enim hîc dicitur de argentariis, habet locum etiam in reis stipulandi, vt dicetur in vers. vlt. atqui vnus ex reis stipulandi potest nouare, inft. de nouat. d. l. si rem. §. si duo. ergo etiam argentarius nouare potest.Nec probanda est eorum solutio, qui distinguunt inter reos stipulandi siue argentarios socios & non socios: vt hic tex. loquatur de sociis, d.§.si duo. tractet de non sociis: adeo vt non socij possint nouare,socij verò non possint: hæc enim sententia est absurda: quia non debet plus iuris tribui eis,qui non sunt socij,quàm sociis,supr.si quis caution. l.5.& infr.de recept. qui arbitr. l. si duo. 34. & de duo. reis.l.si duo.10.Placet igitur interpretatio Fulgosij,qui ait,Paulum in hoc vers.non loqui de argentario,sed de alio aliquo: ideo non dicit *alterum*, vt suprà locutus fuit, sed *alium*, id est, alium quemcumque præter hos duos argentarios, de quibus in specie proposita loquebamur. Sentētia igitur huius vers. hæc est; Vult Paulus *κατὰ πρόληψιν* soluere tacitam quandam obiectionem: quoniam argentario rectè soluitur: ergo argentarius videtur rectè pacisci de non petendo. Antecedens patet ex præcedentibus verbis Pauli,dum dixit,argentarium posse petere solidū: quod enim possumus petere, id nobis potest solui. Consequentia probatur per l. quia. 11. supr.h.t.ibi idem Paul.eod.lib. 3. ad edictū ita est argumentatus:Procuratori solui potest:ergo procurator paciscì potest de non petendo. Hanc obiectionem Paulus in præsentia diluit per negationem consequentiæ:tantùm abest (inquit Paulus) vt valeat argumentum à solutione ad pactum, vt ne quidem valeat ad nouationem à solutione,quamuis nouatio solutioni similis sit, infr.de nouat.d.l.si rem.§.si duo. Nam(exempli gratia) ei,qui solutioni adiectus est,rectè soluitur, cùm tamen is nouare obligationem nequeat, infr.eod.l.cui rectè. 10. Cùm igitur non rectè arguatur à solutione ad nouationem, multò minùs arguere licet à solutione ad

A pactum:quia pactum non est simile solutioni, vt nouatio. Ait, *Sic enim*, &c. Hæc est sexta pars pertinens ad confirmationem eius, quod proximè dictum est in quinta parte. Dixerat enim aliquos esse, qui non possunt nouare,proinde non possunt pacisci, quamuis eis solui possit: nunc igitur proponit exemplum filiifam. qui ex suo contractu acquisiuit obligationem patri. Nam quia ipse contraxit, potest etiam exigere;quia verò obligationem acquisiuit patri, non potest eam nouatione, vel pacto tollere. Nos paulò antè dedimus aliud exemplum, cùm quis solutioni adiectus est. Ait, *idémque*, &c. Hæc est vltima pars, in qua producit ad reos stipulandi socios, quæcumque hactenus dixit de duobus argentariis sociis.

B

Ad §. 1.

HIc §.loquitur de pacto debitoris,quo pactus est de non petendo. Diuiditur autem in duas partes: quia decidit duas species ac duas quæstiones, quarum posterior tractatur in vers. quòd si sine. In prima parte fingitur debitor cum creditore pactus esse, ne petatur intra certum tempus, putà intra annum: & quæritur, an hoc pactum etiam post annum pariat exceptionem ipsi reo qui pactus est, vel eius fideiussori, si tale pactum sit, quod etiam fideiussori proficiat, vt quia sit pactum in rem,supr.h.t.l.& heredi.21.in fin.vel quia id actum est,ne à fideiussore petatur,supr.l.prox. Respondet I.C.neutri pactum post annum prodesse. Oppono, quòd immo prodest vtrique, & reo & fideiussori. Pri-
C mò,quòd reo prosit etiam post annum,videtur probari per l.Celsus.23.§.1.infr.de recept.qui arbitr.vbi arbiter condemnauit aliquem, vt intra certum tempus solueret: cúmque per eum non steterit, quò minùs intra illud tempus solueret;quæritur,an postea soluere teneatur:& respondetur,eum teneri:quia sententia illa continet duo præcepta: vnum est vt soluat intra illud tempus:alterum est,simpliciter vt soluat: vnde post illud tempus, quamuis cesset prius præceptum, tamen posterius non cessat. Sic igitur etiam in casu nostro cùm pactum est de non petendo intra annum, videntur esse duę conuentiones: vna,ne intra annum petatur: altera, simpliciter ne petatur:quare si creditor post annū petat, quamuis non faciat contra priorem conuentionem,tamen faciet contra posteriorē,ideóque exceptio-
D ne submoueri debet.Solutio:Notandū est,in propositis quæstionib.aliam esse rationē affirmationis, aliā negationis. Cùm enim affirmatiuè dico,*solue intra kalendas*, vel,*intra annum*:hæc verba,*intra kalendas*, vel,*intra annum*,non limitant illud præceptū,*solue*,sed aliquid adiiciunt ad obligationem constringendam, quasi dicatur, solue,nec differ hanc solutionem vltra annum:proinde illud præceptum *solue*, cùm limitatum non sit, manet etiam post annum, si intra annum solutum non fuit. Cùm autem dico,*paciscor ne petam intra annum*,illa verba,*intra annum*,restringunt verbū,*ne petam*,adeo vt non simpliciter paciscar ne petam,sed tantùm ne petam hoc limitato tempore, nempe hoc anno:post annum igitur cessat conuentio, & rectè petam. Secundò oppono, quod pactum propositum etiam post annum, si non
E proderit reo, saltem proderit fideiussori:quoniam exceptio pacti semel ei quæsita fuit, siquidem per annum habuit exceptionem: semel autem ei quæsita exceptio, non potest ei inuito auferri,inf.h.t.l.vlt.Solutio:Ea lex vltima loquitur de exceptione pacti perpetui: nam fideiussor semel in perpetuum liberatus, non potest ampliùs obligationi inuitus adstringi: in casu autem nostro non est absolutus,nec in perpetuum liberatur, sed habet exceptionē temporalē:tēpore igitur, id est,anno elapso potest cōueniri.Hæc de prima parte §.dicta sint.

Sequitur

Sequitur altera pars in vers. quòd si sine. in quo quæritur, si reus eum creditore paciscatur, ne à fideiussore petatur, an pactum illud prosit fideiussori. Hoc loco I. C. primùm proponit aliorum sententiam & rationem: postea subiicit suam sententiam, quam solnta aliorum ratione confirmat: postremò docet, suam sententiam vsu receptam esse, dum ait, *quo iure vtimur.* Sententia aliorum fuit, dictum pactum oon prodesse fideiussori. Ratio huius sententiæ sumitur ex eo, quod dictum fuit in l. fideiussoris. 23. pactum vnius non prodesse alteri nisi principaliter prosit paciscenti, & nisi valere incipiat à persona paciscentis, arg. l. quæcumque. 11. infr. de oblig. & action. nam iuta ita sunt constituta, vt alteri per alterum extraneum non acquiratur, C. per quas perso. no. acquir. l. 1. Contratia tamen sententia & Paulo placet, & consuetudine est comprobata: quia dum exceptionem damus fideiussori, magis prosumus reo paciscenti, quàm fideiussori, propterea quòd fideiussor habet regressum contra reum vel mandati, vel negotiorum gestorum actione; adeo vt qui à fideiussore petit, videatur potestate quadam à reo petere, infr. de recept. qui arbitr. l. aduersus. 29. & C. de vsur. rei iud. l. vlt. §. vlt. quemadmodum igitur alteri stipulari possumus, quando nostra interest, infr. de verb. oblig. l. stipulatio ista. 38. §. vltim. & Instit. de inutil. act. §. sed & si quis. ita etiam possumus alteri pacisci, cùm nostra interest. in casu igitur nostro rectè paciscitur reus ne petatur à fideiussore, quoniam ipsius paciscentis interest. Ait, *Consuls videmur.* Cum Cuiacio legendum, *consuls videtur.*

Ad §. Pactus ne peteret.

SI duo sint pacta contraria, certum est seruari posterius pactum, C. h. t. l. pacta nouissima. 12. quatenus igitur pactum prius per posterius tollatur, hic §. nobis declarat. Tria I. C. supponit. 1. constitutam esse obligationem aliquam ciuilem. 2. pactum de non petendo. 3. pactum de petendo. &, vt doceat, quomodo posterius pactum tollat prius, distinguit tres casus. vnde hic §. diuiditur in tres partes. Aut enim prius pactum pariebat exceptionem aduersus obligationem præcedentem: aut eam sustulerat ipso iure: aut eam diminuerat. Primus casus tractatur in pr. §. secundus in vers. sed si pactum. tertius, in vers. quòd si non vt totum.

In prima parte Paulus primùm loquitur de reo: postea in vers. eadem ratione. tractat de fideiussoribus. Quod ad reum attinet, finge te mihi stipulanti promisisse decem: deinde tecum pactum esse ne peterem: postea pactum esse de iisdem decem petendis. hoc casu certum est, obligationem ex stipulatione ortam non tolli ipso iure per prius pactum de non petendo, sed elidi per exceptionem pacti: nunc quæritur, quomodò pactum prius tollatur per posterius. Prima facie videtur tolli ipso iure, argumento sumpto à simili. Sicut enim stipulatio prior per posteriorem contrariam ipso iure tollitur, ita etiam in pactis idem dicendum videtur, cùm vtroque casu proponantur duæ conuentiones æquales, (id est, duæ stipulatiooes, vel duo pacta) tantùm tempore differentes, quod altera conuentio est prior, altera posterior. Quod dixi stipulationem priorem tolli per posteriorem contrariam, intelligendum est, quando fit nouatio: & hoc est quod I. C. ait, *Si hoc actum est* quia hoc iure ita demum nouatio fiebat, si id inter partes agebatur. Sed hodie, vt sit nouatio, non sufficit id agi tacitè: sed necesse est vt apertè exprimatur, alioqui obligatio posterior non tollit priorem, sed ei accedit, C. de nouat. l. vltim. Hæc est ratio dubitandi, quæ colligitur ex nostro contextu. sed potest & altera adiungi: quia pactum illud de non petendo, obligat

A paciscentem ne petat: hæc autem obligatio, cùm sit ex nudo pacto, non est ciuilis, sed tantùm naturalis, supr. h. t. l. 1. atqui neturalis obligatio per pactum tollitur ipso iure, quia nititur sola naturali æquitate, quæ per contrariam conuentionem perimitur, infr. de solut. l. Stichum. 95. §. naturalis. ergo prius pactum, quod obligauit stipulantem ne peteret, per posterius pactum tollitor ipso iure. His tamen non obstantibus, Paulus contrarium respondet, id est, sicut pactum prins non perimit stipulationem ipso iure, sed contra eam parit exceptionem, ita contra hanc exceptionem oriri replicationem ex pacto posteriori. Hanc decisionem simul & vno labore Paulus confirmat, & ad obiectionem à stipulatione sumptam respondet, constituens differentiam inter stipulatiooes, & pacta. Cùm enim

B stipulatio sit contractus duabus partibus constans, id est, conuentione, supr. h. t. l. 1. §. conuentionis. & §§. sequentib. & causa, id est, vi ciuilem obligationem & actionem producente, supr. eod. l. 7. conuentio quidem est facti, cuius ratione contractus dicuntur esse facti, infr. de curator. furios. l. 7. §. vlt. causa verò est iuris: & hac ratione hîc dicitur in stipulationibus ius contineri. pacta verò, cùm sint nudæ cõuentiones absque causa, sunt tantùm facti, nihil iuris in se cootinent. Stipulatio igitur, quia ius in se habet, ipso iure stipulatiooem tollit. pactum verò, quod est nudum factum, non ipso iute, sed facto hominis, id est, exceptione vel replicatione opposita contrariæ conuentioni officit. Ad alteram obiectionem, quam nos adiungebamos, respondendum est primùm, non propriè dici pactum

C de non petendo obligare ad non petendum: quia non agitor eo pacto de obligando, sed magis de liberando: vnde etiam vulgò pactum liberatorium appellatur. Nec obstat quod paciscens de non petendo, non debet ampliùs petere, non enim inde sequitur, eum esse obligatum ad non petendum: nam & qui stipulatus non est, non potest ex stipulatione petere, nec propterea tamen dicitur obligatus ad non petendum. Ergo hi non possunt petere, non quia ipsi sint obligati ad non petendum, sed quia non habent aduersarium sibi obligatum. Præterea, etiamsi concedamus ex dicto pacto liberatorio oriri obligationem ne petatur, eamq; obligationem tolli ipso iure per pactum posterius, adhuc tamen inde colligi non poterit, pactum prius tolli per posterius ipso iure: quandoquidem sublato illo effe-

D ctu, id est, naturali obligatione ne petatur, possunt manere alij effectus eiusdem pacti: nempe manet exceptio ex eo pacto. Ergo propter hanc exceptionem necessaria est replicatio ex posteriori pacto. Hæc dicta sint de principali debitore: deinceps videamus de fideiussoribus.

Ait Paulus, *Eadem ratione contingit, ne fideiussoribus prius pactum prosit.* Hæc verba propter nimiam breuitatem obscura sunt, & ambigua, possuntque recipere duas interpretationes, quarum altera cootinet sententiam falsam, altera veram. Sententia falsa est, si retineamus speciem antea propositam, ac ponamus duo pacta à reo facta, & dicamus fideiussorem, si à creditore conueniatur, habere exceptionem prioris pacti, sed hanc exceptionem elidi à creditore per replicationem ex

E posteriori pacto. hæc (inquam) sententia falsa est: nam illud quidem est verum, pactum prius de non petendo à reo factum, prodesse fideiussori, eique tribuere exceptionem. sed falsum est, posterius rei pactum nocere fideiussori, & contra eum parere replicationem: quia fideiussor semel priori pacto liberatus, non potest nouo rei pacto sine suo ipsius consensu obligari, infr. h. t. l. vlt. Accipienda igitur est huius vers. altera interpretatio, vt, quemadmodum supr. duo pacta proponebantur à reo facta, ita nunc intelligantur duo pacta

fideiuſſoris:& eodem modo pactum poſterius deroger A priori:adeo vt nihil interſit, vtrum reus bis pactus ſit, an fideiuſſor ſimiliter bis pactus ſit. Secundum hanc ſententiã verba interpretabimur. Ait, *Eadem ratione*, id eſt, per replicationem ex poſteriori pacto elidentem pactum prius, ſiue exceptionem prioris pacti. Ait, *Fideiuſſoribus*. qui cum creditore pacti ſunt, primùm ne à ſe petatur, deinde vt à ſe petatur. Expoſui primam partem §.

Sequitur verſ. ſed ſi partem. in quo conſiderantur duo pacta, quorum prius ſuſtulit præcedẽtem obligationem ipſo iure, poſterius verò eſt priori contrarium. in hac quoque parte ſunt duo caſus. Primus eſt, quando prius pactum ideo tollit obligationem præced. ipſo iure, quia eſt pactum legitimum. Alter caſus eſt, quando obligatio per prius pactum iurisgentium B ipſo iure tollitur, eò quòd obligatio ex nudo contrahentium conſenſu orta eſt. In primo caſu ponitur obligatio & actio iniuriarum: deinde pactum, ne iniuriarum agatur: poſtea pactum, vt agatur. hoc caſu inquit Paulus actionem iniuriarum per pactum tolli ipſo iure, quia eſt pactum legitimum, ſupr. h.t.l.6.l. ſi tibi. 16. §.1.& ea actio, cùm re & ex delicto, id eſt, iniuria, non ex conſenſu naſcatur, non poteſt per pactum poſterius reſuſcitari: proinde poſterius pactum eſt inutile. hîc igitur habemus exceptionem ad illam regulam, qua ſup. dicebamus, pacta nouiſſima eſſe ſeruanda. Ea namque regula tum demum obtinet, cùm etiam pacta nouiſſima valent: in caſu autem noſtro pactum poſtremum non valet.

In verſ. idem dicemus. proponitur alter caſus, in C quo pactum de non petendo tollit obligationem ipſo iure, propterea quod ea obligatio nudo conſenſu conſtat. hîc autem datur exemplum emptionis & venditionis. Quod ergo in contex. dicitur, *In bonæ fidei contractibus*. ſubaudi, qui conſenſu perficiuntur. & dum ait I. C. *veluti empti*, intellige rem fuiſſe integram ab vtraque parte, adeo vt res in nudo conſenſu conſiſteret. Nam ſiue venditor tradidiſſet rem, ſiue emptor ſoluiſſet precium, contractus nudo conſenſu reſolui non poſſet, ſupr. eod.l.6.§. adeo & inf. eod. l. ab emptione. 58. Hoc igitur caſu, quo res empta & vendita eſt, ſi re integra fiat pactum, quo conueniat vt ſit inempta, tota obligatio ipſo iure perimitur. &, ſi poſtea nouum pactum fiat vt ſit empta, non dicimus, vt in caſu præced. hoc poſterius pactum eſſe inutile: nec dicimus, vt in D prima parte §. obligationem ſublatam inſtaurari: ſed dicimus conſtitui nouam emptionem & nouam obligationem. Ratio eſt: quia emptio & venditio nudo conſenſu contrahi, & nudo conſenſu perimi poteſt. Hæc de ſecunda parte §.

Sequitur tertia pars in verſ. quòd ſi non vt totum. in qua priori pacto id agitur, vt obligatio minuatur: & poſteriori pacto, vt in priſtinum ſtatum reſtituatur. Hîc primùm traditur regula, quòd poſterius pactum renouat contractum, id eſt, reſtituit cõtractum in eum ſtatum, in quo fuit ante prius pactum. deinde hæc regula declaratur exemplo, in quo ſupponitur, dotem ſoluto matrimonio non ſtatim eſſe reſtituendam mulieri, ſed intra certum tempus, vt olim annua, bima, tri- E ma die, ſi res dotales numero, pondere vel menſura conſtabant: hodie intra annum, ſi ſint res mobiles, C. de rei vxor. act. l. vn. §. cùm autem. & §. exactio. Hoc poſito, finge mulierem pactam eſſe, vt dos ſibi ſtatim ſoluto matrimonio reddatur: poſtea in contrarium pactam eſſe, vt intra tempus ſtatutum reddatur. quæritur, quid iuris. Prima facie non videtur poſterius pactum valere: quia placuit, non valere ea pacta, quæ dotis conditionem deteriorem faciunt, ſed tantùm ea, quæ meliorem reddunt, D. de pact. dotal. l. de die. 14. & ll. ſequentib. ſed in caſu noſtro prius pactum facit conditionem dotis meliorem, poſterius deteriorem. ergo prius pactum valet, poſterius eſt inutile. Hoc tamen non obſtante, I. C. contrarium reſpondet, dotis obligationem, quæ priori pacto mutata fuerat, per poſterius pactum reſtitui. Ad obiectionem reſpondet, ea pacta improbari, quæ faciunt conditionem dotis deteriorem, quàm à legibus ſeu iure ſit conſtituta; non etiam ea, quæ deteriorem faciunt, quàm pactis conſtituta ſit. Vnde in caſu noſtro poſterius pactum ideo valet: quia eſt ſecundum leges, & doti reſtituit naturam legitimam. quòd ſi pactum fuiſſet, vt dos ſeriùs redderetur, quàm ſtatuto legibus tempore, tunc obiectio illa locum haberet.

Ad §. Illud.

HIc §. continet regulam & exceptionem. Regula eſt, non valere pactum de dolo non præſtando. Intellige dolum futurum, ne inuitetur quiſpiam ad delinquendum, & dolum committendum. nam dolus commiſſus non minùs remitti poteſt, quam actio furti, vel iniuriarum, infr. § prox. Exceptio eſt, niſi dolus tacitè remittatur. multa enim tacitè fieri poſſunt, quæ expreſsè non valerent, infr. de her. inſt. l. ſi quis Sempronium. 68. & infr. de condit. & demonſtr. l. nonnunquam. 52. Exemplum exceptionis eſt, ſi rem deponens paciſcatur, ne agat depoſiti: conſtat enim in actionem depoſiti venire dolum depoſitarij, infr. commod. l. 5. §. nunc videndum. & de diu. reg. iur. l. contractus. 23. dum igitur remittit actionem depoſiti, in quam dolus venit ipſum dolum futurum remittit, valet tamen pactum: quia non fit expreſsè mentio doli: vnde non videtur id agi, vt depoſitarius ad delinquendum inuitetur, nec de dolo, ſed de ipſa re pactum ſactum eſt principaliter: ceteroqui pactum ne depoſitarius dolum præſtet, non valet, infr. depoſ. l. 1. §. illud. Quid ergo? an non poterit qui depoſuit, rem ſuam repetere? an cenſebitur rem donaſſe? Non puto donationem præſumi: ſublata enim actione depoſiti, manet ei tanquàm domino rei vindicatio, quæ non ſolùm datur contra veros poſſeſſores, ſed etiam contra depoſitarios & alios quomodocumque rem tenentes & rei reſtituendæ facultatem habentes, D. de rei vindic. l. officium. 9.

Ad §. Pacta quæ turpem.

HIc §. docet remitti poſſe delictum iam commiſſum, ſecundum regulam iuris, quòd licet cuilibet renunciare iuri ſuo, & actioni ſibi competenti, infr. h. t. l. pactum. 46. & C. eo. l. pen. ideóque etiam ſuprà probauimus pactum ne agatur de furto iam commiſſo, vel de iniuria facta, ſupr. eod. l. ſi tibi. 17. §. 1. Futurum autem delictum pacto remitti nequit, ne quis inuitetur ad delinquendum: nam hoc pactum aduerſatur publicæ vtilitati. Hanc diſtinctionem I. C. declarat quibuſdam exemplis. Primum eſt exemplum furti: ſecundum eſt exemplum iniuriarum: tertium eſt interdictum vnde vi, de quo ait paciſci non licere, quatenus publicam cauſam contingit. ſenſus horum verborum eſt, non valere pactũ, ne contra te vtar interdicto vnde vi, ſi in futurum vim facies; quia publicè intereſt, metu pœnæ deterreri à vi facienda: valebit tamen pactum, ſi pertineat ad vim iam commiſſam, quoniam eo pacto non inuitatur quis ad delinquendum, & quod factum eſt, infectum fieri nequit. His exemplis ſubiicit I. C. regulam generalem; pactum in ſumma non valere, ſi a re priuata remotum ſit, id eſt, ſi de alia re fiat, quàm de priuata. lege notata ad §. generaliter, l. 7. ſupr. hoc tit. Deinde in verſ. ante omnia eam regulam confirmat

hac

hac ratione, quòd pactùm in vna re factum, non pertinet ad aliam rem: & pactum ab vna persona factum, non pertinet ad aliam personam. Vis rationis in eo consistit, quòd si de re publica paciscaris, hoc pactum non potest aliis nocere, quò minùs agant. obligatio igitur hoc casu per pactum non eliditur, alioquin pactum vnius noceret alteri. Quod ait pactum de vna re factum, ad aliam non pertinere, patitur duas exceptiones: altera est, nisi sint duæ res alternatè promissæ: tūc enim pactum de vna re non petenda, totam obligationem dissoluit, & etiam alteram rem petentem submouet, infr. h. tit. §. sed si stipulatus. Secunda exceptio est, nisi altera res sit accessoria eius, de qua pactum intercessit. vt putà si pactum fiat de non petenda sorte, pertinebit etiam ad vsuras, quæ sine sorte non possunt consistere, infr. de reb. cred. l. lecta. 40. vers. sed cùm sortis. & supr. si quis caut. l. 1. Illud quoque, quod ait, pactum vnius ad alterum nō pertinere, patitur exceptionem in iis personis, quæ ratione potestatis vel contractus coniunctæ sunt, ita vt persona paciscens per alteram repræsentetur, vt supr. expositum fuit de patre & filio, de domino & seruo, de emptore & venditore, de reo & fideiussoribus, supr. h. t. l. si tibi. 17. §. vlt. & legib. sequentib.

Ad §. Si cum decem.

Etiam hic §. pertinet ad pactum de non petendo. proponit autem Iurisconsultus duas species. in priore plus est in pacto, quàm in obligatione. nam is, cui debebātur decem, pactus est ne petat viginti, contrà in posteriore plus est in obligatione, quoniam is, cui debebantur viginti, pactus est ne petat decem. quæritur ergo, an hæc pacta valeant. Dubitandi causa sumitur ex §. præced. vbi dictum fuit, pactum de vna re factum, ad aliam non pertinere: atqui decem & viginti differunt: ergo pactum de vna ex his duabus summis non tollit obligationem alterius summæ. Contrarium respondetur, dari scilicet exceptionem pacti, vel doli. Intellige exceptionem doli, non subsidiariam, vt in l. rescriptum. 10. §. vlt. supr. h. t. sed quæ concurrit cum exceptione pacti, & quauis alia, infr. de doli except. l. 2. §. item quæritur. & §. seq. Ratio decisionis est: quia cùm minor summa insit in maiori, quod ad eam summam non sunt res diuersæ, infr. de vet. oblig. l. 1. §. si stipulanti.

Ad §. Sed si stipulatus.

Hic agitur de obligatione alternata, cui subiectum est pactum de altera re non petēda. Diuido hunc §. in quinque particulas. prima continet speciem, & his verbis absoluitur, *Sed si stipulatus decem aut Stichum, de decem pactus sim, & petam Stichum aut decem.* In hac specie tria spectanda sunt. Primò spectanda est obligatio, qua decem aut Stichus ex stipulatione debentur. Notandum igitur, esse obligationem ex stipulatione: cur autem hoc notem, posteriùs apparebit. Item notandum, esse obligationem alternatam, decem aut Stichi, ita vt sit vtrumque in obligatione, nō alterum in obligatione, alterum in solutione, l. si duo. 128. infr. de vet. oblig. Secundò in hac specie spectandum est pactum, quod est de non petendis decem. in fine autem §. dicetur idem esse, si ponatur pactum de non petendo Sticho. illud igitur tantùm considetatur, quòd pactum non sit alternatè, quamuis alternata sit obligatio, sed definitè de altera re non petenda, id est, de non petendo Sticho, vel de non petendis decem. Tertiò in hac specie obseruanda est petitio ex dicta stipulatione alternata: est enim etiam petitio alternata: quia si vna res

A definitè peteretur, id est, simpliciter decem, vel simpliciter Stichus, plus causa peteretur, Inst. de act. §. si quis agens. quamuis autem pactum interuenerit de non petendis decem, tamen ipso iure peti possunt decem aut Stichus: quia pacta non valent ipso iure, sed ope exceptionis. Hæc de specie, ex qua oritur quæstio, an pacti exceptio agenti obstet. Ad hanc quæstionem I. C. respondet in secunda particula, cùm ait, *Exceptionem pacti conuenti in totum obstaturam, in totum*, id est, vt neque in Stichum, neque in decem condemnatio fieri debeat. Ergo hîc quoque locum habet eadem dubitandi ratio, quæ in §. præced. quia pactum de decem secundum regulam supr. dictam, non debet pertinere ad Stichum: & nihilominus pacti exceptio pertinet tam ad Stichum, quàm ad decem. Itaque hæc est exceptio

B illius regulæ, vt notaui ad fi. §. pacta quæ turpem. propter naturam obligationis alternatæ. Decisionē, quam exposui, I. C. declarat & confirmat, sumpto argumento à quibusdam similibus. sicut enim si decem soluantur, vel à stipulatore petantur, vel acceptò ferantur, tota obligatio dissoluitur: ita etiam, si stipulator pactus sit de decem non petendis: quia natura obligationis alternatæ est, vt soluatur tantùm alterutrum, nō vtrumque. Quod diximus de decem petitis, intellige petitionem cum effectu, vt petita sint & exacta: quo modo etiam accipitur hoc verbum in l. 2. infr. de duob. reis. vt constat ex l. vlt. C. de fideiuss. Dices, quid igitur differt petitio, & solutio: Respondeo, intelligi solutionem sponte factam sine iudicio, vt sensus sit, dissolui totam obligationem, siue promissor sponte sua, siue cōdem-

C natus soluerit alterutrum. Quod etiam de acceptilatione diximus, non caret difficultate: quia videtur non obstante acceptilatione, posse agi. per tex. in l. & per iusiurandum. 13. §. si Stichum, infr. de acceptilat. Accursius respondet, ibi acceptilationem Stichi non tenere, quia acceptò latus est pendente conditione obligationis, & mortuus est ante conditionem existentem: numquam igitur Stichus fuit in obligatione: ergo eius acceptilatio est inutilis: proinde impleta cōditionis stipulatione, decem in obligatione sunt, ac peti possunt. in nostro autē §. acceptilatio est vtilis: quia obligatio erat pura: statim igitur acceptilatio tenet, & obligationem dissoluit. Ex hac solutione notandum est, Accursium aliter legisse eum §. quàm nunc habeatur in editione Florentina, in qua non ponitur acceptò

D latus Stichus, vt Accurs. ponit, sed ponitur acceptilatio alternata Stichi aut decem. & secundum hanc lectionem Florentinam, acceptilatio est inutilis, non ob rationem Accursij, quia æquè acceptò lata sunt decem aut Stichus, & ea decem non perierunt, sed quia acceptilatio non potest fieri alternatè. cùm enim sit imaginaria solutio, non potest aliter fieri, quàm solui possit: quia fictio veritatem, & ius ciuile naturam imitatur. vnde nec sub conditione acceptò ferri potest, eod. l. 4. Vtrouis modo legamus, conciliatio horum locorum semper in eo consistet, quòd ibi est acceptilatio inutilis, hîc vtilis. Sicut igitur solutione & petitione & acceptilatione vnius rei tota obligatio dissoluitur, ita etiam pacto de vna re non petenda, veluti de decem non petendis. Sed opponitur l. 4. infr. de rescind. vend.

E vbi pactum ne vna ex duabus rebus alternatè debitis maneat in obligatione, confirmat alterius rei obligationem. Solutio. Ille contextus loquitur de emptione & venditione, quæ fit nudo consensu. ideo si quis emat alternatè ædes aut fundum, & paciscatur vt ædes sint inemptæ, renouat emptionem fundi. alia ratio est stipulationis, quæ non contrahitur nudo consensu. idcirco supr. notaui, in specie proposita esse obligationem ex stipulatione. Posthæc I. C. in vers. sed si id. subiicit exceptionem dictæ decisionis, nisi ita fuerit pactum de

de decem non petendis vt Stichus deberetur. Huic A exceptioni videtur obſtare, quod modò dixi ſtipulationem non poſſe renouari nudo conſenſu. Sed ſciendum eſt, hoc caſu pactum non tollere & renouare ſtipulationem, quod fieri non poſſet, ſed tantùm ad hoc valere, vt electio, quæ erat debituris, infr. de iur. dot. l. plerumque. in fin. transferatur ad ſtipulatorem, quod fieri poteſt etiam ex interuallo, non ſolùm in continenti. Poſtremò in verſ. idem eſt. Paulus ea, quæ dixit de pacto ne petantur decem, producit ad pactum ne petatur Stichus. eadem enim ratio eſt, vt in princ. §. notaui.

Ad §. Si generaliter.

Hic proponitur obligatio generis, quam ſequitur pactum de certa ſpecie non petenda, vt puta is, cui debebatur homo, pactus eſt ne petat Stichum; quæritur de vi huius pacti. Reſpondet I. C. inde oriri pacti exceptionem, qua ſubmouebitur creditor, ſi petat Stichum, non etiam ſi Pamphilum, vel alium hominem petat: quia pactum de vna re, ad aliam non pertinet, vt dictum fuit in fine §. pacta quæ turpem. Contra hanc deciſionem, I. Oppono, quòd pactum propoſitum eſt inutile. is enim, cui homo debetur, fruſtra paciſcitur ne petat Stichum, cùm abſque pacto non poſſit petere Stichum. Petens enim Stichum, plus cauſa petit, cùm electio in obligatione generis ſit debitoris, non creditoris, infr. de condict. ind. l. cùm is. 32. §. vlt. Inſt. de act. §. ſi quis agens. verſ. ſi quis aliter. Hæc obiectio valet contra deciſionem dum I. C. ait alium ho- C minem rectè peti; quia nec Stichus, nec alius homo ſpecialis peti debet, ſed homo in genere, vt electio libera debitori relinquatur. Pro ſolutione dicendum eſt, hîc ſupponi terminos habiles, id eſt, in obligatione conſtituenda id fuiſſe actum, vt electio eſſet creditoris. II. Oppono, quod pactum adeo eſt inutile, vt etiam peti poſſit Stichus, de quo non petendo pactum factum eſt, infr. de opt. lega. l. homine. 18. Pro ſolutione diſtinguendum eſt inter renunciationem legati, & pactum de non petendo, vt diſtinximus etiam in l. & heredi. 21. §. filiusfam. ſup. h. t. Repudiari enim præciſè debet, quod legatum eſt: vnde ſi homo legatus ſit, non valet repudiatio Stichi, valet tamen pactum de non petendo. Diuerſitas inter hæc duo manifeſta eſt: quia renunciatio pendet ex ſola voluntate renunciantis: D pactum autem eſt duorum paciſcentium conſenſus. III. Oppono, quod obligatio generis perſimilis eſt obligationi alternatæ, d. l. cùm is. §. vlt. atqui de obligatione alternata hoc diximus in præc. §. quod quemadmodum tota tollitur ſolutione vel acceptilatione vnius rei, ita etiam tollitur per pactum de vna re non petenda. Idem igitur dicendum videtur in obligatione generis, vt quoniam tollitur ſolutione vel acceptilatione vnius ſpeciei, infr. de verb. oblig. l. 2. §. ſi tamen. l. & per iuſiurandum. 13. §. ſi is qui. infr. de acceptil. ita etiam tollatur per pactum de vna ſpecie non petenda. Pro ſolutione dicendum eſt, obligationem generalem non in omnibus alternatæ comparari, ſed, quod ad pactum de non petendo, differre. Differentiæ ratio eſt: quia pactum non pertinet, niſi ad rem de qua pactus E eſt, vt ſæpiùs dictum fuit. Cùm igitur duæ res alternatim debentur, putà Stichus aut decem, vt in §. præced. ideo pactum de vna re in totum nocet, quia creditor non poteſt agere, quin veniat contra pactum, id eſt, quin petat etiam eam rem, de qua non petenda pactus eſt: ſi quidem aliam ſolam rem petat, plus cauſâ petat. Vt enim alternata eſt obligatio, ita etiam debet alternata eſſe petitio. Stipulatus igitur Stichum aut decem, petit Stichum aut decem. Ergo ſuam in petitionem deducit Stichum, de quo non petendo pactus eſt: alia eſt ratio obligationis generalis in noſtro §. quia ſuppoſuimus electionem datam eſſe creditori, adeo vt ſtipulator hominis, id eſt, generis, non teneatur petere hominem in genere, ſed quam ſpeciem velit, ſiue Stichum, ſiue Pamphilum, ſiue alium quempiam. quapropter pactus de non petendo Sticho, rectè nihilominus petet Pamphilum.

Ad §. Item ſi pactus.

Dictæ regulæ, quod pactum de vna re, ad aliam non pertinet, hîc habemus exceptionem in tribus caſibus. Primus caſus eſt, cùm pactus ne petat hereditatem, poſtea petet res hereditarias. quamuis enim aliud ſit hereditas, aliud res hereditaria, Inſtit. de reb. corpor. & incorpor. tamen exceptio pacti de hereditate non petenda obſtat etiam petenti res hereditarias. Hæc deciſio limitatur, vt ita demum obtineat, ſi tanquàm heres petat: alioqui ſi ex alia cauſa agat, putà quaſites tibi promiſſas, aut legatas, nulla eſſet ratio, cur pactum ei obſtaret. Porrò in hoc caſu decidendo notanda ſunt illa verba, *Pacti conuenti exceptio aptanda erit*: quibus ſignificatur dari exceptionem vtilem ex bono & æquo, quæ ſtricto iure inſpecto eſſet denegãda. II. Caſus eſt, ſi paciſcar ne fundum petam, & poſtea petam vſumfructum eius fundi actione confeſſoria. Nam hîc quoque aliud eſt fundus, aliud vſusfructus fundi: quandoquidem vſusfructus non eſt pars rei: quia tamen rei emolumentum continet, inſtar partis eſt, vt meritò pactum de re, ad vſumfructum producatur, inf. de lega. ij. l. Meuius. 66. §. pen. l. cùm filius. 76. §. dominus. & de acceptil. l. & iuſiurandum. 13. §. illud. & de verb. ſignif. l. rectè. 25. Alia ratio eſt ſeruitutum prædialium, quæ nec ſunt partes prædiorum, nec inſtar partium obtinent. vnde ſi quis pactus ſit de fundo nõ petendo, puto eum poſſe petere ſeruitutem ex eo fundo, §. pen. d. l. Meuius. Non obſtat l. fundum. 16. infr. de except. à Bartolo oppoſita: quia non loquitur de fundo, ex quo ſeruitus petitur; ſed de fundo, cui petitur: quo caſu concederem, pactum de fundo non petendo nocere ſeruitutem petenti: quia ſeruitus fundo debetur, nec poteſt ſeruitutem petere, qui fundum non habet, infr. commun. præd. l. 1. in fi. & ſi ſerui. vind. l. 2. §. 1. Itaque ſi paciſcer, ne petam fundum Tuſculanum, conſequenter non potero petere ſeruitutem, quaſi ei fundo debitam: ſed nihil prohibet, quò minùs petam ſeruitutem ab eo fundo Tuſculano alij meo fundo debitam. III. Caſus eſt, ſi quis paciſcatur ne petat nauem, & ea poſtea diſſoluta petat ſingulas tabulas: aut pactus ſit ne petat ædificium, & eo diruto petat tigna. hic quoque videtur rectè petere, non obſtante pacto; quia tabulæ & cæmenta non ſunt nauis aut ædium partes, infr. de euict. l. naue. 36. & de vſucap. l. eum qui. 33. Ergo de alia re pactus eſt, & alias res petit: conſequenter rectè agit. Contrarium tamen reſpondetur: quia in pactum de non petenda naue aut ædificio, non tantùm partes propriè dictæ, ſed etiam omnis cauſa deduci intelligitur. diuerſum eſt in re iudicata: quia non omnis cauſa in iudicium deducitur: vnde ſuperatus in iudicio de ædibus, poterit iis dirutis cæmenta petere, non obſtante exceptione rei iudicatæ, infr. de except. rei iudic. l. 7. §. ſed in cæmentis. Ad hos tres caſus expoſitos I. C. apponit generalem exceptionem, niſi ſpecialiter aliud inter paciſcentes actum ſit, id eſt, niſi præciſè voluerint paciſci tantùm de re, non etiam de eius vſufructu: vel tantùm de naui, & ædificio; non etiam de tabulis, & cæmentis: vel tantùm de hereditate, non etiam de rebus hereditariis.

Ad

Ad §. penult.

ACceptilatio inutilis habet in se vtile pactum de non petendo, infr. de acceptilat. l. an inutilis. 8. in princ. nec sua natura, sed potestate conuentionis valere dicitur, infr. de rescin. vend. l. 5. in princ. id est, non valet quasi acceptilatio, vt obligationem tollat ipso iure, sed parit exceptionem pacti, vel doli. infr. de accepti. l. si acceptò latum. 19. Alia ratio est stipulationis: cuius forma si non seruetur, actus est prorsus inutilis, neque continet in se pactum vtile, infr. de constit. pec. l. 1. §. eum qui. & de verb. oblig. l. 1. §. si quis ita. Differentiæ ratio inter stipulationem, & acceptilationem est: quia stipulatio pertinet ad obligationem constituendam, acceptilatio verò ad liberationem gignendam: propensiores autem sumus ad liberandum, quàm ad obligandum, infr de oblig. & act. l. Arrianus. 47.

Ad §. vlt.

PRoponuntur duo pacta serui hereditarij, alterum in personam, alterum in rem. Prius pactum est, quo seruus paciscitur cum creditore hereditario, ne petat à Titio, ad quem hereditas pertinet, necdum adita. posterius pactum est, quo seruus hereditarius generaliter paciscitur cum creditore hereditario, ne petat. Prius pactum reprobatur: quia factum est extraneo, nempe Titio, qui nondum adiuit hereditatem: posterius pactum valet: quia seruus hereditarius acquirit hereditati personam domini defuncti repræsentanti, & per eam consequenter acquirit futuro heredi, infr. de stipular. seru. l. seruus hereditarius futuro. 16. Similiter valet pactum, si seruus hereditarius paciscatur, ne à futuro herede petatur, id est, si sub appellatione heredis, mentionem eius fecerit. sic enim ei acquirere potest: infr. eod. l. si ex re. 28. l. seruus hereditarius & heredi. 35. Quare quod I. C. hîc ait, *nominatim*, significat seruum in pacto expressisse proprium nomen futuri heredis, ideóque pactum non valere.

Ad princ. l. Contra. 28.

AIt, *Veluti si pupillus*, &c. Intellige pactum pupilli esse inutile: quia contra exceptionem eius pacti dabitur replicatio, arg. l. quod ex conuentione. 17. §. 1. infr. de iureiuran.

Ad §. 1.

COniunge l. tutoris. 15. sup. hoc tit. vbi de pacto tutoris agitur.

Ad §. Si filius.

HIc proponitur duplex pactum filij, vel serui, quorum vtrumque est pactum de non petendo, sed alterum est personale, ne ipse filius vel seruus petat; alterum in rem ne petatur. Prius pactum reprobatur: quia nó potest habere effectum, cùm ex contractu filij vel serui quæratur actio patri & domino, ita vt ipse filius vel seruus agere nequeat: proinde frustra paciscitur ne agat. in persona tamen filij adhibetur exceptio in princ. l. in persona. 30. Quod ad posterius pactum attinet, Gaius ait, pactũ ita demum valere, si aliquot conditiones coniunctim in eo obseruentur, quibus obseruatis pactum filij vel serui nocebit patri vel domino agere volenti. I. Requiritur, vt sit pactum de re peculiari. I I. Requiritur, vt paciscens habuerit eius peculij liberam administrationem. secus enim esset, si simpliciter administratio ei concessa esset. Similis di-

A stinctio adhibetur in procuratore omnium bonorum, qui ita demum potest transigere, si habet liberam administrationem, non administrationem simpliciter, infr. de procurat. l. procurator cui. 58. & ll. seqq. & l. procurator totorum 63. I I I. Requiritur, vt pactum non sit factum donandi causa. Gaius igitur distinguit, & ait, si pactum donandi causa factum est, non valere. Si verò ideo pactus est de hoc non petendo, quia tantundem ex alia causa consequitur, non esse donationé, sed permutationem quandam, proinde pactum sustineri. Quæro, quid dicendum sit, si filius vel seruus nec donandi causa pactus sit de non petendo, nec aliquid sit consecutus pro eo pacto, sed ideo pactus sit, quia intelligebat debitorem nolle soluere, se autem probationibus defici, proinde nihil posse consequi, propter B regulam iuris, quæ ait, actore non probante reum absolui: aut ideo pactus est de non petendo, quia videbat aduersarium esse inopem: dicitur enim esse actio inanis, quæ in eum competit, qui non est soluendo, inf. de dolo. l. 6. His casibus non videtur donatio, proinde pactum valere. Contrarium tamen verius puto: quoniam instrumenta ad probandam obligationem possunt aliquando reperiri, infr. de iureiu. l. admonendi, 31. & C. de donat. l. sub prætextu. 19. item qui in præsentia non est soluendo, potest aliquando peruenire ad pinguiorem fortunam, vt tunc soluere cogatur, infr. de cession. bon. l. 4. & C. de rei vxo. act. l. vn. §. cùm autem in exactione, & Inst. de act. §. vlt.

Ad L. Sin autem 29.

C

DIctum est de pacto, quod seruus fecit de pecunia peculiari; nunc proponitur pactum de pecunia dominica: & ait Vlp. valere pactum, quod seruus credendi tempore fecit, id est, hoc pactum nocere domino, quod à seruo factum est in continenti cum eo, cui pecuniam domini sui credebat. Intellige, seruum credidisse pecuniam permissu domini, vt contractus teneat. Item intellige, idem pactum quod diximus valere, si fiat in continenti, non valere factum ex interuallo. putà si seruus, qui pecuniam credidit, pactus sit de ea intra annum non petenda. Ratio est: quia seruus non potest domino adimere, quod ei acquisiuit, sed potest domino non acquirere, vel minus acquirere, C. de acquir. poss. l. vltim. Cùm ergo tempore contractus D paciscitur, nihil domino quæsitum adimit, sed minùs acquirit. Cùm autem simpliciter pecuniam credit, simpliciter acquirit actionem domino: &, si postea paciscatur, non potest actioni domino quæsitæ officere: vnde fit, vt pactum serui ex interuallo factum, ita demum valeat, si faciat domini conditionem meliorem, non si deteriorem, C. h. t. l. 3.

Ad pr. L. in persona. 30.

QVia dictum fuit in §. vlt. l. 28. non valere pactum, si filiusfam. paciscatur, ne ipse petat: nunc ad eam regulam apponitur exceptio, nisi sit casus, in quo actio ipsi filiofa. competat, qualis est actio iniuriarum. Cùm enim filiusf. iniuriam passus possit agere poterit, etiam E pacisci ne agat. Adde aliam exceptionem, quod etiam quando filiusfam. agere non potest, tamen potest pacisci ne agat, si pactum conferat in id tempus, quo agere poterit, vt cùm erit factus paterfam. supr. h. t. l. & heredi. 21. §. filiafam. & §. seq. Ait, *Videndum est*. Hæc verba (vt Duarenus rectè obseruauit) non dubitationem, sed modestam affirmationem significant. Ait, *Sed cùm propter*, &c. Constat, cùm fit iniuria filiof. etiam patri per filium fieri, ita vt duæ sint actiones, altera filio, altera patri competens. Rectè igitur ait I. C. dum filius paciscitur

scitur, ne agat, eam pactionem non nocere patri agere volenti quia pactum vnius alteri non nocet, supr. eod. l. si vnus. 27. §. pacta quæ turpem. vers. vlt.

Ad §. 1.

TRes sunt partes huius §. prima continet speciem: secunda quæstionem ex ea specie emergentem: postrema decisionem eius quæstionis. Species talis est. Titius debebat Sempronio decem: hæc decem Sempronius stipulatur à seruo meo nouandæ & in se tum transfundendæ obligationis causa; quæritur, non an Titius ipso iure sit liberatus, quia serui promissio pro alio interuenientis, iure ciuili non valet, Inst. quib. mo. toll. obliga. §. prætetea. sed an de iure prætorio Titius habeat exceptionem taciti pacti, quasi, dum Sempronius stipulatur à seruo meo, tacitè videatur paciscí ne petat à Titio. Respondet I. C. adhibita distinctione trium casuum. Aut enim Sempronius sciebat, aut ignorabat eum esse meum seruum: &, si sciebat, aut stipulatus est ex ea causa, ex qua habet aduersus me actionem de peculio, aut ex ea, qua contra me non habet actionem. Intellige contra me dati actionem, si seruus iustam habuit causam transferendi in se obligationem Titianam, veluti quia tantumdem Titio debebat, vel tantumdem à Titio accepit: non dari autem contra me actionem, si tãtùm intercedendi causã seruus meus promisit; hac enim ratione me obligare non potest, siue vt fideiussor, siue vt expromissor promiserit, infr. de fideiuss. l. seruus inscio. 19. & l. seq. Sunt igitur tres casus hîc considerandi. Primus casus est, cùm Sempronius sciens Stichum esse seruum meum stipulatus est ab eo ex iusta causa, quod Titius debebat, ita vt ego inde tenear Sempronio actione de peculio. Hoc casu ait I. C. Titium non posse efficaciter conueniri à Sempronio, quoniam eum submouebit exceptione taciti pacti, quia dum stipulatus est à Sticho, tacitè pactus est ne petat à Titio, propterea quòd nouandi causa stipulatus est à Sticho, adeo vt acceperit Stichum tanquam expromissorem, non tamquam fideiussorem. Secundus casus est, cùm Stichus quasi fideiussor interuenit ex ea causa, ex qua me non obligat de peculio, quia non habuit iustam causam intercedendi, sed donandi causa intercessit. dixi, *quasi fideiussor*: quia Iurisconsultus ita loquitur. ac notandum, eam particulam *quasi*, esse notam improprietatis & similitudinis. Nam Sempronius si Stichum accepisset fideiussorem, nullo modo posset videri pactus ne peteret à Titio, quia fideiussor non liberat reum principalem; immo fideiussoris obligatio non consistit, nisi principalis maneat obligatus. Promisit igitur Stichus quasi fideiussor, id est, fuit expromissor, qui quidem expromissor est similis fideiussori. proinde rectè dubitatur, & videtur Sempronius pactus ne à Titio petat, consequenter hic danda videtur pacti exceptio, vt in casu præceden. Contrarium tamen respondetur: quia primo casu stipulatio erat vtilis, quippe quæ pariebat contra me actionem de peculio: hoc autem secundo casu stipulatio est inutilis, quoniam ex ea non teneor. ergo locus est regulæ iuris, quod stipulatio inutilis non continet in se pactum vtile, infr. de pec. const. l. 1. §. eùm qui. & de verb. obl l. 1. §. si quis ita. Tertius casus est, cùm Sempronius putauit Stichum esse hominem liberum. hoc casu indistinctè dicimus stipulationem & pactum non valere, quoniam Sempronius errauit, & error impedit cõsensum, sup. de iurisdict. l. si per errorem 15. & inf. de diu. reg. iur. l. nihil consensui. 116. consequenter impedit pactũ, inf. h. t. l. si cum te. 5. In summa vt in specie proposita Titius pacti exceptione tutus sit, duo requiruntur, videlicet vt creditor sciuerit Stichum esse seruum meum, & ex iusta causa sit ab eo stipulatus, vt possim de peculio conueniri.

Ad §. vltim.

SEntentia huius §. est, si quis stipuletur à secundo, quod primus debet, stipuletur (inquã) nouandi causã sub aliqua conditione, putà si nauis ex Asia venerit; deficiente cõditione nouationem non solum esse inutilem ipso iure, sed etiam cessare exceptionem pacti. Videbatur quidem prima facie exceptio competere: quia dum stipulatus est à secundo, tacite videtur pactus ne à primo petat. sed hoc pactum est inutile, propter eandem regulam, quòd stipulatio inutilis non continet pactum vtile: stipulatio namque, ex qua pactum in casu proposito tacite colligitur, est inutilis deficiente eius conditione.

Ad L. Pacisci. 31.

PActum contra ius non valet, supr. h. t. l. 7. §. ait prætor. & C. eod. l. 6. & infr. de pact. dotal. l. 5. Contrà ius propriè loquendo dicitur, quod iure vetante fit, supr. de leg. l. contra. 29. & de diu. reg. iur. l. qui vetante. atque ita contra ius accipere oportet in d. reg. de pactis contra ius. Ceterùm pactum, quod fit contra formam iure aliquo datam, non est inutile: quia ius ita paciscí permittit, supr. h. t. d. l. 7. §. si paciscar. & infr. de act. empt. l. 6. §. 1. & C. de pact. inter empt. l. 2. Sic cum edictum ædilium iubeat, venditorem palam dicere morbos aut vitia mancipij, vel iumenti venditi & eorum vitiorum nomine venditorem obliget, tamen valebit pactum contra hoc edictum, veluti si quis vendat equum hoc pacto, ne teneatur, si deprehendatur equus esse calcitrosus: quoniam hoc pactum impropriè dicitur contra edictum, quatenus adimit emptori beneficium ei ab edictu tributum: licet enim vnicuique iuri suo & beneficio sibi competenti renunciare, inf. h. t. l. pactum. 46. & C. eod. l. penult. hac ratione in hac ipsa specie decidenda vtitur Vlp. in l. quæritur. 14. §. si venditor, infr. de ædilic. ed.

Ad L. Quod dictum est. 32.

HVic legi satisfactũ est in §. vlti. l. & heredi. 21. Hîc enim adhibetur exceptio ad regulam ibi traditam, quæ regula citatur in princ. huius l. Quod enim dicitur initio legis, *quod dictum est*, referri debet ad eum §. vlt. referri (inquam) debet ex mente Iustiniani, nisi est error in inscriptione huius l. quæ sumpta est ex lib. 3. Pauli ad Plautium. illa enim lex 21. est ex lib. 3. Pauli ad edictum.

Ad L. Auus. 33.

TRes sunt partes huius l. species, decisio, & ratio decidendi. species ponitur in primis verbis. decisio in vers. si à coherede. ratio in vers. quippe heredi. ergo singillatim hæc tria sunt explicanda.

Quod attinet ad speciem, tres sunt eius partes, quarum duæ proponuntur in contextu, tertia est supplenda. primùm enim auus paternus, cùm neptem ex filio nuptui collocaret, pro ea dotem promisit: deinde pactus est cum progenero, ne dotem à se peteret, item ne eam peteret à filio, id est, eius neptis patre: postremò idem auus decessit, duobus heredibus relictis, nempe filio prædicto, & quodam extraneo. pono coheredem filij extraneum, cùm quia verba legis seiungentia eum à filio indicant eum non fuisse filium: tum etiam, quia si ille quoque filius esset, decisio nostræ l. cessaret.

Dicit

Dicit enim I. C. pactum illud coheredi non prodesse: prodesset autem si esset filius testatoris, infr. h. tit. l. tale pactum. 40. §. vlt. Hæc de specie. Ex qua oritur quæstio de vi pacti, vtrùm prosit filio, vel coheredi, an sit eis inutile. Duplex igitur est quæstio, altera de filio, altera de extraneo herede. quapropter decisio est bipartita. Prima decisionis pars pertinet ad heredem extraneũ. Ait lex, pactum ei non prodesse. Dubitandi ratio afferri potest: quoniam auus pactus est filio, non vt filio, sed vt heredi, vt postea docebo, cùm de filio agã. ergo illud pactũ etiam alij heredi prodest, d. l. tale pactum. §. vlt. Contrarium tamen respondetur propter rationẽ, quæ mox proponetur in vltima parte legis. Non obstat d. §. vlt. l. tale pactum. vbi pactum prodest heredi nominato in ipso pacto: quoniam heres ille erat filius; is autem qui in pacto nominatus est, non fuit heres, quamuis tẽpore pacti putabatur fore heres. Meritò igitur ibi pactum factum fratri, quasi futuro heredi, qui postea non fuit heres, transfertur ad liberos paciscentis post pactum susceptos, qui heredes extiterunt. Alia ratio est nostræ speciei, in qua heres ille, qui non est pacto comprehensus, est extraneus, & filius in pacto nominatus, est etiam heres. Vnde apparet, paciscentem voluisse soli filio consulere. Patet igitur ab extraneo herede dotem peti posse. Sed quæritur, in quantum teneatur, vtrùm pro portione hereditaria, an in solidum. Ex vna parte, quòd teneatur in solidum, videtur probari argumento l. ab omnibus. 104. infr. de lega. j. vbi testator ab omnibus heredibus legauit centum, deinde vnum ex heredibus ab ea obligatione exemit. & ait I. C. reliquos heredes tota centum debere, adeo vt exemptio vnius heredis oneret alios. Sic igitur in casu nostro liberatio filij onerabit coheredem, vt solidam dotem præstare debeat. Ex altera parte, quod hic teneatur solum pro sua portione hereditaria, videtur probari argumento. l. si fundum. 81. §. si libertus, infr. eod. tit. vbi testator, qui patronum suum & quosdam alios heredes fecerat, ita legauit: *Quisquis mihi cum patrono heres erit: seruos illum & illum Titio do lego.* & respondet I. C. cùm legatum debeatur tantùm à coheredibus patroni, legatarium non posse consequi legatum in solidum, sed tantùm pro illarum heredum portione: adeo vt, cùm patronus heres sit ex septunce, alij ex quincunce, Titius tantùm quincuncem in seruis legatis obtineat. similiter igitur in casu nostro maritus non petet integram dotem ab extraneo herede, sed eum conueniet pro parte hereditaria. Quare videtur esse contradictio inter eas duas leges. Pro resolutione quæstionis propositæ, dico heredem extraneum teneri solùm pro sua hereditaria portione: quoniam obligatio, qua auus dotem promittens se obstrinxit, ipso iure ex lege xij. tabularum diuiditur inter omnes heredes pro hereditariis portionibus, adeo vt non possit tota obligatio ipso iure in vnum conferri, infr. de ver. oblig. l. continuus. 137. potest quidẽ id fieri ope exceptionis, C. de except. l. 1. sed id tum demum obtinet, cùm talis fuit voluntas, & cùm id actum fuit: quod in casu nostro dici non potest. nihil enim proponitur, cur extraneus heres teneatur in solidum, immo cùm auus filio pactus sit, apparet eum egisse, non vt filium liberaret ipso iure, proinde non vt obligationem eius transferret in coheredem, sed vt ipsi filio acquireret exceptionem pacti. atqui exceptio supponit actionem. certum igitur est, filium ipso iure posse conueniri pro sua parte hereditaria, sed ope exceptionis se tueri posse. cùm igitur filius pro ea parte possit conueniri, certè obligatio pro ea parte non est translata in coheredem. Concludo igitur, ipso iure ipsos heredes teneri pro hereditariis portionibus, pacti autem exceptionem prodesse filio, non extraneo: quoniam ita conuenit. Quid respõdebimus ad leges antea

A adductas, & quomodo eas inter se conciliabimus? Dico primùm, neutram illarum legum re vera pertinere ad nostram quæstionem. in vtraque enim lege agitur de obligatione incipiente à persona heredum, nempe de obligatione, qua legatum debetur; nos autem loquimur de obligatione, quæ initium habuit in persona defuncti. ipse enim auus dotem promittens, se obstrinxit. ergo hæc obligatio lege xij. tabularum diuiditur in heredes pro portionibus hereditariis: illa autem legatorum obligatio non potest ita diuidi, sed tota pendet à voluntate testatoris legantis. Cùm igitur quærimus, quibusdã heredib. liberatis à legatis præstandis, vtrùm alij coheredes solidum, an partem præstare debeant; spectanda est testatoris voluntas quæ in testamentis dominatur. Hinc illæ leges conciliantur, nam in l. ab B omnibus. testator voluit solidum legatum præstari: sed in l. si fundum. §. si libertus. voluit partem solui legatario. Sed non immeritò quæret aliquis, vnde colligatur hæc voluntatis diuersitas in testatore. videtur enim hæc dici voluntariè, cùm nihil tale in legibus proponatur. Respondeo, voluntatem hinc colligi, & omnino rationem diuersitatis, quæ eas leges conciliat, hanc esse, quòd in d. l. ab omnibus. legata erat pecunia, nempe centum: in d. autem l. si fundum. §. si libertus. legata erant corpora, id est, serui. inter pecuniam verò & corpora hoc est discrimen, quòd tota pecuniæ legatæ quantitas potest reperiri etiã in portione vnius heredis: corpora verò non possunt integra reperiri in vnius heredis portione, quia sunt res certæ, & singulæ partes pro indiuisa ad singulos heredes pertinẽt pro partibus C hereditariis. Hoc discrimen notandum inter corpora & pecuniam tradit I. C. in l. deducta. 58. §. acceptis, infr. ad S. C. Trebell. Hinc igitur fit, vt quando pecunia est legata, præstetur in solidum ab vno herede, quia potest eam in solidum ex sua portione præstare: corpora autẽ non præstentur ab vno herede in solidum, quia non possunt in solidum ex eius portione præstari.

Sequitur altera decisionis pars de filio. Ait lex Filium exceptione conuentionis, id est, pacti ab auo facti rectè vti. Huic decisioni opponitur l. si tibi. 17. §. si pactus. & l. & heredi. 21. §. nos autem, sup. h. t. vbi pater frustra pactus est filio, neq; conualescit pactum, etiamsi filius patri heres sit. Sed iam ibi diximus, pactum ibi factum fuisse filio vt filio, hîc verò filio vt heredi. hîc autem vocatur filius, vt distinguatur ab extraneo herede. D Quòd filius hîc consideretur non vt filius, sed vt heres, probatur ex seq. verbis, *quippe heredi*, &c. item probatur ex eo, quod filius non tenetur ex cõtractu patris, nisi ei heres extiterit, C. ne fil. pro patre. l. 4. Cùm igitur auus dotem promiserit, non potuit pacisci ne petatur a filio, nisi quatenus filius heres futurus est: quia cum paciscitur ne ab eo petatur, supponit ab eo peti posse, & vult ei acquirere exceptionem pacti.

Superest tertia pars legis continens rationem decisionis. hæc quoque ratio bipertita est, quemadmodum duæ erant decisionis partes. Diximus pactum prodesse filio, quatenus filius est heres. ratio affertur, quia possumus prospicere nostris heredibus. prætetea diximus, prodesse pactum soli filio, non coheredi eius. ratio afE fertur, quia pater de solo filio est pactus, & possumus non tãtùm omnibus, sed etiã vni heredi cõsulere. Huic sententiæ duæ opponũtur. I. Opponitur l. cum qui. 56. §. 1. infr. de verb. obl. vbi proponitur talis species. Quidam ita stipulatus est, *Te & Titium heredem tuum decem daturum spondes?* ait lex, Titij mentionem esse superuacuã: quia si Titius sit solus heres, omnino tenetur, etiãsi id in stipulatione expressum non fuerit. quòd si habeat coheredes, tamen non obstante pacto tenebitur pro sua tantùm portione hereditaria. Addit I. C. videri quidem, eũ qui stipulatus est Titiũ heredem daturum,

pepigisse ne peteret à coheredibus Titij: sed hoc pa- A
ctum esse inutile coheredibus. ergo contradicit nostræ legi, in qua pactum est vtile, & prodest vni ex heredibus. Pro solutione notandum est, in l. nostra esse pactū expressum, in contextu opposito esse pactum tacitum, quod ex stipulatione colligitur; id est, ex ea stipulatione, *Titium heredem daturum*. atqui iam diximus hâc stipulationem esse inutilem: ergo etiam pactum, quod ex ea stipulatione colligitur, inutile erit propter regulam iuris, quæ ait, stipulationem inutilem non continere in se pactum vtile. II. Opponitur l. continnus. 137. §. vlt. inf. de ver. obl. vbi dicitur, non posse nos acquirere vni heredi; sed necesse esse, vt omnibus acquiratur. quomodo igitur hîc dicitur autum acquirere exceptionem pacti soli filio, non aliis heredibus? Solutio. Hæc lex loquitur de acquisitione prætoria, id est, exceptione pa- B
cti conuenti: lex autem opposita loquitur de acquisitione ciuili, quæ ipso iure diniditur inter omnes heredes ex lege xij. tabularum.

Ad L. *Ius adgnationis*. 34.

Ait, *Ius adgnationis*. Multò magis idem dicendū est de iure cognationis, vel affinitatis: quia cognatio est nomen iuris ciuilis, cognatio autem & affinitas sūt nomina naturalia, id est, significant naturalem cōiunctionē, quæ nullo iure ciuili perimi potest; inf. de diu. reg. iur. l. iura. 8. Ait, *Non potest pacto repudiari*. Ratio est: quia certi modi sunt iure constituti, quibus ciuilia vincula dissoluuntur, præter quos dissolui non possunt, sup. de his qui sui vel alien. iur. sunt, l. patre furioso. 8. & de oblig. & act. l. obligationum. 43. §. placet. cùm igitur in his modis pactum non numeretur; consequens est, C
vt pacto agnatio tolli non possit. Sententia tamen, quia pro veritate habetur, efficit, vt non habeatur pro adgnato is, qui iudicatus est non esse adgnatus, quemadmodum non habetur pro filio, qui iudicatus est non esse filius, infr. de agnosc. libe. l. 3. in pr. Ait, *Nolle suum esse*. sic legitur Florentiæ. vulgati libri habent *suum liberum*, vt liber accipiatur pro filio, quemadmodum accipitur etiam ab Vlp. in l. nemo prædo. 126. infr. de diu. reg. iur. vbi ait, non esse factum locupletiorē eum, qui liberum acquisiuit. Verùm ibi liber Florent. non habet *liberum*, sed *libertum*, quod rectius est. Denique nō puto iurisconsultos vnquàm accepisse liberum in numero vnitatis pro filio, quamuis Laur. Valla lib. 3. elegant. scribat, se id reperisse apud Paulum & Gaium: sed puto Vallam incidisse in libros corruptos. non ignoro D
tamen, Iustinianum ita eo vocabulo esse vsum in pr. tit. Inst. de seru. cognat. & in l. si quis in suo. 33. C. de inoff. test. & in l. si quis prioris. 8. §. vlt. C. de secun. nupt. Placet igitur hîc Florentina lectio, vt quis dixerit nolle suum esse, id est, nolle rem suam esse, nolle se habere rei dominium. Vnde notandum est, dominium nuda voluntate non amitti, infr. de acquir. poss. l. si quis. 17. & nudo pacto in alterum non transferri, C. h. t. l. traditionibus. 20.

Ad L. *Tres fratres*. 35.

Hæc lex distinctè continet speciem, quæstionem, & decisionem: & in summa docet exceptionem pacti generalis elidi per replicationem doli mali. Ait, *Tres fratres*. mox docebit duos fuisse fratres, & vnam sororem. vnde notandum, appellatione fratris contineri etiam sororem. infr. fam. erc. l. Lucius. 38. & E
de lega. iij. l. Lucius. 93. §. quæsitum. & ad S. C. Trebell. l. Lucius. 78. §. Meuia filium. Ait, *Diuiserunt*. Non declarat Modestinus, vtrùm per iudicem, an sine iudice diuiserint: ideóq; generaliter hanc l. accipio vt eius decisio obtineat, vtrouis modo facta fuerit diuisio, quod notandum est, propter ea, quæ mox dicturus sum de repetendo iudicio familiæ erciscundæ. Ait, *Nihilque sibi commune remansisse cauerunt*. Ex his verbis colligitur pactum, ne quid amplius eo nomine petatur. nam si quid mansisset indiuisum, de eo diuidendo agi posset. Ait, *Qui absentes erant*. ita contigit, vt duo absent, quo tempore mater obiit, eáque absentia facit, vt præsumantur ignorasse: facit l. planè. 29. inf. de excusat.

Ait, *Quæro*. Hactenus species: sequitur quæstio, an possit agi de pecunia surrepta. Hîc quoque I. C. generaliter loquitur non exprimens certam actionem, qua de surrepta pecunia agatur: ideóq; generaliter hâc legem accipio; siue Mæuius & Seia velint agere familiæ erciscundæ; siue cōmuni diuidundo, quoniam ea pecunia communis est; siue condictione furtiua, qooniā etiam rei communis furtom fit, & nascitur actio furti, inf. de furtis. l. socius. 45. Sed de his actionibus omnibus dubitari potest. Primò generaliter videtur obstare exceptio pacti. sed Modest. respondebit, eam tolli per replicationem doli. Deinde specialiter obstat actioni familiæ erciscundæ, si dicamus fuisse hereditatem diuisam per indicem, quia iudicium familiæ erciscundæ non potest iterari: sed, si quid cōmuoe remanet, diuidi debet speciali iudicio communi diuidundo. Respondeo, quamuis regulariter iudiciū familiæ erciscundæ iterari nequeat, tamen ex iusta causa id posse admitti. & hoc est, quod dicitur in l. si filia. §. familiæ, inf. fam. erc. causa cognita iterum eo iudicio agi. est autem hîc iusta causa, propter dolum fratris pecuniam auream surripientis & celantis.

Ait, *Modestinus*, &c Nunc respondet ad quæstionem propositam. Ait, *Si agentibus*. hîc quoque loquitur generaliter. ergo generaliter intelligo, quæcumque actio fuerit intentata, quę in casu proposito moueri poterit: quamuis aliqui putent hanc decisionem non conuenire actioni furti, quasi exceptio pacti ei nō obstet, ideóque non sit opus replicatione doli. Sed constat etiam actioni furti pactum obstare, supr. h. tit. l. si tibi. 17. §. 1. proinde & multò magis condictioni furtiuæ: & ad has quoque actiones videtur mihi pactum pertinere: quod illi negant, dicentes pactum esse de communione, non de furto. sed cùm cauerint fratres nihil mansisse commune: certè in id consenserunt, vt agi non possit nomine rei communis, & non possit surripi res communis: quomodo enim surripietur, quod non est? ergo quæcumque actio sit tanquàm de re communi, ad eam pactum pertinet. Ait, *Ob portionem*: quia pecunia surrepta, pro parte pertinebat ad surripiētem: vnde pro parte non tenetur, neque furtum fęcit, quia nemo rem suam sibi surripit. Ait, *Transegerunt*. sup. vocauit pactum; quia nudo pacto transactio facta est.

Ad L. *Si cùm fundum*. 36.

Ait, *Iam tradidisse*. Subaudi, antequàm vetuerim te tradere. possum enim pœnitere; si non tua causa pactum internenit, inf. de solut. l. si cùm Cornelius. 82. Notandum est, hoc casu non esse exceptionem propriè dictam, sed quam vocant exceptionem facti: nam hoc casu, propriè loquendo, non tam datur exceptio, quàm denegatur actio. Etenim rei vindicatio, de qua hîc agitur, non datur in eum qui nec possidet, néc dolo desiit possidere: infr. de rei vindic. l. qui petitorio. 36. in casu aotem proposito, cùm rem Attio tradideris voluntate domini, nec eam possides, nec dolo desiisti possidere: ergo ipso iute non teneris rei vindicatione. Ait, *Si tua causa*. veluti quia promiseras eum fundum Attio sub pœna. ergo tua interest tradere fundum Attio, ne incidas in pœnam. Ait, *Per te non stare*, *quò minus traderes*. hoc casu diceris esse proximus tradenti, Nou. 91. c. 2. proinde tibi datur exceptio propriè dicta, id est, exceptio iuris: ipso enim iure teneris rei vindicatione, quia rem alienam possides.

Ad

Ad L. Imperatores. 37.

AIt, *Permitti pecunias non posse.* Legendum, vt in aliis libris, *remitti.* Intellige, donationis causa remitti: nam transactionis causa remissio facta valeret, C. de transact. l. præses. 1 2. Sed adhuc videtur obstare l. 5. C. de vsur. Non est tamen difficilis conciliatio: quia lex nostra loquitur de remittẽda sorte, lex opposita de remittendis vsuris: faciliùs autem admittitur remissio vsurarum, quàm sortis. Præterea l. nostra loquitur de pacto expresso facto à curatore, lex opposita loquitur de tacito pacto, quod nõ tam cum curatore, quàm cum ipsa repub. factum videtur, dum debitores reipub. qui promiserant maiores vsuras, & per aliquot annos soluerunt minores, videntur tacitè pacti, ne maiores vsuræ petantur.

Ad L. *Ius publicum.* 38.

IVs publicũ accipitur duobus modis. I. Pro eo, quod ad statum reip. pertinet, supr. de iust. & iu. l. 1. §. huius studij, quod Doct. vocant ius publicum auctoritate & vtilitate. I I. Pro eo quod, cùm versetur in rebus priuatis, non est in potestate priuatorũ, nec potest vllo modo à priuatis personis mutari. hoc Doctores appellant ius publicum auctoritate tantùm. sic tutela vocatur munus publicum, & testamenti factio dicitur esse iuris publici, & alia eiusmodi, Inst. de excusat. tut. in pr. & inf. de religios. l. Neratius. 20. & de adm. tutor. l. 5. §. Iulianus. & de magistra. conuen. l. 1. §. si inter. & de test. l. 3. & C. eod. l. testandi. 13. & infr. de oper. liber. l. eadẽ. 42. & ad l. Falc. l. quod bonis. 15. §. 1. Hæc secũda significatio debet in præsentia accipi: aut saltem ius publicum debet sumi latè, vt significetur, quod est publicum auctoritate, siue vtilitate sit publicum, siue priuatum. Huic iuri publico opponitur ius priuatum, cui renunciare quilibet potest, infr. h. t. l. pactum. 46. & C. eod. l. pe. Exempla iuris publici, quod non potest priuatorum pactis infirmari, multa supr. habuimus, vt in l. ius agnationis. 34. & in l. si vnus. 27. §. pacta quæ turpem.

Ad L. *Veteribus.* 39.

HAnc l. perpurgaui cent. 2. q. 7. Ait, *Veteribus:* vt Labeoni, inf. de contrah. empt. l. Labeo. 21. Ait, *Venditori, & qui locauit.* Intellige pactum à venditore vel locatore dictum fuisse, vt apparet ex seq. verbis. Ait, *Nocere,* id est, in dubio explicari contra ipsum venditorem, vel locatorẽ. Hæc enim verba pactionem obscuram vel ambiguam nocere, non sunt intelligenda, vt pactio noceat, quia non debet in eos retorqueri, pro quibus dicta est: sed obscuritas siue ambiguitas nocet. Obscuritas est, cùm difficile est aliquam interpretationem afferre: veluti si quis paciscatur de seruo; neque constet, de quo seruo loquatur. Ambiguitas autem est, cùm statim occurrunt multæ interpretationes; vt meritò dubitetur, quænam sit præferenda: veluti si quis pactus sit de Sticho, cùm sint plures Stichi. Ait, *Legem.* lea hic accipitur pro pacto in continenti adiecto contractui, quoniam tale pactum informat contractum, & dat legem contractui.

Ad principium L. *tale pactum.* 40.

DOcet I. C. hæc verba, *Profiteor te non teneri,* efficere pactum in rem; adeo vt nec à te, nec ab herede tuo peti possit; & neque ego, neque heres meus petere possimus. Contra hanc decisionem duo opponi possunt. I. Videtur non esse pactum, quia proposita verba non sunt disponentia, sed enunciantia: talia autem verba non inducunt dispositionem, infr. depos. l. Publia. §.

A vlt. Respondeo, satis ex his verbis colligi pactũ de non petendo: quia pacta fiunt nudo consensu, nec requirũt certa verba, immo etiam sine verbis consistunt, vt sit in tacitis pactis, sup. h. t. l. 2. 3. & 4. Non obstat d. l. Publia. §. vlt. quoniam ibi agitur de obligatione constituenda, & quidem de obligatione depositi quæ re contrahitur: proinde confessio alicuius non potest talem obligationem inducere, sed tantùm probare, alioqui depositum fieret verbis seu nudo consensu: hic autem loquitur de obligatione dissoluenda, quod longè faciliùs admittitur, inf. de oblig. & act. l. Arrianus, 47. & quidem dissoluenda per pactũ, quod nudo consensu fit. II. Propositum pactum videtur personale, propter verba illa, *profiteor te.* Respondeo, personas nominari, non vt pactum fiat personale, sed vt appareat, inter quos pactum
B factum sit, sup. h. t. l. 7. §. pactorum. ceterùm esse pactum generale, & in rem, ex ipsis verbis pacti colligitur, id est, ex verbo *non teneri.* Nam si tu nõ teneris, nec heredem tuum relinques obligatũ. Hoc igitur verbum maiorem vim habet, quàm si pactus essem de non petẽdo: quia possum non petere à te, & petere ab herede tuo. non potest heres tuus mihi teneri nomine hereditario, nisi tu tenearis.

Ad §. 1.

DEbitor condemnatus appellauit: pendente appellatione transegit, (quod fieri potest, inf. tit. prox. l. 7. in pr.) & certam pecuniã promisit, vt actor à lite discederet: item cauit, si intra certum tẽpus eam pecuniã non soluerit, se satisfacturum sententiæ, à qua appella-
C uit, id est, soluturum id, in quod fuit condemnatus: postea pecuniam promissam nõ soluit, proinde causa appellationis apud iudicem peragitur, non obstante trãsactione, C. de trãsact. l. siue apud acta. 38. Iam quæritur, quæ sint partes iudicis appellationis. Prima facie videbatur dicendum, eum debere inspicere, an sententia in prima instãtia sit iustè lata, néne, vt fieri solet in iudiciis appellationum. I. C. tamen respondet, non esse de eo cognoscendum, sed primam sententiam omnimodò confirmandam, propter conuentionem supr. dictã, propter quam reus comparatur confesso. Sicut igitur nullæ sunt partes iudicis in confessum, nisi vt eum cõdemnet: ita etiam in eum, qui pactus est se satisfacturum primæ sententiæ nisi soluat pecuniam, qua transegit; eùm eam pecuniam non soluerit. Ait, *Iustam conuentio-*
D *nem;* hæc conuentio non parit actionem, sed prodest ad probationem, & inducit contra reum præsumptionem, perinde ac si confessus fuisset.

Ad §. *Post diuisionem.*

AIt, *Post diuisionem.* factam inter heredes debitoris. Ait, *Et æris alieni.* Æs alienum hereditarium ipso quidem iure diuiditur ex leg. xij. tab. inter heredes pro partibus hereditariis, sed quia illa diuisio, & illa partis exactio atque solutio solet esse incõmoda, idcirco plerumque ab ea receditur. Sic familiæ erciscundæ iudicio sæpe fiunt adiudicationes, vt singula nomina integra singulis heredibus attribuantur, infr. fam. erc. l. 2. Extra iudicium quoq; si diuisio hereditatis fiat ex consensu, similiter cõuenire solet, vt singuli heredes singulis creditoribus soluant, sicut contigit in specie nostra: & si
E summæ debitæ sint inæquales, non facit iacturam is qui plus soluit, sed aliqua alia ratione aliquid accipit in compensationem. Porrò in hac specie apparet conuenisse non tantùm inter heredes debitoris, sed etiam cum creditoribus hereditariis. Ait, *Singuli creditores,* subaudi hereditarij. Ait, *Non interpositis delegationibus.* Hoc verbo significat eos nudo tantùm pacto conuenisse: quia si delegatio interuenisset, non posset obtinere decisio, quæ mox affertur, ex qua apparebit pristinam actionem creditoribus saluam esse, quæ fuisset

De pactis.   B 2   extincta

extincta per delegationem, vt puta cùm delegatio sit A species nouationis, C. de nouat. l. 2. Ait, *In solidum*, id est, totius sortis. recesserunt enim à diuisione legis xij. tab. & singula debita in solidum attribuerunt singulis heredibus. Ait, *Vsuras acceptauerunt*, id est, sæpius acceperût. ita accipitur hoc verbû etiam in l. Seio. 10. §. vlt. inf. de annu. leg. & in l. alia. 9. in fi. inf. de adim. leg. ponit autē I. C. creditores pluribus vicibus exegisse vsuras, vt augeat rationem dubitādi, id est, vt magis appareat consensus creditorû facto ipso confirmantiû conuentionē. Ait, *Aduersus omnes*. subaudi heredes. Ait, *pro partibus*. subaudi hereditariis. Ait, *habēt*, ex lege xij. tab. habēt (inquā) creditores hereditarij, non obstante conuentione iam exposita; quoniā illa est nuda conuentio, quæ non perimit actionem ipso iure, sed tantùm parit exceptionem. Ait, *Impedienda non erunt*, id est, non sub- B mouebuntur creditores exceptione pacti, non quòd nō detur exceptio, sed quia exceptio illa elidetur per replicationē doli mali, supr. h. t. l. 7. §. siue autē. dolo enim malo faciunt heredes, si velint sibi seruari fidem conuentionis, quam ipsi non præstant. Huic decisioni videtur officere, l. 2. C. h. t. vbi in simili specie actio impeditur. Breuiter pro solutione notandum est, ibi non tantùm fuisse conuentionem, sed etiā litis contestationem. Quamuis enim creditores hereditarij, sicut antea dixi, non habeant actionem ex nuda conuentione, tamen si heredes sponte sua & volentes subeant iudicium, actio tenebit. & cùm dicimus non dari actionem, eò respicimus, quod dici solet, actionē reddi in inuitum, inf. de verb. oblig. l. inter stipulantem. 83. in princ. Ait, *Si non singuli*. subaudi heredes. Ait, *Pro fide rei ge-* C *sta*; prout côuenit in diuisione bonorum, & æris alieni. Ait, *Singulis*. subaudi creditoribus hereditariis, quibus se soluturos pacti sunt.

Ad §. Pater.

AIt, *Pater*, qui vnam filiā habebat, & præterea fratrem, quem putabat sibi fore heredem. Ait, *Dotem promisit*, pro filia. Ait, *Remaneret*. Apparet ex hoc verbo, non fuisse totam dotē solutā. perinde igitur est, ac si I. C. diceret, patrem soluisse partem dotis, & pactû esse, ne altera pars peteretur. Verbum quidem remanendi interdum accipitur impropriè, vt dicatur remanere, quod restituitur, C. de donat. ante nupt. l. 7. sed verba non sunt sine causa impropriè accipienda, cùm possût accipi in significatione propria. Ait, *A socero*, eundē vo- D car socerum respectu generi, quem sup. nominauit patrem respectu filiæ. Ait, *Testamento*. ita ex facto I. C. ponit. ceterùm eadem esset ratio, si essent heredes ab intestato. Ait, *Per exceptionem doli*, quæ est exceptio subsidiaria côpetens deficiente exceptione pacti, vt & aliis multis casibus, sup. h. t. l. plerumque. 10. §. vlt. Ideo autē deficit exceptio pacti: quia pater nō est pactus filiis, sed fratri, eique vt heredi; alioqnin pactum esset prorsus inutile, supr. eod. l. si tibi. 17. §. pactus. Ait, *Inter contrahentes*, id est, inter socerum & generum. Ait, *Iudicium supremum contulisse videatur*. ne intelligas patrem eo pacto fecisse fratrem sibi heredem. nam pactis heredes fieri nequeunt, C. de pact. conuent. l. 5. sed dicitur contulisse iudicium supremum in fratrem tanquam in suc- E cessorem ab intestato, arg. l. conficiuntur. §. 1. inf. de iu. codic.

Ad L. Intra. 41.

AIt, *actionem non habet*: quia non est contractus do vt facias, solue vt acceptò feras: sed est pactum conditionale, paciscor de accepto ferēdo, si solnas partem, &c. Ne dicas te postea soluisse, vt ego acceptò ferrem: proinde pactum esse (vt Doct. loquuntur) vestitû, & conuerti in contractû. nam, si hoc esset, daretur actio præscriptis verbis, infr. de præsc. verb. l. 5. & C. de rer. permut. l. 3. Ceterùm in omnibus côuentionibus semper spectamus initium & formam seu modum incundi côtractus, vel pacti: nec alia est côuentio, vel alius contractus, quàm in quem ab initio partes consenserunt. cùm autem alterutra pars fidem præstat, hoc ideo facit, vt impleat & confirmet conuentionem, non vt eam mutet, aut nouet. Quare falluntur, qui putant respici his casibus implementum, si per implementum mutetur conuentio. qualis enim ante implementum fuit, talis post implemētum manet, vt hæc lex apertè probat.

Ad L. Inter. 42.

AIt, *Quantùm ad fisci rationem, non esse seruandam*. Rectè: quia pactum inter duos factum, tertio nec prodest, nec nocet, supr. h. tit. l. si vnus. 27. §. pacta quæ turpem. vers. ante omnia. Nihil igitur hîc est speciale in fisco: sed proponitur fiscus, quoniam agitur de tributo, quod fisco debetur.

Ad L. In emptionibus. 43.

SEntentia huius l. est, emptionem & venditionem habere certam formam siue solemnitatem à iure tributam, secundû quam côstat, quid venditor emptori, & inuicem emptor venditori præstare debeat: hanc autem formam eatenus esse seruandam, quatenus pactis contrahentium non est ei derogatum, quoniam pacta informant & reformant contractus, vt didicimus ex l. 7. Ait, *Debitor*. Sic scriptum est Florētiæ: sed in aliis libris est *venditor*, quæ videtur esse germana lectio.

Ad L. Cum in eo. 44.

CVm hac l. coniungenda est l. cùm hereditas. 59. infr. de adminiſt. tut. Ait, *Abstineret*, propter æs alienum hereditarium. Ait, *Decedit*, id est, transegit. Ait, *vt certam portionem acciperent*, id est, vt parte debiti essēt contenti, reliquû remitterent, quod pactum confirmatur, supr. h. t. l. 7. §. si ante. Ait, *Curatores*. non solùm dantur curatores adolescentibus tutelâ liberatis, sed etiam interdum ipsis pupillis, Inst. de curat. §. pe. sed hoc casu fuerunt curatores dati post pubertatem, vt côstat ex d. l. hereditas. Ait, *Creditor patris*, id est, creditor hereditarius. nam hîc agitur de hereditate paterna, id est, patris pupilli. hæc enim obligatio iure Digestorum & Codicis non obstat, quò minus tutor fit. sed hoc postea correctum est Nou. 72. c. 1. Ait, *Ceteros*. subandi, creditores hereditarios. Ait, *Contentum esse debere*. Nō obstat, quòd nemini debet officium suum esse damnosum, infr. test. qnemad. aper. l. 7. non fit enim ratione officij, vt ea parte contentus esse debeat, sed ex constitutione Diui Marci, qui constituit, vt voluntatem maioris partis etiā alij creditores sequantur, sup. h. t. l. 7. §. vlt. & legib. sequentib. Vnde non probo, quod ait Accurs. si tutor cum diuersis creditoribus transegisset diuersis portionibus, debere omnes sûmas illas coaceruari, vt totius summæ medium spectetur, & tantum accipiat tutor: non probo (inquam) hanc decisionem, quia non fiunt diuersæ partes, sed voluntas maioris partis præualet.

Ad L. Diuisionis. 45.

DIstinguendum est inter diuisionem, & placitum diuisionis. Diuisio habet vim emptionis, & parit actionem, C. comm. vtriusque iud. l. 1. placitû autem diuisionis non est diuisio, sed est pactum de re diuidēda: ideoque non valet ad agendum, cùm sit pactum nudum, tum demum verò actio datur, cùm traditio interuenit, id est, cùm diuisio facta est. nā traditione partium interueniēte diuisio fit, & si ab vna parte traditio interue

interuenerit, iure agitur præscriptis verbis, tanquàm ex contractu innominato, simili emptioni & venditioni, vt traditio fiat etiam ab altera parte. Item ex stipulatione actio dabitur, si pactum illud subiecta stipulatione confirmatum sit, C.h.t.l.petens.27. His autem casibus non dicam pactum nudum vestiri traditione, vel stipulatione: sed priori casu nō esse pactum nudum, sed esse cōtractum innominatum, do vt des. posteriori casu nō esse duas conuentiones, pactum nudū, & stipulationem, quæ pactum illud confirmat, quandoquidem omnis cōuentio potest, & solet stipulatione cōfirmari.

Ad L. Pactum. 46.

HÆc lex docet, legatarium, cui legatum sub conditione relictum est, posse heredi remittere cautionem, quam ille præstare tenetur ex tit. vt legatorum nomine caueatur. atque hæc decisio dupliciter confirmatur. Prima ratio est à simili, sumpta ex constitutione Diui Marci, quæ est l.a.C.vt in poss.legator. Nā Diuus Marcus constituit, vt testator possit eam cautionem remittere, heredi. vnde l.C. ita argumētatur: Testator potest eam cautionem remittere: ergo etiam legatarius. Consecutio probatur: quia cautio illa non tam testatoris, quàm legatarij causā est introducta: item quia cùm testator possit eam remittere, apparet eam non cōtingere causam publicam, alioquin nec à testatore, nec à legatario remitti posset, arg.l.de die.14.inf.de pact.dot. & l.quod bonis.15.§.1.inf. ad l.Falcid. Altera ratio est: quia vnicuique licet iuri suo renunciare, C.h.t.l.pe.ergo legatarius potest renunciare huic iuri pro se introducto, vt heres sibi caueat. Alia ratio est cautionis, qua is, cui vsusfructus legatus est, præstare debet, vt boni viri arbitratu vtatur, fruatur, C.vt in poss.legat.l.pen.

Ad princ. l. Emptor prædij. 47.

HIc proponitur emptio & venditio confirmata per subiectam stipulationem: postea ex interuallo conuenit de pretio minuendo, conuenit (inquam) nudo pacto: deinde post aliud temporis interuallū conuenit, vt soluatur pretium prima conuentione statutū. quæritur, an possit ex prima conuentione agi. Scæuola respondet, posse. quod ita est intelligendum, primam cōuentionem, quia stipulatio interuenit, non potuisse ipso iure tolli per pactum de pretio minuēdo, nec hoc pactum ipso iure sublatum esse per pactum posterius, sed manere actionem ex stipulatione, atque ei posse opponi exceptionē prioris pacti; sed hanc exceptionem elidi per replicationē posterioris pacti. ita pactum posterius non resuscitat stipulationem, sed reddit eam efficacem, sup.h.t.l.si vnus 27.§.pactus ne peteret. Quæro, quid dicendum esset, si stipulatio nulla interuenisset. Respondeo: Tunc pactum prius reformasset contractum emptionis & venditionis, videlicèt factum re integra: deinde pactum posterius renouasset primum contractum, supr.eod.l.7.§.adeo.& infr. eod. l. ab emptione.58.

Ad §. Lucius.

IN hoc §. docet Scæuola pactum generale, id est, generalibus verbis conceptum, restringi ad ea, de quibus actum fuit. Ratio est: quia pactum valet ex cōsensu: non est igitur pactum, vbi non est consensus: & verba sine cōsensu nihil operantur. Ait, *Tacitam habet.* Tacita pecunia dicitur, quæ non continetur scripturā publicā, sicut alibi dicitur tacita fides, & tacitum fideicōmissum, quod non est palàm in testamento relictū, sed seorsim & clàm in fraudem legis. Ait, *Si quod instrumētum*, &c. hæc est generalis clausula, quæ dubitationem faciebat in hac specie. Sed hæc clausula restringitur ex præced. verbis: hic enim ἀπὸ τοῦ κοινοῦ repetendum, *ex ratione mensæ*. Ait, *Trecenta redderet.* supple, & numulariu ea trecenta patrono L. Titij reddidit. possumus autem reddendi verbū hic accipere propriè, quod scilicèt L. Titius eam summam patrono suo deberet. possumus etiā accipere pro simplici dare, vt in l. verbum reddēdi.84.inf.de ver.sign. Ait, *Propter illa verba*, id est, propter eam clausulam, si quod instrumentū. &c Ait, *Si tantùm ratio*, &c. Hoc factum fuisse constat ex primis verbis epistolæ, quæ pertinent non solùm ad proximā, sed etiam ad vlteriorem clausulam: vt sensus sit, ex ratione mensæ debere mensulariurn trecentā, & ex eadem ratione mensæ instrumenta pro cancellatis haberi. Ait, *Ceteras obligationes*. veluti mandati, aut pignoris. hæc enim sunt extra rationes datorum & acceptorum, sup. tit. prox.l.6.§.rationem. Ait, *Manere in sua causa.* quia verba generalia restringuuntur ad ea, de quibus actum fuit, sup.tit.prox.l.9. vel quia prima verba epistolę censentur etiam in fine repetita, supr.h.t.l.4.§.vlt.

Ad L. In traditionibus. 48.

PActum traditioni rei adiectum, nō est pactum nudū, sed lex contractus innominati, do vt des, vel do vt facias. ideo lex ait, hoc pactum, quodcumque sit, valere. Intellige quodcumque sit, id est, siue factum sit ad obligationem introducendam, vt valeat ad agendum, quia non est pactum nudum; siue ad obligationem diminuendam. Ne accipias omnino & sine vlla distinctione pactum traditioni appositum valere, quia contra regulas iuris factum vim non habet, vt in specie l. si tibi.17.in pr.sup. h.t.

Ad L. Si quis crediderit. 49.

QVemadmodum non valet pactum, vt debitor in maiorem quantitatem conueniatur, quàm accepit, d.l.si tibi.in pr. ita è contrario nō videbatur valere, vt in minorem quantitatem conueniatur. Contrarium tamen respōdetur: quia pactum, vt quis cōueniatur solùm in quātum facere potest, licitum & honestum est: omnia verò pacta, quæ neq; sunt contra ius, neq; dolo facta, seruari debēt, sup.eo.l.7.§.ait prætor. Sicut igitur lex certis personis priuilegium dedit, vt condemnētur in quantum facere possunt, ita etiam omnes alij debitores ex suo pacto idem beneficium consequi possunt, ex quo fit, vt in cōdēnatione habeatur ratio, ne egeat, infr.de diu.reg.iur.l.in condemnatione.173. Sicut igitur pacto minui potest obligatio, infr.de reb.cred.l.rogasti.11.§.1. ita etiam potest minui effectus obligationis, vt hic. Quæro è contrario, an valeat pactum, si is, qui condemnatur in quantum facere potest, paciscatur vt in solidum exigi possit. Breuiter respondeo, hoc pactum valere: quia licet vnicuique iuri suo renunciare, C.h.t.l.pe. Excipiendi sunt casus, in quibus specialis ratio pactum hoc prohibet: veluti si maritus paciscatur, vt mulieri dotem restituere teneatur, vltra quam facere potest. hoc enim pactum, cùm sit contra reuerentiam marito debitam, non valet, inf.sol.matr.l.alia. 14.§.1.

Ad L. Non impossibile. 50.

HÆc lex probat pactum adiectum contractui bonæ fidei siue consensu, siue re celebrato, vt locationi, deposito, & commodato: pactum (inquam) ne cōductor, vel depositarius, vel cōmodatarius seruū locatum, vel depositum, vel commodatum corrumpat. Dubitandi ratio est, propter quam videbatur hoc pactum inutile, quia ex natura contractus oritur hæc actio nō corrumpendi serui. frustra igitur additur pactum, quod nullam nouam formam dat contractui. Sed placet, pactum valere; propter regulam illam; Quod dubitationis tollendæ causā additur, ius commune non lædit, infr. manda. l. qui mutuum. 56. & de verb. obligat. l. si stipulatio facta.19. Nam quia contrahentes

ſæpe ignorant quid iure eautom ſit,non malè ea exprimunt dubitationis tollendæ cauſa, quæ etiam non expreſſa obtineret. Iuriſconſultus hanc deciſionem confirmat in verſ. ſicut enim. argumento à ſimili. Sicut enim obligationi ex depoſito, aut ſimili contractu ortæ, poteſt accedere actio ſerui corrupti:ita etiam poteſt accedere dicta pactio. Sed videtur huic deciſioni obſtare §. ſi ob maleficium, l. 7. ſupr. vbi pactum non valet factum ob maleficium, ne committatur. Pro conciliatione notanda eſt ſpecierum diuerſitas. nam in hac l.pactum fit ad obligãdum aliquem, ne delinquat:in oppoſito autem §. pactum fit,vt alius obligetur ei, qui non deliquit. tale igitur pactum valet, *paciſcor ne facias furem ſeruum meum*; quoniã honeſtum eſt.hoc autem pactum non valet, *dabo tibi decem ne facias furem ſeruum meum*; quia tuo reſpectu turpitudinem continet, cùm lucrum ex eo captes, quod gratis facere teneris.

Ad pr. L. Si cum te. 51.

CVm Titius tibi deberet centum, falsò putaſti liberationem ei legatã ab eo cui ſucceſſiſti,ſic (inquam)legatam, vt nõ accepto ferre,ſed paciſci de non petendo deberes,ſecundum diſtinctionem traditam in l.3.§.nũc de effectu.iof.de libe.lega.hoc errore ductus, pactus es,ne ab eo petas. quæritur de vi pacti. I. C. reſpondet,hoc pactum tibi non nocere,quia nec ipſo iure liberat Titium, nec per exceptionem tuetur. Quòd non liberet ipſo iure, manifeſtum eſt ex natura pactorum antea expoſita. De exceptione videamus, vtrùm ſcilicet pactum propoſitum non pariat exceptionem, an pacti exceptio replicatione tollatur.Breuiter ſic diſtinguo:Aut inſpecta fuerunt verba teſtamenti:aut nõ. Primo caſu pactum non valet,&exceptionem non parit,infr. tit. prox.l. 6. & l.non eſt ferendum.12.& infr. quemad.teſta.aperian. l.7. Altero caſu parit exceptionem, quæ replicatione eliditur. Dices errorem impedire conſenſum,ſupr.de iuriſd.l.ſi per errorẽ.15.proinde pactum non valere,quia per errorem factũ eſt. Reſpondeo non fuiſſe erratum in paciſcendo,ſed in cauſa paciſcendi,quæ pacto non cohæret, vt alibi Papinianus ait,cauſam legandi non cohærere legato. Quæro, quid dicendum ſit,ſi non pacto, ſed acceptilatione liberaueris Titium.Hic quoque adhibenda eſt eadem diſtinctio.Verbis enim teſtamenti non inſpectis acceptilatio non valet, aliàs ipſo iure tollit obligationem: ſed quia per errorẽ acceptõ tuliſti, potes liberationem condicere,inſt.de condict.cau.data.l.4 l.mulier.10.

Ad §. 1.

AIt,*Debitorem tuum iuſſiſti ſoluere Titio*. Intellige nõ interueniſſe delegationem: alioqui nouata fuiſſet,& perempta obligatio.

Ait, *Neque tibi*, &c. *actionem peremptam*,propter replicationem,vt in ſpecie expoſita in pr.l.Nam hic quoque eſt exceptio pacti, quæ eliditur per replicationem doli,vel in factum.

Ad pr. L. Epiſtola. 52.

HEredes aut teſtamentis, aut legitima ſucceſſione fiunt: heres autem coheredem ſibi adiungere non poteſt.

Ad §. 1.

SOlent interdum debitores,quorum pignora à creditoribus diſtrahuntur,ſupponere emptores,id eſt, mandare pignora ſibi emenda:quo caſu ſuſtinetur cõ-

A tractus ex bono & æquo; cùm ſtricto iure inſpecto mandatum non conſiſtat, quia nemo poteſt rem ſuam emere,inſ.mãda.l.ſi mãdauero.22.§.ſi hi. nõ ſolùm autem mãdato debitoris, ſed etiam ſine eius mãdato fieri poteſt à negotiorum geſtore, vt contigit in ſpecie huius §.Cùm enim creditor diſtraheret fundũ ſibi pigneratum,quidam eum fundum emit,non ſibi,ſed ipſi debitori,eidẽmq; domino fundi, cuius negotiũ gerebat. ergo hic naſcitur actio negotiorũ geſtorum vltro citróq;.poſtea hic emptor fructus ex fundo percepit:quo nomine ſine dubio tenetur negotiorũ geſtorum.deinde inter ipſum & dominũ fundi conuenit, vt emptor domino fundũ reſtitueret,recepto pretio,quo fundum emerat,ita tamẽ,vt in precium imputetur fructus percepti;vt putà ſi fundum emerat centũ, & ex eo perce- B pit fructus æſtimatos decem,eundem fundum acceptis nonaginta reſtituat domino. iam oritur quæſtio de vi huius pacti, an ſcilicèt tranſeat ad heredes. Dubitandi cauſa eſt:quia videbatur pactũ perſonale,quo nominatim ſunt inſertæ perſonæ,reſtituens, & cui reſtituitur, nec dictum quicquam fuit de heredibus. cõſtat autem pacta perſonalia non tranſmitti ad heredes,ſupr.h. t.l. idẽ.25.§.1. Contrariũ reſpõdetur.quia perſonę plerũq; in pactis exprimuntur,non vt pacta perſonalia fiãt,ſed vt appareat,inter quos facta ſint,ſup.eod.l.7.§.pactorũ. Pactum igitur propoſitum eſt in rem, ideóq; obſeruandum eſt etiam ab heredibus vtriuſq; paciſcentis. Quod lex ait, *etiam heres pacto, quod defunctus fecit, fidem præſtare debet*,cùm generaliter ſcriptum ſit,generaliter debet accipi, vt tam emptoris, quàm debitoris heres pacto C obſtringatur. Eundem vocamus in hoc §. modò debitorem,modò dominum:quia loquimur de pignore,cuius dominium pertinet ad debitorem,l.pignus,9. C.de pign. act.

Ad §. Pactum.

PRoponitur pactum factũ inter creditorem & debitorem. debitor fundũ pignerans, pactus eſt,vt ipſe tributa ex eo fundo fiſco præſtaret,aut,ſi creditor fiſco ſoluiſſet,ipſe debitor creditori reſtitueret.nõ videbatur pactum valere:quoniã hæc onera ſequuntur prædium, non perſonam: ideóq; hoc pactũ fuit improbatum in l.inter debitorem. 42.ſupr. h.t.hîc tamen reſpondetur, pactum iuſtum,ideóque ſeruandum eſſe, nimirũ quod ad obligationem perſonalẽ inter paciſcẽtes cõſtituen- D dam, cùm nihilominus onera ſequantur prædium, & creditor prædij poſſeſſor non obſtante eo pacto rectè conueniatur à fiſco, cuius iuri præiudicium eo pacto fieri non potuit, d.l.inter debitorem. quoniam pacta inter quoſdam facta,tertio nec proſunt,nec nocẽt, inf. h.t.l.ſi vnus. 27. §.pacta quæ turpem.verſ.ante omnia.

Ad §. vlt.

AIt, *Actoris*.Res igitur dubia erat propter futuram ſiue impendentem litem. Sequẽtia autem verba, *vt eis certa quantitas præſtaretur*, indicant non fuiſſe pactionem gratuitam. eſt igitur vera tranſactio,de qua ſub h.t.agitur,quia nudo pacto tranſactum fuit,omnis enim tranſactio duo requirit:vnum, vt ſit de re dubia, E vel controuerſa, infr.tit.prox. l. 1. alterum, vt aliquid detur,vel promittatur,vel retineatur, C. de tranſact. l. tranſactio.38.Ait, *Produci ad perpetuam præſtationem,vt pactum poſtulabatur*. Intellige poſtulatum fuiſſe à principe,precibus ei oblatis. vnde ſubiicitur,*reſcriptum eſt*: nam reſcripta ſunt principum reſponſa. Supplicatum autem fuit principi, quod ſcriptum ius contra ſupplicantes faceret, ideóque volebant principem ſuccurrere, quaſi ex bono & æquo. ac dubitandi rationem hanc eſſe puto, quod iure ciuili tempus non eſt modus

modus tollendæ obligationis, immo obligatio ad tempus cõstituta perpetuatur: iure quidem prætorio datur exceptio, quia prætor semper habet æquitatem ob oculos: sed quod ad ius ciuile, obligatio perpetua manet, inf. de oblig. & act. l. obligationũ fere. 44. §. 1. & de verb. obl. l. cũ qui ita. 56. §. qui ita. In proposito igitur casu, ne filij bonis paternis destituti, etiã annuo illo emolumẽto, quod loco bonorum paternorum cupiunt accipere, priuentur, videtur æquitas suadere, vt secundum regulas iuris ciuilis obligatio perpetuetur: aut saltem videtur cessare æquitas, quæ facit, vt iure prætorio obligationes tempore finiantur. Contrarium tamen rescriptum est, *neque iure vllo, neque æquitate tale desiderium*, id est, tales preces principi oblatas *admitti*: non iure vllo, id est, nec ciuili nec prætorio. non ciuili, quia transactum est nudo pacto, nuda autem pacta iure ciuili non valent: non prætorio, quia iam diximus, hoc iure tempus dissoluere obligationem: non æquitate, quia est contra pactum: æquitas autem iubet pacta conuenta seruari, supr. h. t. l. 1. in princ. nec possunt filij conqueri: cùm sponte sua transegerint, nec debent recedere à conuentione, quam semel admiserant, & cuius fidem diuersa pars præstitit.

Ad L. Sumptus. 53.

AIt, *Prorogare*, id est, ante diem erogare, & repræsentare, vt in l. sed addes. 19. §. si quis cum in annum. infr. loca. Ait, *Litiganti*. id est, procuratori prò nobis in iudicio consistenti. Ait, *Honestum est*: ne officium procuratoris sit ei damnosum: quia eius interest, potiùs de suo non soluere, quàm solutum repetere à domino litis. Ait, *Vt non quantitas*, &c. Indicat I. C. sicut potest sumptus prorogari procuratori, ita etiam posse ab initio fieri pactum, vt procurator de suo impendat, & postea sumptum à domino recipiat vnà cum vsuris. Ait, *pars dimidia*. Martinus putauit valere pactum, si de minori parte factum fuerit, per argumentũ hinc sumptum à contrario sensu: sed eius opinio rectè ab aliis est explosa: nam hæc sententia alibi generaliter traditur, non restricta ad dimidiam partem, infr. manda. l. 6. §. vlt. & l. seq. & C. eod. l. si contra. 20. & ratio quam mox afferemos, obtinet non solùm in dimidia, sed etiam in alia quauis parte. Ait, *Datum erit*, subaudi ab aduersario: sensus enim est, procuratorem pactum esse, vt sibi detur dimidia pars eius, quod iudicio obtinebit. Ait, *Non licet*, quoniam hoc pactum est contra bonos mores, vt dicitur in d. l. 7. infr. mandat. quia tali pacto procurator inuitatur ad calumniandum: nihil enim non facturus est, vt victoriam obtineat, cùm inde præmium speret, satis autem ac nimis propensi sunt plerique procuratorum ad calumniandum, vt opus non sit eos præmiis etiam allici. Hæc ratio non solùm obtinet in pacto, quod vocant de quota litis, quale est pactum hic propositum; sed etiam in alio quouis pacto, quo aliquid promittitur procuratori sub conditione, si victoria obtineatur, putà si quis petat fundum, & paciscatur, si obtinuerit, se procuratori daturum, non partem eius fundi, sed alium fundum, vel ædes, vel pecuniã: talia enim pacta, quamuis à Ioanne sustineantur, quia non sunt de quota litis, tamen ab aliis communiter rectè reprobantur, tamquàm facta in fraudem legis.

Ad L. Si pactus. 54.

AIt, *Ne Stichum. qui mihi debebatur, petam.* Generaliter hæc verba accipio, quia lex ita loquitur, id est, siue pactum sit perpetuum, siue temporale: nam si sim pactus, ne vmquàm petam, numquàm mora committetur: aut si pactus sim, ne intra annum petam, intra

A eum annum non potest esse mora: proinde si intra eum annum res debita petat, debitor liberatur. Ait, *Non intelligitur mora mihi fieri.* Obserua, moram non committi, non solùm ab eo, qui ipso iure conueniri non potest, infr. de verb. oblig. l. si pupilli. 127. & de diu. reg. iur. l. nulla. 88. sed etiam cùm actio ipso iure competẽs, inefficax est, propter exceptionem pacti, vt hîc, & inst. de reb. cred. l. lecta. 40. Ait, *Non teneri reum*, propter regulam iuris, Interitu speciei debitor qui moram non fecit, liberatur, infr. de verb. oblig. l. si ex legato. 23. Ait, *Qui ante pactum moram non fecerat*, quid ergo, si moram fecerat, & post moram factum est pactum de non petendo? Accursius rectè ait, ipso quidem iure teneri reum etiam post rei interitum, sed ope exceptionis se tueri posse, arg. l. 2. supr. si quis caut.

B

Ad L. Si debitor. 55.

REgula iuris est: qui per stipulationem nobis acquirere possunt, iidem nudo pacto possunt nostram conditionem meliorem facere, infr. h. t. l. per quos. 59. Huius regulæ exempla duo hîc habemus in seruo fructuario: nam si seruus, in quo habemus vsumfructum, paciscatur cum creditore nostro ne petat, acquiret nobis exceptionem pacti, quemadmodum si creditor noster ei acceptò ferat, liberabimur ipso iure: hæc enim est species quædam acquisitionis, infr. de acceptil. & l. species. 11. & per huiusmodi seruum acquirere possumus vel ex re nostra, vel ex operis eius, Instit. per quas person. nob. acquir. §. de illis. Eadem ratio est & in C altera specie, videlicèt si pacti simus cum debitore ne ab eo petamus; postea seruus, in quo habemus vsumfructum, paciscatur, vt ab eo petamus. Nam prius pactum elidetur per posterius, adeo vt nostra actio, quæ pacto nostro reddita erat inefficax, efficiatur per pactũ serui fructuarij efficax, secundum ea, quæ tradita sunt supr. hoc tit. l. si vnus. 27. §. pactus ne peteret.

Ad L. Si conuenerit. 56.

PRoponitur pactum, quo conuenit, ne dominus fundi petat à colono: & quæritur de vi huius pacti: lex duo docet, alterum expresse, alterum tacitè, quorum vtrumque difficultatem habet. Expresse ait, colonum, non obstante eo pacto, posse agere contra dominum D actione ex conducto. Ratio est: quia pactum de vna re factum, ad aliam non pertinet, supr. h. t. l. si vnus. 27. §. pacta quæ turpem, vers. ante omnia. pactum igitur de actione locati, non est producendum ad actionem conducti. Huic decisioni opponitur, quòd locatio & conductio est contractus vltrò citróque obligatorius, adeo vt non debeat claudicare, sed vna parte liberata, etiam altera pars liberetur, infr. de rescind. vend. l. 5. & de acceptil. l. vlt. ergo liberato conductore, liberatur etiam locator. Malè igitur lex ait dominum fundi à colono posse conueniri. Pro solutione dicendum est, regulariter id obtinere, & regulariter id præsumi; vt, cùm alteruter contrahentium vel pacto, vel acceptilatione liberatur, intelligantur contrahentes discedere à tota obligatione, ita vt alter quoque contrahens simili ratione liberetur: sed eam regulam cessare, quoniam est E specialis aliqua causa, propter quam vnus alterum liberat: nam si ea causa ab vna tantùm parte locum habet, præsumitur hæc esse voluntas contrahentium, vt pro ea tantùm parte obligationem dissoluant; exempli gratia, si propter sterilitatem, aut hostium incursum pactus sit dominus ne à colono petat, eò quòd colonus nullos fructús percipere potuit; vel si ideo pactus est, qui voluit remunerari colonum, à quo beneficium aliquod accepit: non propterea præsumitur colonus voluisse

liberare dominum fundi, si quid inuicem sibi debeat, quia non est par ratio. Hæc dicta sint de expressa legis decisione. Tacitè autem lex innuit, dominum à colono petere non posse, dum colono tantùm permittit, vt à domino petat. Sed videtur obstare l.5.infr.loca.vbi dominus remisit colono pensionē, & nihilominùs manet hinc inde obligatio locati conducti. Solutio: In specie legis nostræ locator pactus est, ne quid omnino à colono petat: in lege autem opposita tantùm pactus est de non petenda mercede: aliæ igitur obligationes in suo statu manent, veluti si colonus fundum deteriorauit.

Ad L. qui in futurum. 57.

PRincipium legis proponit exemplum taciti pacti, §. primus duo exempla continet pactorum mixtorum, quæ partim sunt in rem, partim in personam, de quibus dictum fuit in l.7.§. pactorum. supr. h.t. Ait, *Veluti ne ego petam, vel ne à te petatur*, in his speciebus pacta ex vna parte sunt personalia, non tam propter vim pronominum, *ego*, vel *à te*, quàm propter consensum paciscentium, quorum hæc fuit mens & voluntas: in pactis enim personalibus, aut in rem, diiudicandis maior habetur ratio consensus, quàm verborum, supr. h.t. d.l.7.§. pactorum. & infr. de probat. l. si pactum. 9.

Ad L. Ab emptione. 58.

HVius l. tres sunt partes. I. I C. docet, cōtractus, qui nudo cōsensu perficiuntur, si res non interueniāt, ipso iure dissolui posse per pactum nudum. II. In vers. Aristoni. docet, eosdem contractus posse dissolui pacto nudo, etiamsi res interuenerit, dūmodò ea res restituatur; vtputà si venditor rem tradiderit, needum pretium accepit, ac rem ab emptore recipiat, nudo pacto contractus dissoluetur. III. In vers. illud. ostendit non posse nudo pacto effici, vt res tradita restituatur, & consequenter hac ratione contractus dissoluatur: quia hoc modo non solùm obligatio dissolueretur, sed etiam noua obligatio de re restituenda constitueretur, quod nudo pacto fieri nequit: hæc satis exposuimus ad §. adeo. l.7. suprà.

Ad L. Per quos. 59.

REgulæ, quæ hac l. traditur, exempla sumi possunt ex l. si debitor. 55. supr. h. t. Sicut enim seruum, in quo vsumfructum habemus, si ex re nostra stipuletur, nobis acquirit: ita etiam, si ex re nostra paciscatur. Notandum est, hanc regulam tam affirmatiuè, quàm negatiuè procedere. Sicut enim per quas personas ex stipulatione acquirimus, per earundem pacta acquirimus: ita etiam è contrario, qui non possunt nobis stipulando acquirere, non possunt etiam acquirere paciscendo, supr. h.t. l. & heredi. 21. §. nos autem.

Ad L. Imperator Antoninus. 60.

DVo præmunienda sunt, I. Cùm bona debitoris, qui non erat soluendo, distrahebantur, (quod per curatorem bonis datum fieri solet) emptor bonorum, tamquam successor quidam vniuersalis, vniuerso ære alieno debitoris obstringebatur, vnde si æs alienum bona exhauriebat, quia vix emptor reperiri poterat, solebāt creditores partem debiti remittere, atque ita emptores allicere. II. In horum bonorum emptione præferuntur extraneis emptoribus personæ necessitudine debitori iunctæ, id est, eius cognati, vel affines, supr. de iustit. & iur. l. vlt. & in ius voc. vt eant. l. 2. ne-

A cessariis autem personis præferuntur ipsi creditores, si emere velint, infr. de reb. auct. iud. poss. l. cùm bona. 16. Hæc ita sunt intelligenda, vt qui vult alteri præferri, (quod vocamus ius προτιμήσεως, vel retractus) debeat nuo deteriores conditiones afferre, sed tantumdem omnino: nam si extraneus bona velit emere centum, cognatus nonaginta, extraneus præferetur cognato: at si vterque offerat centum, cognatus est potior. His positis, accedamus ad sententiam legis, cuius species hæc est: Cùm bona debitoris distraherentur, creditores, vt allicerent extraneum quendam ad emptionem, cum eo paciscebantur de parte remittenda. Quæstio est, an eadem conditione cognatus præferatur. Quod prima facie non videbatur dicendum, quasi sit beneficium personale, quod creditores in extraneum conferre vo-
B lunt. Contrarium ab Antonino rescriptum est: quoniam hoc ius προτιμήσεως fauorabiliter est introductum, vt cognati extraneis præferantur, modò velint emere iisdem conditionibus. Hoc igitur ius, quod cognati habent, creditores eis auferre non possunt.

Ad L. Nemini. 61.

HÆc l. pertinet ad materiam pactorum, ac proponit tria pacta inutilia, quibus omnibus hoc est commune, vt dominus paciscatur se non vsurum re sua pro libitu, veluti non alienaturum, &c. Huiusmodi pacta hic reprobantur. Sed quidam putant hanc l. corrigi à Iustiniano, l. vlt. C. de reb. alien. non alien. & l. vlt. C. de pact. inter empt. & vendit. vbi diserte dicitur, ser-
C uandum esse huiusmodi pactum. Verùm pro solutione notare oportet, hanc legem loqui de pacto nudo, leges autem oppositas perspicuè loqui de lege contractus: nam l. vlt. de reb. alie. non alien. ait *pactis contrahentium*. lex autē vlt. C. de pact. inter empt. ponit rem esse venditā eo pacto, ne nouus dominus, id est, emptor eam alienet, &c. non est autem nouum, vt maiorem vim habeat pactum, quod inest contractu, quàm pactum nudum & per se. Sic igitur statuo, & sic distinguo: si paciscar tecum, ne possim prædium meum alienare te inuito, tale pactum non valet, nec potes inde habere vllam actionem. Sed si vendam tibi meum prædium hoc pacto, ne alienes me inuito, pactum valebit, & eo nomine es mihi obstrictus actione ex vendito: quoniam (vt ait Imperator) non aliter tibi vendidissem. Rursus nostræ
D legi opponitur l.7.§. vlt. infr. de distract. pignor. vbi valet pactum inter creditorem & debitorem factum, ne debitor distrahat pignus, cùm tamen constet pignus esse in dominio debitoris, C. de pig. act. l. pignus. 9. Solutio: Speciale hoc est in creditore: quoniam habet ius in re, cuius iuris ratione ita eius interest, vt meritò possit alienationem impedire, quod de alio paciscente extraneo dici nequit.

Ad L. vltimam.

DEbitor fideiussorem creditori dedit: postea pactus est cum creditore de non petendo, adeo vt ex eo pacto & debitori & fideiussori exceptio competat:
E deinde in contrarium pactus est de petendo, id est, vt conueniri possit. Certum est, pactum prius tolli per posterius, ita vt debitor possit efficaciter conueniri: nam si conuentus vtatur exceptione prioris pacti, illa exceptio elidetur per replicationem posterioris pacti, supr. h.t. l. si vnus. 27. §. pactus ne peteret. Sed quæritur, an hoc posterius pactum, quemadmodum nocet debitori, noceat etiam fideiussori. Quod prima facie dicendū videbatur: quia fideiussor non fuit ipso iure liberatus, sed cum ipso iure maneret obstrictus, potuit se defendere per exceptionem prioris pacti à debitore facti: per quem

quem igitur acquisiuit exceptionem, ex eiusdem persona videtur pati etiam replicationē, adeo vt pactū prius, quod à debitore factum, & ab eodē debitore sublatum est, fideiussori prodesse nequeat. Itaque videtur respondisse Paulus in d.l. si vnus. 27. §. pactus ne peteret. vbi cùm dixisset, pactum prius nō prodesse reo, quia sublatum fuit per pactum posterius, subiicit, eadem ratione, prius pactum non prodesse fideiussori. Contrarium tamen hic respondetur: quia regula iuris est, per alios posse nostram conditionem fieri meliorem, non deteriorem, infr. de negot. gest. l. soluendo. 39. secundum quam regulam debitor potuit acquirere fideiussori exceptionem, sed acquisitam non potuit ei adimere. A B

Non obstat d. §. pactus ne peteret. quia (vt ibi notaui) non ait Paulus emolumentum prioris pacti adimi fideiussori per debitorem: sed quemadmodum debitor potest nouo suo pacto amittere exceptionem prioris pacti à se facti, ita etiam fideiussorem, qui pactus est ne à se petatur, postea pacisci posse vt à se petatur. In summa pactum debitoris prodest debitori, & fideiussori: nocet autem soli debitori, non etiam fideiussori: pactum autem ipsius fideiussoris ipsi fideiussori prodest, vel nocet. Si quis obiter quærat, an etiam pactum fideiussoris prosit debitori, id supr. tractatum fuit in l. 23. 24. 25. & 26.

DIGESTORVM LIB. II. TIT. XV.

DE TRANSACTIONIBVS.

Ad L. 1. & 2.



VErbum *transigere*, latiùs acceptum significat aliquid peragere ac perficere, vt in l. transacta. 121. infr. de verb. sign. & in l. 1. §. conuenionis. supr. tit. proxim. sed transactio in præsentia angustiùs accipitur, ac definiri potest conuentio non gratuita de re dubia, vel lite incerta & nondum finita. Hæc definitio complectitur formam & materiam transactionis: forma est conuentio, quæ in hac definitione subit vicem generis: materia autem est res dubia, siue lis. Quod ad conuentionem attinet, hoc vocabulum latè sumitur, vt complectatur & nudum pactum, & contractum. Transactio namque multis modis fit: interdum pacto nudo, interdum contractu nominato, id est, stipulatione Aquiliana, aliàs contractu innominato, velut, do vt facias, aut facio vt des. quandoque etiam sic transigimus nudo pacto, vel innominato contractu, vt ea pactio, vel is contractus adiecta stipulatione confirmetur, l. 2. & l. 4. & C. eod. l. 6. & l. cùm proponas. 17. Hæc dicta sint de genere. Deinceps dicendum de differētiis. Prima differentia est, *non gratuita*, per quam Vlpianus in l. 1. hic separat transactionem à pactis donandi causa factis. Si igitur gratis transigatur, veluti adhibito iureiurando, infr. de dolo. l. quòd si deferente. 21. & infr. de iureiur. l. admonendi. 31. impropriè appellabitur transactio; quia tum demum vera transactio est, cùm aliquid datur, vel promittitur, vel retinetur, C.h.t.l. transactio. 38. per quam similiter Vlpian. separat transactionem à pacto donandi causa facto. Nam donamus, cùm remittimus debitum liquidum: transigimus autem de eo, quod non est liquidum, infr. de condict. indeb. l. eleganter. 23. §. si post. sed dubium, siue incertum. Secunda differentia est, *de re dubia, vel lite incerta & nondum finita.* Rem dubiam intellige, veluti quæ pendet ab incerto conuentionis euentu, putà si transigatur de fideicommisso conditionali, C.h.t.l. de fideicommisso. 11. & de pact. l. 1. Res etiam dubia est, de qua litigatur, quia & litium exitus est incertus, vt non malè Iustinianus dixerit aleam iudiciorum. sed hoc ita procedit, si re vera sit lis incerta, id est, nisi sit manifesta calumnia, infr. de cond. indeb. l. in summa. 65. in princ. Litem autē intellige, non præteritam, sed præsentem, aut futuram, C.h.t. l. 2. Item dixi esse litem nondum finitam. Finita est lis, cùm iudicatum fuit lata sententia definitiua, & neque est appellatum, neque potest ampliùs appellari, neque potest dubitari quin iudicatum sit, infr. eod. l. 7. l. post rem. 11. & de cond. indeb. l. eleganter. 23. §. si post. Ex his apparet sententia l. 1. & 2. Sed adhuc quædam ad verba l. 1. sunt notanda. Ait Vlpianus; *Quasi de re dubia.* Particula *quasi*, hoc loco non est nota impropriétatis: nam docui, veram transactionem esse de re dubia & lite incerta: quod adeo verum est, vt licèt de re certa possit dici impropriè transactio, tamen cùm paciscentes habent animum transigendi, transactio de re certa non valeat, d.l. eleganter. §. si post. Ait, *Et lite incerta*: accipe coniunctionem, *&*, pro disiunctione *aut*, sicut & alibi sæpe accipitur, infr. de verb. sign. l. sæpe. 53. Ait, *Donationis causa*, hæc verba non pertinent ad sequens verbum *remittit*, sed adiungenda sunt præcedenti verbo *paciscitur*, proinde sicilicus non est ponendus, vt in Florentinorum editione, post verbum *paciscitur*, sed debet subiici verbo *causa*: alioquin sententia huius loci falsa est. Non enim omne pactum fit donationis causa: sed omne pactum, quod donationis causa fit, rem certam liberaliter remittit. C D E

Ad princ. L. 3.

AIt lex, *Imperatores Antoninus & Verus*, &c. Proponit Sceuola rescriptum, cum quo videtur pugnare l. cōtrouersia. 19. infr. h.t. sed in eius l. expositione commodius conciliationem proponam. Ait, *Priuatis pactionibus*, &c. Argumentantur Imperatores à pactione ad transactionem, hoc modo: Pactum inter alios factum, aliis non obest, supr. tit. prox. l. si vnus. 27. §. pacta quæ turpem. vers. ante omnia. & C. eod. l. debitorum. 25. & l. seq. ergo similiter quorundam transactio tertio non officit: proinde transactio heredis scripti, & matris defuncti, quæ agebat de inofficioso testamēto, non nocet legatariis & fideicommissariis. Ait, *Neque testamentum rescissum*: quia sententia lata fuit, alioqui si testamentum pronunciatum fuisset inofficiosum, ipso iure esset rescissum, adeo vt legata & fideicommissa & libertates hoc iure ex eo testamēto non deberentur, infr. de inoffic. testam. l. Papinianus. 8. §. si ex causa. quamuis iure nouissimo ex bono & æquo reliqua omnia in testamento relicta sustineantur, sola heredis institutione rescissa, Nou. 115. cap. 3. & 4. Cùm autem transactum est, quia testamentum ratum manet, sine dubio etiam hoc iure libertates ac legata suam obtinent firmitatem,

rem, infr. de inoffic. testam. l. si suspecta. 29. §. quamuis.

Ad §. 1.

CVm testator fideicommissum matri suæ in codicillis reliquisset, neque codicilli apparerent, mater inopia probationis laborans, de fideicommisso transegit, & ex causa transactionis minus accepit, quàm sibi in codicillis relictum fuerat, putà acceptis quinquaginta remisit fideicommissum, in quo erant centum: postea codicillis prolatis apparuit plus esse in fideicommisso; quæritur, an mater id petere possit. Prima facie videbatur nihil posse petere, obstante exceptione transactionis, quæ non rescinditur, eò quòd probatis instrumentis postea plus in fideicommisso esse appareat, infr. ad S. C. Trebell. l. Lucius. 78. §. vlt. & C. h. t. l. sub prætextu instrumenti. 19. Contrarium tamen respondetur, ac datur matri actio ad fideicommissum persequendum: quia transactio iure non valuit: hoc enim specialiter fauore vltimarum voluntatum est constitutum, vt transactio de iis facta, quæ in testamento aut codicillis relinquuntur, non valeat, nisi priùs inspecta fuerint verba testamenti, vel codicillorum, infr. h. t. l. 6. & l. non est. 12. & tab. testam. quemad. aper. l. 1. Consequenter quæritur, quantum mater petere possit. & cùm dictum sit, transactionem esse prorsus inutilem, videbatur posse petere solidum fideicommissum: sed quia iam aliquid ex causa transactionis inualida accepit, sine dubio ad id restituendum tenetur: facta igitur eius quantitatis compensatione residuum tantùm petit.

Ad §. vlt.

SPecies huius §. hæc est: Cùm tibi ex causa (putà) mutui centum deberem, rem aliquam propter eam obligationem pignori tibi dedi: hanc rem non iure distraxisti, quo nomine mihi teneris actione pignoratitia: post mortem tuam Meuius se legitimum heredem esse iactabat, cùm neque heres esset, neque hereditatem possideret: cùm eo igitur transegi, datis (exempli gratia) decem, de vtraque obligatione, id est, tam de sorte, quàm de pignore: deinde testamento tuo prolato apparuit, Septicium esse verum heredem. Hinc oriuntur duæ quæstiones. Prior est, si agam cum Septicio actione pigneraticia, an Septicius possit me submouere exceptione transactionis, quam feci cum Meuio quasi herede. Videtur prima facie Septicio danda exceptio, propter illam rationem, quòd trãsegi cum Meuio, non tamquàm Meuio, sed tamquàm herede, quòd falsò putarem eum esse heredem, supr. tit. prox. l. tale pactum. 40. §. vlt. Contrarium tamen hic respondetur, secundum regulam iuris, quòd transactio vel pactum inter quosdam factum, tertio nec prodest, nec obest. Non obstat d. l. tale pactum. §. vlt. quoniam ibi pater heredi suo pactus fuerat, id est, filio suo tamquam heredi: vnde non est mirum, si ea pactio prodest filio, qui postea fuit heres: sed in casu nostro Meuius, non Septicio heredi, sed sibi ipsi pactus est, & pecuniam accepit. Posterior quæstio est, an Septicius pecuniam, quam Meuio trãsactionis causa dedi, possit ei condicere. Prima facie videbatur posse, ne Meuius lucri aliquod faciat ex eo, quod propter hereditatē ad se non pertinentem accepit, contra l. post senatusconsultum. 28. & l. euicta. 55. infr. de petit. hered. Contrarium tamen respondetur: quia Meuius pecuniam à me accepit, non Septicij veri heredis, sed suum ipsius negotium gerens. Nec obstant d. l. post senatusconsultum. & d. l. euicta. quæ loquuntur de possessore hereditatis, qui tenetur hereditatis petitione: à Meuio namque, qui non possidebat, sed tantùm iactabat se esse heredem, hereditas peti nequit. Nemo tamen propterea putet, Meuium ea decem lucrari, quia (vt Accursius rectè notat) à me conueniri poterit condictione indebiti, adde, vel condictione sine causa.

Ad L. 4.

ACceptilatio ipso iure tollit obligationes verbis contractas, cæteras autem ope exceptionis pacti vel doli, infr. de accept. l. an inutilis. 8. §. acceptum. l. si acceptò latum. 19. sed si stipulatio Aquiliana interuenerit, vt in specie huius l. omnes obligationes ipso iure tolluntur, Institut. quib. mod. toll. oblig. §. est autem prodita. Quorsum hæc? Vt intelligamus transactionis stipulatione Aquiliana factæ, aut, si nudo pacto facta fuit, per stipulationem Aquilianam confirmatæ, vim esse, vt obligationes tollat ipso iure; cùm aliàs, si solo pacto transactum fuit, exceptio pacti seu transactionis, vel doli competat.

Ad L. 5.

AD id quod in superiori lege dictum fuit, omnes præcedentes obligationes nouari, & perimi per Aquilianam stipulationem, hæc lex exceptionem adiungit: excipit enim eas obligationes, de quibus transigentes non cogitabant. Nam transactio, quantumuis generalis, ad ea coarctatur, de quibus actum est, infr. h. t. l. qui cum tutoribus. 9. & C. eod. l. si de certa. 31. valet enim ex consensu, supr. tit. prox. l. 1. §. adeo. nemo autem in id consentit, de quo non cogitat.

Ad L. 6.

QVidam putant hanc l. ad tit. de transactionibus non pertinere, quia requirit inspectionem & cognitionem verborum testamenti: quorsum enim (inquiunt) hæc requiruntur, cùm transactio fit de re dubia, inspectio autem & cognitio verborum eò spectet, vt dubitatio tollatur? Etenim si dubitetur, an legatum sit, prolato & inspecto testamento, veritas apparebit, & dubitatio tolletur. Quamobrem existimant verbum transactionis in præsentia per translationem ad iudicium referri: quia iudex debet veritatem inquirere, C. de eden. l. 2. qui verò transigunt, id tantùm agunt, vt à lite discedant, de veritate nullo modo sunt soliciti. Ergo secundum hos sententia legis erit, iudicem non posse veritatem inquirere & causam definire, nisi inspexerit testamentum, ex quo lis pendet. Verùm hanc interpretationem non solùm nostra rubrica refellit, sed etiam l. 1. infr. testam. quemad. aperi. quam cum l. nostra esse coniungendam, ex inscriptionibus liquidò apparet: ibi namque disertè dicitur, sine iudice transigi: ergo ex ea lege perspicuus est etiam huius legis sensus, neque extra iudicium per transactionem & conuentionem partium, neque in iudicio per sententiam iudicis posse litem finiri, antequàm inspiciantur & cognoscantur verba testamenti, quod specialiter est constitutum in testamentis & producitur ad codicillos, supr. h. t. l. 3. §. 1. & infr. eod. l. non est. 12. fauore vltimæ voluntatis, ne testamenta, vel codicilli supprimantur, atque ita transactiones ab iis extorqueantur, qui testamento, aut codicillis inspectis fortasse non transigerent. Alia ratio est instrumentorum, quæ inter viuos fiunt: nam iis non inspectis transactio facta valet, & iisdem postea prolatis non infirmatur, C. eod. l. sub prætextu. 19. Verùm testamenta inspici, vt vltimæ voluntates exitum habeant, publicè interest, infr. testam. quemad. ap. l. 5. Nec mouere nos debet illa obiectio, quod transactiones fiunt de rebus dubiis: quia lecto testamento, nihilominùs

nihilominùs supponimus rem esse dubiam, vt trãsactio valeat: quotidie namque videmus ex testamentis prolatis & perlectis, multas maximè dubias & controuersas lites oriri. Quarto, si quis non transigat, sed donationis causa paciscatur, putà si legatarius non inspecto testamento paciscatur de legato non petendo, an pactum valeat. Respondetur valere: quia lex specialiter prohibet transactionem, non pactum donandi causa factum, & inter hæc duo potest differentiæ ratio duplex afferri. Primùm enim non ita dicere possumus eum capi, qui liberalitate vtitur, & nihil ex testamento vult accipere, sicut eum, qui non vult donare, sed transigere, ideóque vult aliquid occasione testamenti, etiamsi res dubia sit, accipere. Præterea cùm propensiores simus ad transigendum, quàm ad donandum, meritò lex potiùs succurrit transigentibus, quàm donantibus, arg. l. 4. infr. ad S.C. Velleianum. & eius, quod notat Theoph. Instit. quib. mod. alien. licet. in prin. Item quæro, cùm dicat lex, *inspectis, cognitisque verbis*, quæ sit differentia inter inspicere & cognoscere. Respondeo, cognoscendi verbum referri ad animum, inspiciendi verò ad oculos corporeos, vt in l. si post inspectum. infr. de peric. & commod. rei vend. & tot. tit. infr. de ventr. inspic. & Instit. quib. mod. tutel. finit. in princ. & infr. testam. quemad. aperian. l. 1. oportet igitur inspici verba testamenti, nec vno breui intuitu inspici, sed legi, atque intelligi. Tandem quæro, quid si testamentum nuncupatiuum sit? Cùm hoc testamentum scripturam non requirat, puto valere transactionem, si ex testium depositione de tenore testamenti constet, licèt testamentum illud, vt sæpe fit, probandi causa redactum sit in scriptis, & ea scriptura inspecta non fuerit. Cùm enim hoc testamentum palam fiat heredibus coram testibus nuncupatis, non possunt suppressa scriptura celari: cessat igitur ratio huius iuris ad testamenta solemnia pertinentis.

Ad princ. L. Et post rem iudicatam. 7.

POst rem iudicatam frustra transigitur, quia finis controuersiæ impositus est, infr. de re iudic. l. 1. ideóque solutum ex causa transactionis huiusmodi inutilis, repetitur per condictionem indebiti, infr. de condict. indeb. l. eleganter. 23. §. si post. Iam enim docuimus, transactionem fieri de re dubia & controuersa, supr. h. t. l. 1. Hæc ita regulariter obtinent: sed interdum & post rem iudicatam lis esse potest, vel quia est appellatum, vel quia appellari potest: ergo his casibus transactio post rem iudicatam facta valet, infr. eod. l. post rem. 11. & C. eod. l. si causa. 32. & infr. de cond. ind. d. l. eleganter. §. si post. Hinc apparet, rem iudicatam in iure ciuili aliter accipi, quàm in iure pontificio, & in praxi forensi. Nam iure ciuili res iudicata dicitur statim ac lata est sententia definitiua, etiamsi appellari possit, vt hîc & d. l. 1. infr. de re iud. canonistæ autem & practici aiunt transire in rem iudicatam, cùm appellari ampliùs non potest, quòd tunc omnis lis & controuersia sit perempta.

Ad §. 1.

QVod in princ. l. dictum fuit, regulariter non valere transactionem factam post rem iudicatam, non solùm patitur exceptiones antea expositas, videlicèt si appellatum sit, vel appellari poterit, sed etiam aliam exceptionem, quæ hîc proponitur, hoc est, ea regula procedit inter eas personas, inter quas fuit lis, & lata est sententia: ceterùm tertius aliquis cum vno ex iis qui litigarunt, transigere potest, non obstante re iudicata, vt declaratur in hoc §. cuius duæ sunt species, & in vtra-

A que creditor, omisso reo principali, conuênit fideiussorem, quod hoc iure licuit, sed emendatum est, Nou. 4. & fideiussor fuit condemnatus. Post hanc condemnationem cum creditore transegit debitor principalis in priori specie: ipse autem fideiussor damnatus transegit in posteriori specie. In priori specie videbatur transactio inutilis; quia facta fuit post rem iudicatam, aut saltem videbatur inutilis respectu fideiussoris condemnati, id est, non videbatur transactio ei prodesse, sed tantùm reo qui transegit. Contrarium tamen respondetur, primùm transactionem valere, quia facta est à reo principali: cui non nocet res inter alios iudicata, id est, condemnatio fideiussoris: deinde hanc transactionem prodesse etiam fideiussori: quia sublata principali obligatione, tollitur etiam accessoria, infr. de diu.
B reg. iur. l. nihil dolo. 129. §. 1. & infr. de fideiuss. l. si Stichum. 38. in fin. & de diu. reg. iur. l. nihil dolo. 129. §. 1. & l. cùm principalis. 178. Non obstat, quòd ipse fideiussor non poterat transigere: sæpe enim quod quis ex sua persona non habet, per alium consequi potest, infr. quæ res pignori. l. 3. in fin. In posteriori specie dubitationem faciebat decisio prioris speciei, inuersâ regulâ modò adductâ. Nam si fideiussori prodest alterius transactio, multò magis propria transactio prodesse videtur. Contrarium tamen respondetur, ob rationem expositam: quia in persona fideiussoris res est iudicata: ergo est certa: omnis autem transactio debet esse de re incerta & dubia. Ait, *Mox reus transegisset*. particula *mox*, hoc loco non significat statim, sed postea ex interuallo, transacto tempore, intra quod appellare permittitur: quia
C statim post latam sententiam, cùm fideiussor condemnatus posset appellare, poterat etiam transigere, secundum ea, quæ dicta sunt ad princ. l.

Ad §. Vsque adeo.

IN fine præcedentis §. dictum fuit, cùm fideiussor damnatus transegit, & ex causa eius transactionis aliquid soluit; quia transactio non valet, id, quod à fideiussore datum fuit, imputari in rem iudicatam. Hæc sententia nunc confirmatur à simili. Nam si transactum sit de alimentis, transactio non valet, infr. l. prox. proinde quod ob eam transactionem datum est, alimentario imputatur in alimenta, quorum obligatio permanet, non infirmata per transactionem inutilem.

D

Ad L. Cùm hi. 8.

IN §. vlt. superioris legis mentionem fecit Vlpianus transactionis de alimentis, quàm dixit esse inutilem: nunc id latiùs exequitur: & quoniam ei transactioni formã dedit oratio Diui Marci, idcirco orationem illam interpretatur. & primùm in primis verbis legis proponit rationem huius orationis: deinde in vers. Diuus Marcus. explicat summam eiusdem orationis: tandem in §. 1. & sequentibus eandem orationem pluribus declarat, & varias quæstiones ad eam pertinentes dissoluit.

E

Ad Princ.

AIt, *Quibus alimenta relicta erant*. His verbis indicatur duplex ratio orationis Diui Marci, id est, fauor alimentorum, & fauor vltimæ voluntatis: relinquendi enim verbum ad vltimas voluntates pertinet, infr. de tab. exhib. l. 1. §. pen. Vnde hæc oratio non pertinet ad alimenta constituta inter viuos: pertinet tamen ad donationes causa mortis, infr. h. l. §. hæc oratio. quia comparantur vltimis voluntatibus, C. de mort. cau. donat. l. vlt. & Instit. de donat. §. 1. Videtur

tamen

tamen præcipuus esse fauor alimentorum: quia de aliis rebus in testamento relictis transigi potest, supr. h.t.l.3. §.1.& l.6. quin etiam transactio valet de alimentis præteritis, C.h.t.l.7. Tantùm igitur de futuris alimentis in testamento relictis transigi non potest: quoniam alimentis interceptis, viuere non possumus, id est, sine alimentis futuris: quamuis autem alimentis, quæ in præteritum nobis debebantur, careamus, viuere tamen poterimus alimentis in posterum debitis. Et ille quidem qui inter viuos sibi acquisiuit obligationem alimentorum, videtur esse vir industrius, & meritò lex ei fidat, eúmque transigere permittat: sed alia ratio est eius, qui sine vlla sua industria beneficio alicuius testantis alimenta est consecutus. Ait, *Facile transigerent.* Nonnulli hoc verbum latiùs accipiunt, vt dicatur impropriè transactio, quibus non assentior: fit enim transactio de re dubia, dato aliquo, aut promisso, aut retento, vt dictum fuit ad l.1. ac talis est transactio hic: datum enim fuisse aliquid, apparet ex sequentibus verbis, *Contenti modico præsenti*, id est, alimentarij accepta præsenti peculiola remittebant obligationem futurorum alimentorum: esse autem rem dubiam & incertam ex eo liquet, quod diximus, hîc agi de alimentis futuris, C.h.t.d.l.7. quæ morte alimentarij deberi desinunt, infr. h.l.§. modus. incerta igitur sunt hæc alimenta, quia dies mortis incertus est, infr. de condit. & demonstr. l.1.§. dies. Ait, *Diuus Marcus in senatu oratione cauit.* Solebant principes per quæstores, qui vocabantur candidati principis, supr. de offic. quæst. l. 1. orationes suas recitare in senatu, & in earum orationum sententiam fiebant senatusconsulta, infr. de hered. petit. l. item veniunt. 20. §. præter. & inst. de reb. cor. l. 1. Quamobrem quod hic tribuitur orationi principali, alibi adscribitur senatusconsulto, infr. de condict. indeb. l. eleganter. 23. §. si post. Ait, *Ne aliter alimentorum transactio rata esset.* Si igitur aliter transigatur, transactio erit inutilis. Quid si transigentes renuncient huic legi? adhuc puto transactionem non valere, & renunciationem esse inutilem: quia facta est contra iuris prohibitionem, oratio namque Diui Marci iubet, transactionem aliter factam, esse irritam: quæ autem sine prætore fit ab iis qui huic legi renunciant, aliter fit, quàm Diuus Marcus iusserit: ergo ex ipsis verbis constitutionis irrita est: quod multò magis est dicendum, si admittamus Doctorum sententiam existimantium prohiberi transactionem, non solùm propter fauorem alimentorum, sed etiam vltimæ voluntatis: legatarius enim frustra renunciat ei, quod fauore testatoris est introductum. Quæro, an valeat pactum gratuitum de alimentis remittendis. Respondeo, valere: quia nec verba, nec ratio constitutionis Diui Marci obstat huiuscemodi pactis. Non verba: quia Diuus Marcus expressè loquitur de transactione. Non ratio: quia Diuus Marcus ea ratione vtitur, quòd alimentarij modico præsenti contenti remittebant alimenta: non igitur gratis remittunt, sed accepta pecuniola. Huic sententiæ videtur officere, quod ait Paul. lib. 1. sent. tit. 1. in princ. de iis rebus pacisci licere, de quib. transigi potest. Vnde videntur hæc duo pari passu ambulare, & argumentum procedere à transactione ad pactum. Respondeo id valere regulariter, sed specialiter excipi alimenta relicta, ex constitutione Diui Marci. Differentiæ ratio inter pactum gratuitum, & transactionem est, quod alimentarij non facile donant, seu gratis alimenta remittunt, sed allecti modica pecuniola, quam præsentem accipiunt: non fuit igitur opus, vt Diuus Marcus alimentariis pacisentibus succurreret, sed transigentibus. Similis ratio alibi affertur à I.C. cur exceptio Velleiani detur mulieri intercedenti pro alio, non etiam donanti, quia scilicet mulieres intercedere & intercedendo capi, non etiam donare solent.

A B C D E

Ad §. 1. Eiusdem.

Sequitur tertia pars huius l. in qua explicatur oratio Diui Marci: hæc pars in tres subdiuiditur. Primò namque Vlpianus declarat, quando sit locus orationi Diui Marci, & requiratur auctoritas prætoris, vt transactio de alimentis valeat, vsque ad §. vult igitur. deinde quid considerare prætor debeat in transactione permittenda, aut reiicienda, à d. §. vult igitur. vsque ad §. qui transigit. postremò dissoluit varias quæstiones huc spectantes, à d. §. qui transigit. vsque ad finem legis.

Ait, *Siue habitatio, siue vestiarium.* Oratio principis, quæ loquitur de alimentis, non videbatur pertinere ad habitationem, & vestiarium, quasi hæc appellatione alimentorum non contineantur: nam qui de alimentis transigit, de habitatione & vestiario non transigit, infr. h.l.§. qui transigit. Sed verius est, hæc quoque contineri appellatione alimentorum, infr. de alim. leg. l. 6. & l. vlt. Non obstat d. §. qui transigit. vbi transactio de alimentis non pertinet ad habitationem & vestiarium, non quia hæc non veniant appellatione alimentorum, sed quia continentur tamquàm sub verbo generali, Diuus autem Marcus de his specialiter transigi voluit.

Ad §. Siue igitur.

Ait, *Perpetuò relicta.* Præter vulgatam duæ sunt significationes huius verbi *perpetuò*. Nam & actiones perpetuæ dicuntur, quæ spacio cõstitutionibus definito, id est, xxx. annis terminantur, Institut. de perpet. & tempor. act. in princip. & societas dicitur perpetua, quæ tamdiu durat, quamdiu socij viuunt, & morte alicuius socij finitur, infr. pro soc. l. 1. Eodem modo alimenta perpetuò relicta hîc dicuntur, quæ non ad certum tempus debentur legatario, sed quamdiu vixerit, eius autem morte deberi desinunt, infr. h. l. §. modus.

Ad §. Sed & si sit.

IN hoc §. ponuntur duæ species: quarum prior non eget interpretatione: posterior proponitur his verbis, *Idemque est, & si per fideicommissum alimenta ad hoc legatario fuerint relicta.* Sic legitur Florentiæ: sed in vulgatis libris, pro *ad hoc*. scriptum est, *ab hoc*. Hanc vulgatam lectionem vt faciliorem & commodiorem magis probo, vt sensus sit, aliquid legatum fuisse Titio, & eundem Titium rogatum fuisse præstare alimenta Meuio. Sunt igitur alimenta hoc casu, non ab herede, sed à legatario præstanda, præstanda (inquam) per fideicommissum: hoc ideo ponit Vlpianus, quoniam à legatario legari non poterat, sed per fideicommissum relinqui poterat, Institut. de singul. reb. per fideicommiss. relict. in princip.

Ad §. Eam transactionem.

ALimentarius meliorem suam conditionem etiam sine prætore per transactionem facit, vt hic §. ostendit, deteriorem verò ne quidem auctore prætore facere potest, infr. h.l.§. si prætor. Dicet aliquis, quorsum igitur auctoritas prætoris? nihil enim operari videtur. Pro solutione notandum primò est, Vlpianum in d. §. si prætor. non negare transactionem auctore prætore factam valere, si conditio alimentarij deterior fiat, sed si citra causæ cognitionem transactio à prætore permissa fuerit. Præterea potest transigi, vt per transactionem alimentarij conditio nec melior, nec deterior fiat. Postremò ex hoc §. non colligitur, valere omnem transactionem, qua fit melior conditio alimentarij.

alimentarij, sed eam tantummodò, quæ alimentorum A obligationem reformat, non perimit: transactio igitur non valebit, siue nouetur, & in aliam obligationem quamuis magis luctosam transfundatur, siue magna pecuniæ summa alimentario data id agatur, vt omnis obligatio tollatur.

Ad §. Nihil.

Ait, *Vtrùm libertini sint, an ingenui.* Idem Accursio dicendum videtur de seruis: nam & seruis alimenta relinqui possunt, infr. de alim. legat. l. seruos. 17. Sed notandum est, alimenta seruo relicta acquiri domino, infr. de condit. & dem. l. filiof. 42. propterea seruorum, nec sine prætore, nec prætore auctore posse de his alimentis transigere. Ait, *Satis locupletes.* Locupletes, B vt hic dicitur, transigere nequeunt sine prætore: aditus tamen prætor faciliùs concedet transactionem locupletis, quàm pauperis, infr. h. l. §. sed & personarum. quia locuples facilè potest aliunde habere alimenta: cur igitur prohibetur transigere sine prætore? an quia nihilominùs spectatur fauor alimētorum, & secundum Doct. etiam fauor vltimæ voluntatis? vnde nihil refert, vtrùm alimenta diuiti, an pauperi sint relicta: an quia possunt fieri pauperes? an quia hoc ius præcipuè receptum in gratiam pauperum, nihilominùs productum est ad diuites, quemadmodum actiones introductæ ad persequendas res corporales, vt ait Imper. l. vlt. C. de præscript. long. temp. nihilominùs etiam valent ad persequendas res corporales: & actio de pecunia constituta, quæ potissimùm est inuenta propter pecunias, quæ C nondum peti possunt, tamen latiùs patet, & cuiuis obligationi adiungitur, l. 3. §. vlt. infr. de pec. constit. l. 3. §. vlt.

Ad §. Qui transigit.

Legata fuerunt alicui alimenta, quæ ad cibum, potum, habitationem, & vestimenta pertinent: hic postea cum herede de alimentis auctore prætore transegit: quæritur, an hæc transactio pertineat etiam ad habitationem, & vestes. Prima facie videtur pertinere: quia de omnibus alimentis est transactum, & hæc quoque continentur appellatione alimentorum, infr. de alimen. legat. l. 6. & l. vlt. Contrarium tamen respondetur, quia non intelligitur de his transactum, id est, de habitatione, & vestiario, nisi specialiter id fuerit ex- D pressum: multa namque sunt, quæ requirunt specialem voluntatem: & hoc inter cetera fauore alimentorum est constitutum.

Ad §. Si vni.

Legatus est fundus, vt inde legatarius percipiat alimenta, quæritur, an legatarius de eo fundo possit transigere. Videtur posse, quia in re sua quilibet est moderator & arbiter, C. mandati. l. in re mandata. 21. legatarius autem est eius fundi dominus; quia cum fundus ad alimenta legatur, propterea fundi legata censetur, infr. de alim. legat. l. 4. & quod dicitur *ad alimenta*, id ad causam legati pertinet, non ad vsumfructum constituendum, infr. eod. l. pen. Contrarium tamen responde- tur fauore alimētorum, ne intercipiantur. Ait, *Sed si pluribus.* E In hoc casu augetur ratio dubitandi: quia cùm duo legatarij, quibus relictus est fundus ad alimenta, inter se transigant: quò deterior fiet vnius conditio, eo melior fiet conditio alterius: ergo vi compensationis perinde erit, ac si eadem conditio maneret: proinde non videtur esse opus auctoritate prætoris. Contrarium tamen respondetur: quoniam Diuus Marcus id agit, ne cui alimentario alimenta intercipiantur: nec mouet, quòd aliquis consequatur alimenta superflua: quamuis enim auctoritas prætoris non sit necessaria quoad eum, qui conditionem suam facit meliorem: nihilominùs respectu alterius necessaria est.

Ad §. Si prætor.

Vt valeat trāsactio de alimentis, non sufficit auctoritas prætoris quocumque modo interposita: sed opus est causæ cognitione: proinde interponendum est decretum, nec sufficeret libellus prætori oblatus, & subscriptio prætoris, supr. de offic. proconsl. nec quidquàm. 9. §. vbi decretum. & C. de præd. minor. l. 6.

Ad §. Sed nec mandare.

Cognitio de transactione alimentorum mandari non potest: quia competit specialiter ex oratione Diui Marci: quæ autem specialiter lege, vel senatusconsulto, vel constitutione principis tributa sunt, mandari nequeunt, supr. de offic. eius. l. 1. in princ.

Ad §. Transactiones.

Regulariter de alimentis Romæ transigitur coram prætore, in prouincia apud præsidem; verùm si alimenta à fisco petantur in vrbe, transigitur apud præfectos ærarij, in prouincia verò apud procuratorem Cæsaris, qui & rationalis appellatur: hi namque sunt iudices competentes causarum fiscalium, id est, præfectus ærarij in vrbe, infr. de his quæ vt indig. l. cùm quidam. 12. & infr. ne quid in loc. publi. l. 2. §. hoc interdictum. procurator Cæsaris in prouincia, supr. de offic. proconsl. l. 9. §. 1. & C. si adu. fisc. l. 2.

Ad §. Si eidem.

Coniunge §. vlt. l. præced. & quod in fine huius §. dicitur, imputari in alimentariam causam, intellige in alimenta præterita, infr. §. prox.

Ad §. Si quis de alimentis.

Solutum ex causa transactionis de alimentis inualidæ, imputatur in alimenta præterita, vt modo notaui, & si quid amplius solutum est, id conditione indebiti repetitur, quatenus alimentarius locupletior factus est. Dixi, conditione indebiti, ex l. eleganter. 23. §. item si ob transactionem. & l. in summa. 65. §. 1. infr. de condict. indeb. Dixi, quatenus locupletior alimentarius factus est: quia condictio indebiti datur ex naturali æquitate, quemadmodum & aliæ similes conditiones, infr. de reb. cred. l. si & me. 32. & de cond. indeb. l. nam hoc natura. 14. & l. seq. l. in summa. 65. §. quod ob rem. l. hæc condictio. 66.

Ad §. Si in annos.

Sententia huius §. est: si quid annuum relictum sit viro honestiori, de eo transactionem posse fieri prætore inconsulto; quia non intelligitur relictum nomine alimentorum: quod si alimentorum nomine legatum ponatur, omnimodo prætoris auctoritas requiretur, non habita ratione personæ, cui legatum fuit, supr. hac l. §. nihil.

Ad §. Si cui.

Prætor non solùm de trāsactione faciēda cognoscit, sed etiā de iam facta. de illa iudicat, an fieri debeat, de hac,

de hac, an valeat, necne, & hanc sustinet, si per eam fiat alimentarij conditio melior, ne alimentorum obligatio perimatur, vt notaui ad §. eam transactionem.

Ad §. vlt.

PRoponontur duæ species oppositæ, & in vtraque sustinetur transactio de alimentis facta sine prætore. Prior species est, si legata sit annua pecunia ad habitationem conducendam, & legatarius ita transigat cum herede, vt pecuniæ loco accipiat certam habitationem: hoc casu non videtur transactio valere, quia fit alimentarij conditio deterior, eò quòd transactio, id est, ædes, quas per transactionem accipit, ruinæ vel incendio subiectæ sunt, cui periculo non erat subiecta annuæ pecuniæ obligatio. Contrarium

A tamen respondetur: quia finis legati fuit, vt legatarius haberet habitationem: siue igitur pecunia, siue ipsa habitatio præstetur, testamento satisfit: & longè commodiùs, atque vtilius est habere certam habitationem, quàm singulis annis nouam quærere cum familiæ incommodo, & supellectilium detrimento. Posterior species est, si habitatio legata fuerit, & legatarius ita transigat, vt pro habitatione accipiat annuam pecuniam: hæc quoque transactio sustinetur, quoniam legatarius hoc modo liberatur à periculo incendij, & ruinæ. Vtraque igitur transactio, quamuis sint inter se contrariæ, videtur esse vtilior legatario: & sanè alij mallent habere certam habitationem, alij certam annuam pecuniam: proinde alimentario conceditur, vt vtroque modo transigat: quia neutro modo fraus B subest: & interdum hoc, interdum illud alimentario vtilius est.



CODICIS LIB. II. TIT. III.
DE PACTIS.



HVius tituli capita sunt octo. I. De causa efficiente pactum, id est, de personis paciscentibus. Hîc consideratur pactum filij, l. 23. serui, l. 3. Tutoris, vel curatoris, l. 22. Debitorum, l. 15. vel heredum debitoris, l. 26. & extranei. l. 24. II. De materia pactorum, id est, de rebus, de quibus pacta fiunt. Hîc consideratur pactum de diuisione facienda. l. 21. De parte, l. 5. De re aliena, vt de hereditate viuentis, l. vltim. De futura successione, l. 15. & 19. De fideicommisso conditionali, l. 1. & 16. De fori præscriptione, l. 29. De lite, l. 4. De re iudicata, l. 9. III. De forma seu modo paciscendi. Fit autem pactum vel expressè, vel tacitè. de pacto tacito tractatur l. 2. & 18. IV. De causa finali: vt quia transactionis causa, id est, incertitudinis vel litis tollendæ gratia pactum factum est, l. 1. 16. 21. V. De causa procatarctica, quam Doctores vocant impulsiuã, id est, quæ impulit aliquem ad paciscendum, putà ob negotia gesta, vel patrocinium sibi præstitum ab eo, cum quo paciscitur, l. 5. VI. De his, quæ accedunt pactis, & adiuuant pacta, ac pactorum vim. Hîc consideratur primò scriptura, & aliæ pactorũ probationes, l. 17. 19. 21. Secundò datio eius, de quo dando conuẽnit, l. 28. Tertiò contractus siue bonæ fidei, l. 13. siue stricti iuris, vt stipulatio, l. 7. 11. 14. 27. 28. siue contractus innominatus, l. 1. 7. 8. vt dotis datio, l. 10. 11. 15. VII. De qualitate pactorum, & de his, quæ sunt pactis contraria. Hîc tria considerantur. Primò pactum iniustum, cui leges, aut boni mores aduersantur, l. 6. & l. vlt. Secundò dolus malus, l. 9. Tertiò pacta inter se contraria, l. 12. VIII. De effectibus pactorum, vbi dissoluuntur septem quæstiones. Primò, an pactio tollat actionem, l. 6. & 18. Secundò, an lis finita possit instaurari, l. 4. Tertiò, an detur actio ex pacto: quæ quæstio plures habet partes: quia partim quæritur simpliciter & generaliter de actione, l. 10. 11. 13. 21. 28. partim specialiter de actione ex vendito, l. 11. de actione præscriptis, l. 7. & 26. de cõdictione indebiti, l. 5. Quartò, an pactum possit restituere actionis vim priori pacto infirmatam, l. 12. Quintò, an C pactum pariat exceptionem: hæc etiam quæstio habet plures partes: quia partim quæritur simpliciter & generaliter de exceptione, l. 13. & 21. partim specialiter de exceptione pacti, l. 2. & 5. & de exceptione doli, d. l. 5. Sextò, an pactum possit transferre rerum dominium, l. 20. vel saltẽ, an ex pacto peti possit, vt dominij translatio fiat, l. 14. Septimò, an pactũ tribuat ius soluẽdi, l. 19

Ad L. 1.

IN hac lege consideratur pactum de fideicommisso conditionali inter fratres facto. Diuiditur autem in tres partes: prima continet decisionem, & rationem decisionis: secunda speciem, in vers. cùm igitur. tertia cuiusdam obiectionis solutionem, in vers. non idcirco. nos autem naturali ordine seruato, incipiemos à specie D explicanda, quæ talis est: G. Fronto cùm duos filios haberet, Licinium & Philinum, testamento facto eos scripsit heredes ex æquis partibus: & rogauit Philinum, vt si sine liberis decederet, portionem suam hereditatis restitueret fratri suo Licinio, mortuo testatore filij heredes extiterunt: & cùm Philinus nullos liberos haberet, antequam cum fratre suo diuideret hereditatem paternam, cum eo conuenit, vt præter suam portionem idem frater Licinius acciperet sextantem loco fideicommissi conditionalis, ita vt renunciaret ei fideicommisso: postea secundum hanc conuentionem diuiserunt hereditatem paternam, ita vt Philinus acciperet quatuor vncias, Licinius octo. diuisione facta, Philinus suscepit filium, & eo superstite decessit: hic filius Philini cupiebat recedere à conuentione paterna, & repetere sextantem Licinio datum. Quæritur ergo an ea conuentio E rata sit necne. In primis sciendum est, eam conuentionem esse transactionem, & falli Accurs. qui dicit non esse transactionem, nec de re dubia: est enim de re dubia, id est, de fideicommisso conditionali, quod dubium erat, an aliquando deberet pertinere ad Licinium: quoniam igitur est de re dubia, nec est conuentio gratuita, sed dato sextante facta, meritò vocatur transactio, infr. tit. prox. l. de fideicommisso. 11. iam videamus, an valeat.

Ratio dubitandi, propter quam conuentio inutilis videtur,

videtur, ex contextu talis colligitur; Philinus est mortuus relictis liberis superstitibus: ergo conuentio est iniqua, consequenter non valet. Antecedens probatur ex eo, quod decedens vno filio relicto, dicitur non sine liberis decedere, inf. de ver. sig. l. nó est sine liberis. 148. Cósecutio secúda ex eo probatur, quod pacta nó stricto iure, sed æquitate sustinétur, D. h. t. l. 1. in pr. ergo iniqua non sunt seruanda. Difficultas est in explicáda vi primę consecutionis, id est, cur videatur pactio iniqua & inutilis ex eo, quòd Philinus reliquit filium superstitem. Hæc consecutio videtur probari posse pluribus modis. I. Quia cùm Philinus habeat filium, deficit conditio fideicómissi relicti Licinio sub ea conditione, si Philinus sine liberis decederet: atqui deficiente códitione fideicómissi nullum est fideicómissum: proinde non videtur de eo pactú fieri posse, aut videtur fieri inutiliter, quia fit de re nulla. II. Et subtiliùs eadé consequentia probatur: quia cùm testator reliquerit fideicómissum Licinio sub códitione, si Philinus decederet sine liberis, perspicuè prætulit filios Philini Licinio, D. de hered. instit. l. Lucius. 85. Ergo Philinus in præiudiciú filij contra testatoris voluntatem non potuit pacisci cum fratre suo Licinio. His tamen non obstantibus, contrariu respondetur, nempe dictæ conuentioni standum esse: quia de fideicómisso conditionali pacisci licet, D. h. t. l. & heredi 21. §. pen. Ratio antem in contex. hæc proponitur: Hoc pactum non est iniquum: ergo valet. Antecedens probatur: quia factum est de fideicommisso incerto, id est; cùm fideicommissi conditio pendéret. Vis probationis in eo consistit, quòd transactio debet esse de re dubia: hæc autem est res dubia, propter incertum conditionis euentum: Ergo hæc pactio proficit Licinio, qui accepit sextanté retinendú in omné euentú, cùm fortasse nihil esset accepturus ex fideicommisso, conditione scilicet deficiente: profuit etiam Philino, qui dato solo sextáte, certò sciuit se in omnem euentú posse liberè disponere de residuo, etiámsi existeret conditio fideicommissi, quo erat oneratus. Rationes dubitandi sic soluuntur: Cùm dicebatur conuentioné de nulla re factam videri, quia nullum est fideicommissum: respondetur, non tam de fideicommisso, quàm de spe & incertitudine fideicommissi transactum fuisse: illam autem incertitudinem & spem loco rei esse, vt transactio sustineatur, D. de cond. indeb. l. in summa. 65. §. 1. Ad alteram obiectioné, quod testator filios Philini prætulit Licinio, respondendum est, eum ita prætulisse, vt eos non propterea heredes instituerit, vel vllo modo ex testamento vocauerit: fuerunt enim solùm positi in conditione: non fuerunt igitur in dispositione, id est, non propterea fuerunt heredes, vel legatarij, D. de lib. & postum. l. Gallus. 29. §. nam si & filius. & §. in omnibus. & de vulg. & pupill. l. si quis cum. 16. in fin. & si quis omis. caus. testam. l. si quis sub conditione. 8. quo fit vt pactum Philini ei noceat, quod non noceret posito in dispositione testatoris. Præterea contra hanc decisionem opponi potest, quòd legatum vel fideicommissum in diem vel sub conditione relictum, non potest ante diem vel pendente conditione repudiari, D. de legat. ij. l. si ita. 45. §. 1. & de diu. reg. iur. l. qui potest. 174. §. 1. quomodo ergo valet ea conditio, qua Licinius renunciauit fideicommisso conditionali? Respondeo, distinguendum esse inter repudiationem, & pactum. Repudiatio namque fit voluntate solius repudiantis: pactum verò est consensus plurium: ideóque repudiatio ante diem vel conditionem non valet, pactum autem valet. Quarto, si Licinius non accepisset sextantem, an ex ea conuentione posset eum petere. Respondeo, non posse: aut enim fuit pactum nudum, quod non parit actionem: aut fuit contractus innominatus, do sextantem vt repudies fideicommissum, vel, repudio fideicommissum vt des sextan-A tem; qui contractus, cùm sint innominati, non pariunt actionem, nisi ab alterutra parte res secuta sit, D. de rer. permut. l. 1. §. item emptio. at in casu proposito res non est secuta, nec ex parte Philini, quia ponimus eum non dedisse sextantem, nec ex parte Licinij, etiam si ponamus eum repudiasse fideicommissum, quia iam dixi repudiationem non valere: ergo actio nulla competit. Item quarto, cùm species proposita sit de fideicommisso simplici, an idem dicendum sit de reciproco, vt de eo conuentio facta valeat. Respondeo, idem dicendum esse, & conuentionem æque valere, infr. h. t. l. cùm proponas filios. 16. & infr. tit. prox. l. de fideicommisso. 11. Paulus tamen lib. 4. sentent. tit. 1. de fideicommiss. §. rogati. contrarium statuit: sed ea senten-B tia non obtinet, cùm ei dictæ constitutiones aduersentur. Ait, *conditiones*, adscriptæ fideicommisso: quia Philinus rogatus fuit restituere fratri Licinio hereditaté si sine liberis decederet. Ait, *Incertum*, quia Philinus nondum susceperat liberos. Ait, *Fratres*, Licinium, & Philinum. Ait, *Conuentione*, id est, transactione. Ait, *Petitum à patre tuo*, id est, cùm G. Fronto auus tuus petierit à Philino patre tuo. Hæc enim lex scripta est ad Philini filium, qui & ipse vocatus est Philinus. Ait, *Licinio Frontoni*, patruo tuo, id est, fratri Philini. Ait, *Dando*, à Philino. Ait, *Nó sustuleris*, legendum ex M.S. *non sustulerat*. Ait, *Sicut placuit*, id est, secundum dictam conuentionem, ita; vt Licinius sextantem amplius acciperet, quàm sibi in testamento relictum esset. Ait, *Diuisione*, C hereditatis Gaij Frontonis.

Ad L. 2.

HÆc lex proponit exemplum taciti pacti. Cótinet autem speciem, & decisionem. Species talis est: Claudius Titio successit, & hereditaté Titianam Meuio vendidit: deinde creditores Titiani egerunt cótra Meuium. Hinc oritur quæstio, an omisso Meuio, iam possint agere cótra Claudium quasi heredem Titij. In hac specie illud est notandú, quòd lex ponit Meuiú spontanea voluntate suscepisse iudicium, quo cóueniebatur à creditoribus Titij. Hæc spontanea voluntas primùm ideo ponitur, vt possit inde colligi pactú tacitum, quia non est pactum sine consensu & voluntate omnium D paciscentium: præterea ideo dicitur Meuium sponte suscepisse iudiciú, quia præcisè non cogebatur. Quáuis enim emerit hereditatem Titianam, non propterea tamen est factus heres Titij, & contractus ille inter Claudium heredem, & Meuium emptorem celebratus, non potest obligare Meuium aliis, vt creditoribus hereditariis, sed tantum ipsi Claudio venditori: quia nisi Meuius sponte satisfaciat creditoribus hereditariis, actione ex vendito tenebitur Claudio, infr. de hered. vel act. vend. l. 2. ceterùm facto Claudij, & Meuij petitio creditorum hereditariorú nec tolli, nec mutari potest, infr. h. t. l. debitorum. 25. Et quia ipse Claudius venditor manet heres Titij etiam post venditionem secundum regulam iuris; Qui semel est heres, non potest desinere esse heres, D. de minor. l. 7. §. sed quod Papinianus. & de hered. instit. l. ei qui soluendo. 88. idcirco solus Claudius potest à creditoribus conueniri. Nec obstat, quod venditione hereditatis id agitur, E vt emptor videatur esse heres, D. commun. prædior. l. si ei. 9. quia id agitur tantùm, & effectum tantùm habet inter contrahentes, non respectu tertij. Secundò non obstat, quod emptor hereditatis habet vtiles actiones actiuas, infr. de hered. vel act. vend. l. 5. Vnde credere aliquis posset, similiter in eum dari vtiles passiuas. Hæc enim consecutio non valet: quoniá vtiles actiones habet ex rescripto Diuj Pij, inf. cod. l. pen. & D. h. t. l. si cum emptore. 16. in prin. Nullum autem rescriptum extat, quod in eum det actiones vtiles; vnde cessante

rescripto, necesse est sequi rationes & regulas iuris: & A quod pro emptore hereditatis est introductum, vt habeat actiones vtiles, non debet in eum detorqueri, vt vtilibus actionibus conueniri possit, D. de legib. l. nulla. 25. Tertiò non obstat, quòd is, qui non habet actionem, non potest eam intentare, siue aliquem conuenire, D. de negot. gest. l. 6. §. vltim. Vnde cùm creditores Titij non habeant actionem contra Meuium emptorem, sed contra heredem, videntur ipso iure nihil egisse, dum egerunt contra emptorem; consequenter id non videtur eis officere, quò minùs agant contra heredem: hoc, inquam, argumentum non obstat: quia regula illa intelligitur de reo inuito, vt scilicèt nemo inuitus possit conueniri ab eo, cui actio non competit, cùm alibi dicatur actionem competere in inuitum, D. de verb. oblig. l. inter stipulantem. B 83. §. 1. cùm autem reus consentit & sponte sua iudicium suscipit, vt in nostra specie, iudicium valere potest, D. de rei vindic. l. is qui se obtulit. 25. Hæc de specie dicta sint.

Sequitur decisio his verbis, *exceptione taciti pacti non inutiliter defendetur.* Sensus est, dum creditores egerunt contra emptorem hereditatis, videntur tacitè pacti ne peterent ab herede, nempe quia bona fides non patitur idem sæpius exigi. Si igitur postea petãt ab herede, submouebuntur exceptione taciti pacti.

Quæro primò, vnde colligatur hoc tacitum pactum. Respondeo, cùm pactum sit consensus duorum, pluriúmve, consensum emptoris ex eo colligi, quia, cùm non cogeretur suscipere actiones, sponte eas suscepit, ne heres à creditoribus conueniretur, quippe qui sciebat, C heredes à creditoribus conuentos habere contra se regressum & actionem ex vendito, infr. de hered. vel act. vend. d. l. 2. in summa suscepit sponte actiones, vt sibi prospiceret, id est, ne ab herede conueniretur ex vendito: ergo suscepit actiones, ne heres conueniretur: habemus igitur consensum emptoris id agentis, ne heres conueniatur. Consensus autem creditorum ex eo colligitur, quòd sciebant emptorem non alia ratione teneri posse, quàm ratione conuentionis: quia emerat hereditatem, & eo contractu id actum fuit, vt subiret onera hereditaria: Ergo creditores probant illam conuentionem, & illum contractum, cuius fidem sequentes egerunt contra emptorem: hinc igitur resultat pactum: quia est conuentio ex vtraque parte in idem. D

Secundò quæro, inter quas personas hoc pactum factum videatur. Accurs. respondet, factum videri inter creditores & heredem: quod falsum esse apparet ex his, quæ nunc dixi. Nihil enim interuenit inter heredem, & creditores, ex quo pactum colligatur, sed tantùm inter creditores, & emptorẽ. Sed oritur dubitatio, quomodo pactum inter alios factum prosit heredi, qui pactus non est, contra iuris regulam, l. si vnus. 27. §. pacta quæ turpem. in fin. D. h. t. & l. 1. inf. per quas person. nob. acquit. Respondeo, ab illa regula excipi eos casus, quibus interest paciscentium, vt pactum tertiæ personæ prosit, D. de pact. l. & heredi. 21. §. vlt. l. fideiussoris. 23. quoniam igitur in casu proposito emptoris interest, heredem non conueniri propter regressum, quem dixi competere heredi contra emptorem: idcirco pactum emptoris prodest heredi. Eadem est ratio stipulationis, quæ ab E aliquo facta non prodest alteri, nisi stipulantis intersit. D. de ver. obl. l. stipulatio ista. 38. §. alteri. & §. si stipuler. & Instit. de inutil. stipul. §. si quis alij. §. alteri. & §. seq.

Tertiò quæro, cur in casu proposito heres non liberetur ipso iure, sed egeat pacti exceptione. Nã hæc duo comparãtur, emptorem soluere pro herede, & emptorem suscipere iudicium pro herede, D. de solut. l. solutione. 23. atqui soluendo liberasset heredem ipso iure: ergo iudiciũ similiter accipiẽdo. Respõdeo, id procedere, cùm emptor iudiciũ accipit pro herede, id est, nomine heredis: hîc autem suo nomine accepit, quamuis non teneretur, vt sup. exposui. Qui igitur pro alio iudicium suscipit, eum liberat ipso iure: qui pro se, eum liberat exceptione taciti pacti: & rectè ita distinguimus in iudicio accepto, quod solutioni comparauimus: quoniam in solutione quoque ita distinguitur. Etenim si mandator vel fideiussor pro reo soluat, eum liberat ipso iure: si verò pro se soluat, non liberat eum ipso iure, sed ope exceptionis, D. de hered. petit. l. si quid possessori, 31. in princ. & mandati. l. Papinianus. 28.

Quartò quæro, an decisio huius legis locum habeat, etiam si emptor non sit soluendo. Respondeo, locum habere: quia lex generaliter loquitur: & creditores sibi debent imputare, cur omisso herede elegerint emptorem hereditatis, cuius nomen videntur probasse, arg. l. inter. 26. §. abesse. D. mand. & l. promittendo. 41. §. si à debitore. D. de iur. dot.

Vltimò quæro, si vnus ex creditoribus hereditariis egerit contra emptorem hereditatis, an alij creditores possint agere contra heredem. Respondeo, posse: quia pactum & omninò res inter alios acta tertio nõ nocet.

Ad L. 3.

HÆc lex tractat de pacto serui: proponit autẽ duas regulas. Prior regula est: Pactũ serui prodest domino, ita vt inde detur domino exceptio. Ratio est: quia cùm seruus sit in potestate domini, ei acquirit, D. de acquir. rer. dom. l. acquiruntur. 10. §. 1.

Oppono, quod idem videtur dicendum de persona extranea, nec rectè hoc proponitur quasi speciale in seruo. Naturali enim iuri consentaneum est, vt per alios nostra conditio fieri possit melior, non deterior, D. de neg. gest. l. soluẽdo. 39. Solutio: Alij possunt cõditionem nostrã meliorẽ facere, nõ paciscendo (iam enim diximus pactum vnius non prodesse alteri) sed aliis modis, putà negotia nostra gerendo: hîc autem loquitur specialiter de pactis: & speciale in seruo est, vt non solùm aliis modis, D. de diu. reg. iur. l. melior. 133. sed etiam paciscendo possit domino prodesse, D. h. t. l. si tibi. 17. §. vlt. cùm duab. ll. seqq.

Sequitur posterior regula: Pactum serui non nocet domino, nec adimit obligationem domino quæsitam. Ratio perspicua est: quia si seruus posset quæsitũ domino auferre, potiùs videretur eum in potestate habere, quàm esse in eius potestate. Quæ ratio quia generalis est, etiã generaliter traditur, per seruum non posse conditionẽ domini fieri deteriorem, d. l. melior. Hęc tamẽ regula patitur quasdã exceptiones: vt quia seruus delinquens nocet domino, & obligat eum noxali actione: sed quia in præsentia tantùm loquimur de pacto serui: vt hoc rectè intelligatur, distinguendi sunt tres casus, & constituendæ tres regulæ.

I. Seruus potest domino non acquirere, infr. de hered. instit. l. 3. & de acquir. poss. l. vlt.

II. Seruus potest domino minus acquirere, vt paciscens in continenti, D. h. t. l. sin autem. 29. Nam lex nostra loquitur de pacto facto ex interuallo post obligationem rectè constitutam, ac domino quæsitam. Similiter & scientia vel dolus serui contrahentis nocet domino, D. de ædil. edic. l. cum mancipium. 51. & de doli except. l. 4. §. in exceptione.

III. Seruus non potest domino acquisitum adimere, vt hîc, & D. eod. l. contra. 28. §. vlt. Hæc tamen regula patitur exceptionem. Pactum enim serui etiam ex interuallo factum, domino nocet, si concurrant hæ quatuor cõditiones. I. Vt seruus paciscatur generaliter ne petatur: nõ, ne ipse petat: quia tale pactũ nõ valeret. II. Vt pactũ sit de re peculiari. III. Vt seruus habeat eius peculij

peculij liberam administrationem. IV. Vt pactus sit non donandi causa, d.l. contra. §. vlt.

Oppono contra eam regulam, & contra nostram legem, quod nihil est tam naturale, quàm vnumquodque eo modo dissolui, quo cõstitutum est, D. de diu. reg. iur. l. nihil tã naturale. 25. cùm igitur obligatio per seruum domino quæsita est, per eundẽ dissolui potest. Respondeo negãs consequentiam: quia d. l. nihil tam naturale. loquitur de modo dissoluẽdę obligationis, non de persona dissoluente. Quæ de seruo diximus, cadem obtinẽt in filiofa. eo excepto, quod filiusfam. potest pacisci ne à se petatur, & interdum ne ipse petat, quibus modis seruus inutiliter paciscitur, D. h. t. d. l. si tibi. §. vlt. cum 4. legib. sequentib. & d. l. contra. §. vlt. cum. ll. seqq. Ergo quæ diximus pro interpretatione huius legis tertiæ, pertinent etiam ad explicationem l. filius. 23. infr. eod. vbi constituitur, pactum filij non nocere patri.

Ad L. 4.

HÆc lex loquitur de renunciatione litis. Quidam distinguunt inter renunciationem, & pactũ; adeo vt non putent hanc legem pertinere ad hunc tit. Sed verius est, etiam pacto renunciari, infr. h. t. l. pen. Quamquam & sine pacto renunciatio fieri potest, vt posteriùs declarabo. Eatenus igitur hæc lex ad hunc tit. pertinet, quatenus per pactum liti renunciatur, videlicet si quis cum aduersario pactus sit de iudicio non persequendo.

Ait, *Lis*. Litis nomen significat omnem actionem, siue sit in rem, siue in personam, D. de verb. sig. l. litis. 36. Lis autẽ & causa, idem sunt. Nam quæ hîc vocatur lis, mox appellabitur causa in verbis seq. Cicero quoque 1. de Orat. pro eodem accipit, causa cadere, & litem perdere. Aliud verò est lis seu causa; aliud instantia, D. de iudic. l. & post edictum. 73. §. pen. sublata enim lite, non potest ampliùs agi: sublata verò instantia, potest nihilominùs agi, veluti cùm processus est nullus propter aliquam solemnitatem iudiciorum omissam: auctor instantia cadit, lite autem seu causa non cadit. Reus namque sic absoluitur eo iudicio, vt possit nouo iudicio conueniri.

Ait lex, *de prædio*. Hoc accipe exempli causa. Est enim eadem ratio, si de quacumq; alia re litigatũ proponatur.

Ait, *mota*. Aliud est lis mota, aliud est lis contestata. Lis mouetur per vocationem in ius, & oblationem libelli, Nou. 112. c. 1. contestatur autem per intentionem actoris, & reponsionem rei conuenti, cùm iudex de causa cognoscere, & vtramq; partem audire cœpit, infr. de lit. contest. l. 1. túneque dicitur iudicium cœptum, cùm lis est contestata, non tantùm mota, infr. de iudic. l. 1. & D. ratam rem hab. l. amplius. 15.

Ait, *renunciasti*. Suppone renunciationem rectè factam, ne sit inutilis: primò quia hæc est generalis ratio declarãdorum vocabulorum: deinde quia Imperatores supponunt per hanc renunciationem iudicium esse finitum: nec enim quærunt, an renunciatio tollat litem. Sed eo casu, quo litem tollit, quærunt, quatenus tollat, id est, an tollat in totum & in perpetuum, an verò donec iterum instauretur. Notandum est, renunciationem fieri, non solùm expressè, sed etiam tacitè, infr. qui accus. non poss. l. 7. & D. de minor. l. si filius. 30. sicut pacta fiunt vel tacitè, vel expressè, D. h. t. l. 2. 3. 4.

Quæro. Si quis liti renunciet absente aduersario, an renunciatio valeat, & ei obsit, quo minùs litem possit instaurare: Hotomanus ait, renunciationẽ valere: quippe qui perpetuò distinguit renunciationem à pacto, quasi renunciatio fiat cõsensu vnius renunciantis apud acta: Donellus autẽ negat renunciationẽ obesse etiã si apud acta absente aduersario facta fuit, quoniam quia

A neq; confessio apud acta nocet confitenti, nisi fiat præsente aduersario, l. 6. §. si quis absente, D. de confess. Ego distinguendũ puto inter simplicem renunciationem, & eam quæ habet actũ aliquem seu consensum adiunctũ morę liti contrarium. Priori casu Donelli sententia obtinet, arg. eius quod dictum est de confessione, & quia non potest esse pactum sine consensu vtriusque partis: posteriori autem casu verior est sententia Hotomani: veluti cùm quis egit inofficiosi, si postea renunciauit liti, agnoscens ac probans quoquo modo testamentum. Tunc enim à querela inoffic. omnino repellitur, l. vlt. D. de inoffic. testamento.

Ait, *Causam finitam*. Ne intelligas finitã ipso iure: quia non est tanta vis pacti, sed ope exceptionis: quia nõ potest instaurari lis cum effectu, obstãte pacti exceptione.

B Ait, *Instaurari posse*. &c. Dubitationẽ hîc faciebat, quod hæc renunciatio nec vt pactum videtur valere, nec vt transactio: non vt pactum: quia pactum est de re liquida & certa, l. 1. D. de transact. non vt transactio: quia transactio non valet, nisi quid detur, vel retineatur, vel permittatur, l. transactio. 38. infr. tit. prox. proposita autem conuentio est gratuita de re dubia, id est, de lite. Hæc obiectio non obstat, quia verius est pactum fieri posse etiam de re dubia: & quod dicitur in d. l. 1. pactum esse de re certa, non est accipiendum generaliter, sed eo solo pacto, quo res certa per donationem remittitur.

Ait, *Nulla ratio*. Ratio duplex est. Altera stricti iuris, altera æquitatis, l. 4. & l. vlt. supr. de eden. Nulla ergo ratio permittit litem instaurari, id est, neque strictum ius:
C quia quod semel placuit, amplius displicere non potest: neque æquitas, cùm quia æquitas vult pacta seruari, l. 1. D. hoc titulo: tum etiam quia lites sunt odiosæ, l. 4. §. 1. D. de alienat. iudic. mutandi causa facta.

Ad L. 5.

LIberatio (latè sumpto vocabulo) triplex est: naturalis, vt solutione: ciuilis, vt acceptilatione: & honoraria, vt pacto de non petendo, vt colligitur ex h. l. & ex l. pen. D. de solut. Hæc autem lex differentiam ponit inter solutionem, & pactum de non petendo, quia solutio liberat ipso iure ciuili, pactum autem liberat iure prætorio per exceptionem, non ipso iure.

Opponitur l. nihil interest. 112. D. de diuers. reg. iur. vbi dicitur nihil interesse, vtrùm aliquis sit liberatus
D ipso iure, an ope exceptionis.

Solutio: Ea regula procedit, quantùm ad effectũ producendum, posteaquam exceptio in iudicio opposita est: tunc enim idem operatur, ac si debitor ipso iure fuisset liberatus. Sed antequam exceptio in iudicio sit opposita, magna est differentia, nec eandem vim habet liberatio per exceptionem, & liberatio ipso iure contingens. Etenim obligatio ipso iure sublata non potest nouo pacto exsuscitari: quod si tantùm elisa sit per pactũ de non petendo, potest instaurari, & reddi efficax nouo pacto de petendo, D. h. t. l. si vnus. 27. §. pactus. Erat olim differentia etiam in modo agendi: quia liberatio per exceptionem non proderat, nisi exceptio impetraretur à prætore: liberatio autem ipso iure con-
E tingens proderat, ita vt reus absolueretur à iudice pedaneo, quamuis nulla eius liberationis mentio facta fuisset apud prætorem. Sed hodie hæc differentia non videtur habere locum, ex quo & formulæ, & impetrationes actionum sunt sublatæ, infr. de formulis. l. 1. & 2.

Ait lex, *ob causas negotiaque*, &c. Hæc fuit causa pacti de non petendo, vt creditor remuneraretur & agnosceret operam sibi à debitore præbitam. Quæro, si hæc fuit omissa, an pactum valeat. Respondeo valere, tamquàm meram donationem, D. de

transact. l. 5. quia non solùm licèt donare ob aliquam iustam causam, sed etiam sine causa ob meram liberalitatem. Item quæro, si hæc causa adscripta, falsa sit, vt quia debitor re vera non gessit negotia creditoris, an pactum valeat. Respondeo nihilominùs valere: quia sublata ea causa, quam diximus falsam esse, nihilominùs subest causa donationis, quæ sustinet transactionem. Nihilominùs enim verum est, eum voluisse donare, D. de condict. indeb. l. damus. 52. l. in summa. 65. §. id quoque.

Ait, *Partim ciuili iure liberatus es.* Vt solutio totius debiti liberat in totum, ita solutio partis liberat pro ea parte, D. de solutio. l. stipulatus. 9. §. 1. nempe quia creditor partem sponte accepit, vel quia est aliquis ex iis casibus specialibus, quibus inuito creditori per partes solui potest. Regulariter enim creditor non cogitur B partem accipere, vt exposui cent. 3. quæst. 70. Ait, *Partim honorario*, id est, per exceptionem, vt mox subiicitur in context. Nam hic quoque dicendum est, similiter vt pactum de non petendo in totum prodest paciscenti, ita pactum de parte non petenda parere exceptionem, & prodesse pro ea parte, D. de fideiuss. l. si stipulatus. 15. §. 1. Ait, *Nam exceptio*, pacta namque iure prætorio pariunt exceptionem, infr. hoc tit. l. in bonæ fidei, 13. & D. eod. l. 7. §. sed cùm nulla. Ait, *Perpetua*, quia pactum fuit, ne omnino petatur. Potest etiam fieri pactum; ne intra certum tempus petatur: quo casu neque exceptio post illud tempus prodest, D. eod. l. si vnus. 27. §. 1. nec soluenti datur condictio indebiti, D. de condict. indeb. l. in diem. 10. Ait, *Vel doli.* Obserua, exceptionem doli concurrere cum exceptione C pacti, immo & cum quauis alia exceptione, D. de doli except. l. 2. §. & generaliter. Interdum doli exceptio est subsidiaria, & datur cessante exceptione pacti, D. hoc tit. l. rescriptum. 10. §. vltim. Ait, *Cùm & solutum.* Vtitur Imperator eiusmodi argumento, cui damus actionem, ei multò magis damus exceptionem, D. de superficieb. l. 1. §. is autem. & de diu. reg. iur. l. inuitus. 156. §. 1. atqui in casu proposito, cùm quis pactus est de parte non petenda, datur soluenti actio, id est, condictio indebiti, propter exceptionem pacti, perpetuam, D. de condict. indeb. l. si is qui. 24. l. si non sortem. 26. §. indebitum. l. qui exceptionem. 40. ergo multò magis danda est exceptio, si non soluerit. Ait, *per ignorantiam.* Is verò, qui sciens indebitum soluit, non repetit; quia videtur donare, D. de condict. indeb. D l. 1. & de diu. regul. iur. l. cuius. 53. Ignorantiam intellige facti, non iuris, supr. de iur. & fact. ign. l. cùm quis 10. & ad l. Falcid. l. error. 9.

Ad L. 6.

HÆc lex videtur sumpta ex edicto prætoris, l. 7. §. ait prætor. D. hoc tit. Partim autem hæc constitutio plenior est, quàm edictum: quia reprobat etiam pacta contra bonos mores facta: partim è contrario edictum plenius est, quoniam expresè loquitur de omnibus partibus iuris; hæc autem constitutio, legum tantùm, & constitutionum mentionem facit.

Ait, *Contra leges.* Dicitur aliquid contra legem fieri tribus modis. I. Propriè, quod fit contra verba legis, id est, quod verba fieri vetant, D. de legib. l. contra. E 29. & l. seq. II. Quod fit contra mentem legis: quia non verbis, sed ex sententia legis prohibitum intelligitur, D. de diu. reg. iur. l. qui vetante. 102. in princip. & de verbor. signif. l. 6. §. 1. Quamquàm propriè loquendo hoc non dicitur fieri contra leges, sed in fraudem legum, d. l. contra. & l. seq. III. Et maximè impropriè, cùm id fit, quod lege non vetatur fieri, sed tol- A lit id quod lege permittitur: veluti cùm quis pacto perimit ius sibi competens, id est, cum per pactum ei iuri renunciat. Sic dicitur pacisci emptor contra edictum ædilium, si paciscatur, ne venditor vitium aut morbum mancipij redditi præstet: quia non paciscitur edicto vetante, sed remittit obligationem ex edicto descendentem, infr. hoc tit. l. pacisci. 31. Hæc postrema significatio huic loco non conuenit. Sic enim pacisci licet contra iura, d. l. pacisci. quatenus vnusquisque potest iuri suo renunciare, infr. eod. l. penult. Sed contra leges hic ita accipimus, vt complectatur primam, & secundam significationem, in edicto autem prætoris verbum *contra leges*, accipitur angustissimè, vt distinguatur etiam ab eo, quod fit in fraudem legum: quia prætor nominatim vtriusque B mentionem fecit, d. l. 7. §. ait prætor. Ait, *constitutionésve.* supple, vel alias partes iuris, d. l. 7. §. ait prætor.

Ait, *Contra bonos mores.* Ea dicuntur esse contra bonos mores, quæ non tam propter iuris prohibitionem, quàm sua naturâ minùs honesta sunt; quoniam & lege non prohibente nihilominùs turpia sunt & fugienda, D. de condit. instit. l. filius qui. 15. Turpitudo autem consistit. I. In faciendo, veluti, si pactum fiat, vt maritus condemnetur in solidum. Est enim contra bonos mores, id est, contra reuerentiam marito debitam, D. solut. matrimon. l. alia. 14. §. 1. Aliud exemplum est, si pactum fiat vt aliquis barbaro vestitu vtatur, Paulus libro tertio sententiarum titul. 4. §. conditiones. II. In non faciendo: veluti ne quis patrem captiuum redimat, ne alimenta ei præstet, D. C de cond. instit. l. conditiones. 9. III. In modo faciendi: quia pacto id agitur, vt id fiat, quod honestum est, sed non honestis mediis quæsitum: putà si inter aliquos id agatur, vt eorum filij matrimonium inter se aliquando contrahere teneantur; cùm matrimonia libera esse debeant, D. de verborum obligat. l. Titia. 134. in princip. Aliud exemplum est, si quis similiter paciscatur cum depositario, vt re accepta depositum sibi reddat, quod non spe huius premij, sed gratis restitui debet, D. de condict. ob turp. caus. l. 2. §. 1. Aliud exemplum est, si quis paciscatur de pecunia iudici danda, vel, de non petendo à iudice quod sibi debet, si secundum se iudicet in bona causa, dicta l. 2. §. vltim. IV. In modo non faciendi: veluti si paciscar, ne à te petam decem, quæ mihi debes, si hoD micidium vel furtum non feceris, dicta l. 2. in princip. V. In causa paciscendi: veluti si qui paciscantur de hereditate viuentis. Nam ea solicitudo de hereditate viuentis turpis est, ideóque pactum est contra bonos mores, infr. hoc titul. l. vltim. VI. In eo, quod consequetur pactum, seu consecuturum esse probabile est; quoniam aliquis pacto inuitatur ad delinquendum, aut proposita impunitate (veluti si paciscar, ne agam furti vel iniuriarum, si post hoc pactum furtum mihi feceris, vel iniuriam, D. eod. l. si vnus. 27. §. pacta quæ turpem. & de pact. dot. l. 5.) aut præmio proposito, vti cùm aduocatus vel procurator paciscitur de quota litis, quo pacto inuitatur ad calumniandum, D. hoc tit. l. sumptus. 53.

Oppono dictam l. si vnus. 27. §. illud. D. hoc titul. vbi dicitur, pactum ne depositi agatur, valere, liE cèt eo pacto futurus depositarij dolus remittatur, propterea quod in actionem depositi venit tantùm dolus depositarij. Solutio: Illud pactum valet, & remittit dolum: primò quia non remittit dolum expresè, sed tacitè, quatenus in actionem depositi venit dolus: multa enim possunt fieri tacitè, non expresè, D. de cond. & demonstr. l. nonnumquàm. 52. & de diu. reg. iur. l. expressa. 195. deinde quia non propterea

præterea manebit dolus depositarij omnino impunitus. A licet enim actione depositi efficaciter conueniri nequeat propter dictum pactum: tamen nihil obstat, quò minùs conueniatur rei vindicatione, vel actione ad exhibendum.

Ad L. 7.

AIt, *Confusa est*. Eadem est ratio, si è contrario debitor creditori hæres extiterit, vel vtriusque hereditas ad eundem peruenerit. his enim casibus obligatio consunditur, & extinguitur, D. de solut. l. Stichū 95. §. aditio & l. pen. quia heres & defunctus videntur esse vna & eadem persona: nemo autem potest debere sibi ipsi, D. de fideiuss. l. heres. 21. §. quòd si stipulator. Hinc sumitur ratio dubitandi in proposita specie: quia B cùm obligatio aditione extincta fuerit, non potest pacto easuscitari, D. hoc tit. l. si vnus. 27. §. pactus. Adde, quòd is, qui in locum alterius succedit, iure eius vti debet, D. de diu. reg. iur. l. qui in ius. 177. Ergo in casu proposito is, cui tradita est hereditas, debet vti iure tradentis. atqui tradens non tenebatur: ergo obligatio non debet easuscitari in persona eius, cui hereditas tradita est. Quod de confusione obligationis dixi, sine dubio iure Pandectarum obtinet: Sed videtur Iustinianus huic iuri derogasse in l. vlt. §. in computatione, inf. de iur. delib. vbi statuit, si heres idemque creditor defuncti confecerit inuentarium, obligationes non confundi, quibus defunctus ipsi heredi erat obstrictus. Mihi tamen videtur Iustinianus nihil noui constituisse: quia loquitur de computatione patrimonij defuncti, C quæ refertur ad tempus mortis, antequam obligationes per aditionem essent confusæ: hoc autem etiam iure veteri obtinet, D. ad leg. Falcid. l. 1. §. si debitor. l. quod bonis. 15. §. auus, l. in ratione. 30. l. cùm emptor. 48. l. cum quo. 56. in princ. l. in quantitate. 73. l. qui fundum. 87. §. si quis heredem, l. pen. in pr. Ait, *In iudicio obtinuisti*. Eaempli gratia, heres scriptus fuisti à debitore tuo: postea conuentus es de inofficioso testamento, vel quasi testamentum esset falsum siue iniustum, ab herede legitimo. Ait, *Hereditatem tradidisti*. Hereditas nec tradi potest, quia est res incorporalis; nec quasi tradi, quia personæ heredis cohæret, ita vt non possit ad alium transire, D. de minorib. l. 7. §. sed quod Papinianus, D. de minor. & de hered. instit. l. ei qui soluendo. 88. Necesse igitur est, vt hoc loco accipiamus heredita- D tem impropriè pro rebus hereditariis, vt accipitur etiam in tit. familiæ ercisc. quotiescumque dicitur, hereditatem ab arbitro diuidi, & à M. Tullio in Topicis. Ait, *conditione pactòque*. Hæc accipe ἐκ παραλλήλου. nam conditio inter cetera significat pactum, seu legem contractus, infr. de pact. inter emp. l. 2. cum multis sim. Ait, *creditoribus*. sub. hereditariis. Ait, *Tibi deberetur*, &c. Non dicit, *quod tibi debetur*: quia iam dictum fuit obligationem confusam & extinctam esse. Ait, *Pacti fides seruanda*. data etiā actione, vt declarabitur in sequētib. verbis. Non obstat, quòd diximus, obligationē heredis confusam fuisse: quia non ex ea, sed ex noua obligatione agitur, quæ per traditionem hereditatis constituta est. Præterea non obstat, quod heres pactus est solui etiam aliis creditoribus: quia valet pactum alteri fa- E ctum, vel stipulatio alteri facta, si paciscentis vel stipulantis interfit, vt dictum fuit ad l. 1. Ait, *Vel præscriptis*, &c. Hæc verba absunt à libris manuscriptis, & à l. 1. C. Gregor. de pact. & transact. vnde hæc lex sumpta est. retineri tamen possunt, quia commodam & verissimā sententiam continent. Nec obiicias, quod ex pacto nō datur actio, D. de pact. l. 7. §. Sed cùm nulla. & infr. locat. l. si tibi. 27. quia regula illa habet locum in pacto nudo, non in lege contractus, inf. h. t. l. legem. 10. in casu autem nostro est lex contractus. Est enim contractus innominatus, do vt facias, id est, do hereditatem, vt soluas mihi & ceteris creditoribus, vnde oritur actio præscriptis verbis, infr. tit. prox. l. 6. & l. si pro fundo. 33. cum similib.

Ad L. Si pascenda.

DOminus pastori pecora pascenda tradidit hoc pacto, vt loco mercedis pastor accipiat partem fœtuum inter eum & dominum diuidendorum. quæritur, an ex hac conuentione detur actio. Sciēdum est, hanc conuentionem non esse locationem & conductionem: quia merces in fœtu consistit, cùm locationis merces in pecunia consistere debeat, D. depos. l. 1. §. si quis seruum. & de præsc. verb. l. 5. §. at cùm do. Præterea non est societas: quia fœtus tantum communicatur, non sors, id est, ipsa pecorum capita: in societate autem non solùm lucrum, sed etiam sors communicatur, D. pro socio. l. 1. §. 1. l. 2. l. 3. in princip. l. si id quod. 58. in princip. l. si vnus. 67. & de præscript. verb. l. si tibi. 13. §. 1. quod si ipsa capita fuissent communicata, tunc esset vera societas, D. pro soc. l. cum duobus. 52. §. vtrum. & §. damna. Non est etiam pactū nudum: alioquin actio non daretur: quia est appositum traditioni pecorum: quodcumque autem pactum in traditione rei factum valet, D. hoc tit. l. in traditionibus. 48. id est, valet etiam ad agendum, quoniam est contractus innominatus; vnde oritur actio præscriptis verbis, vt in specie huius l. & in l. 6. infr. tit. prox. & aliis locis. Porrò hic contractus, de quo nunc loquimur, est similis societati, ideóque vocatur quasi societas, D. locati. l. si merces. 25. §. vis maior. quamquam etiam locationi similis est, vt colligitur ex eod. §. vis maior. & ex l. 5. §. at cum do. de præscr. verb. & ex iis, quæ supr. diximus.

Ad L. Cum posteaquam. 9.

MVliet à Titio petebat seruos siue actione in rem, siue in personam: & secundum eam iudicatum fuit: Titius autem condemnatus, aut falsò persuasit mulieri nondum esse iudicatum, aut nondum transiisse tempus interponendæ appellationis, aut intelligens mulierem hæc ignorare, dissimulauit, & quasi adhuc lis esse posset, cum ea transegit, paciscens ne ampliùs seruos peteret. Hæc conuentio repudiatur duplici ratione. Altera proponitur in contextu: quia dolo malo Titij facta est. Prætor autem nō seruat pacta dolo malo facta, D. h. t. l. 7. §. ait prætor. & §. dolo. Altera ratio additur in C. Gregor. ex quo compositores sumpserunt hanc legem, detractis postremis verbis continentibus alteram decidendi rationem: *quia de re iudicata pacisci nemo potest*. Vnde intelligitur, nos rectè in specie proponenda nominasse transactionem, & verbum pactum accipiendum esse pro transactione: quia de re iudicata transactio non valet, D. de transact. l. 1. & l. 7. extra causam autem transactionis rectè paciscimur, vt fuit expositum in l. 4.

Ait, *Circumuenerit*, quasi condemnatus nondum esset, vel adhuc appellare posset: quoniam ita demum transigi potest, si vel iudicatum non sit, vel ignoretur an sit iudicatum, vel sit appellatum, aut saltem appellari possit, D. de transact. l. 7. & l. post rem. 11. Ait, *Caueret*, id est, transigendi causa pacisceretur de seruis non petendis. in C. Greg. pro *caueret*, scriptum est, *pacisceretur*: vnde confirmatur hæc interpretatio. Ait, *Irritum est*: non ipso iure: quia non obstante dolo, hoc pactum parit exceptionem, sed ea exceptio elidetur per replicationem doli, infr. tit. prox. l. sub prætextu instrumenti. 19. Ait, *Agi cœpit*, id est, cùm aduersarius à matre tua con-

uentus opposuerit exceptionem pacti. Nam reus hic A dicitur agere, vt & in l. 1. in pr. D. de eden. & in l. 1. D. de except. Ait, *Iudex eam liberabit*, propter doli replicationem, vt supr. exposui.

His enarratis, quæro, si mulier non decepta transegisset cum aduersario, id est, sciens rem esse iudicatā, & finitam esse controuersiā, an conuentio valeret. Respondeo non valere: quia, vt dictum est de re iudicata transigi non potest. si verò mulier non transigendi, sed donandi causa, sciens prudens pacta esset de non petendis seruis, conuentio vtilis esset. Nam Senatusconsultum Velleianum succurrit mulierib. intercedentibus dumtaxat, non donantib. D. ad S.C. Velleia. l. 4. §. 1.

Item quæro, si vterque ignorasset rem esse iudicatam, tam mulier, quàm aduersarius eius, an dicta conuentio valeret. Respondeo non valere, neque transactionem ob causam sup. dictam, quia res iudicata fuit; B neque pactū extra causam transactionis factum. quamuis enim videatur aduersarius dolo carere, quippe qui ignorans rem esse indicatam, pactus est: tamen postea dolo facit, dum vult vti beneficio huius pacti, quod factum est tamquàm de re dubia, vt sopiretur controuersia, quæ iam per sententiam finita erat: nihil autem interest, vtrùm dolus ab initio interueniat, an postea, siue de actione quæratur, D. de doli except. l. 2. §. circa fine de pacti exceptione; quia prætor non seruat pacta etiam bona fide facta, si postea dolus interueniat, D. h. tit. l. 7. §. siue autem.

Ad L. 10.

C

HÆc lex est translaticia: totidem enim verbis vno & viginti antè annis rescripserunt Imp. Seuerus & Antoninus, infr. d. pact. conuen. l. 1. Porrò hic perspicuè ponitur differentia inter pactum nudum, & legem contractus: quia pactum nudū non valet ad agendum, lex autem contractus, id est, pactum in continenti contractui adiectum prodest etiam ad agendum, vt pluribus explicabitur ad l. in bonæ fidei, infr. hoc tit. Nota pactum nudum esse vocabulum homonymum. Interdū enim vocatur nudum, quia vacat causa, id est, quia non habet in se vim producendæ obligationis & actionis, quam vim habet contractus. hac ratione omne pactum est nudum, etiamsi insit contractui. ita nudam pactionem accipit Vlp. in l. 7. §. quin immo. D. h. t. interdum dicitur nudum, quod non solum vacat causa, D sed etiam est solum & per se factum, à contractu separatum. ita accipitur hic, & in hac significatione non omne pactum nudum est: sed pactum nudum (vt dixi) distinguitur à lege contractus, id est, à pacto adiecto contractui.

Ait, *Seruari oportet*. Data actione præscriptis verbis, secundum ea, quæ dicta fuerunt ad l. 7. Ait, *Filii est conditio*. Hoc loco duplex lectio reperitur: in aliis libris legitur *vtilis conditio*: in aliis, *vtilis condictio*. vtraque lectio sustineri potest. in casu enim proposito est vtilis conditio, id est, vtile pactum, quia conditio pro pacto & lege contractus accipitur, vt in l. 7. sup. h. t. & in l. 2. infr. de pact. inter empt. & pluribus aliis locis: item est vtilis condictio, id est, datur actio præscriptis verbis, quæ vocatur actio vtilis, inf. tit. prox. l. 6. vel in factum, E D. de præscr. verb. l. 1. & 2. l. si tibi rem. 53. §. 1. l. si tibi polienda. 22.

Ad L. *Ex conuentione.* 11.

HÆc lex totidem ferè verbis repetitur in l. 1. infr. fine cens. vel reliq. Duæ tamen sunt differentiæ inter hanc l. & illam. Altera, quia hic fit mentio vsurarum, ibi verò tributorum: altera, quia extrema verba huius legis sunt affirmatiuè concepta, *ex vendito actio competit*; ibi verò negatiuè, *actio non competit*. Vnde quidam putant, delendam ibi esse negationem, vt illa lex ex hac emendetur: quibus non assentior, vt paulò pòst declarabo. Species & summa huius legis est: Mulier fundum suum quem pro vsuris, quas debebat creditoribus, pignerauerat, postea nubens in dotem marito dedit: pactúmque interuenit, vt ipsa mulier pignus lueret, & vsuras creditori solueret. Marito mortuo, antequàm mulier vsuras soluisset, ei filius, id est, mulieris priuignus successit: qui iure hereditario ex dicto pacto vult agere contra nouercam suam, & eam cogere, vt pignus luat. quæritur, an possit. Imperator distinguit, vtrùm mulier dictum fundum in dotem dederit inæstimatum an æstimatum. Priori casu actionem contra mulierem denegat, posteriori concedit. differentiæ rationem explicabo enarrans verba legis.

Ait, *Fundum*. Subaudi, creditoribus mulieris pigneratum pro vsuris ab eadem muliere debitis. Ait, *In dotem daret*. Subaudi, inæstimatum, quo casu fundus est verè & propriè dotalis. Cùm autem datur in dotem æstimatus, tunc æstimatio potiùs quàm fundus dotalis est. Ait, *Creditoribus*. subaudi mulieris, quibus fuerant prædia obligata. Ait, *Prædia*, id est, dictus fundus in dotem datus. fortasse ait, *prædia* quia mulier non solùm hunc fundum, sed omnia prædia sua obligauerat: verùm In præsentia de fundo tantùm quæstio est. Ait, *obligata* à muliere. Ait, *solueret*, ipsa mulier, vt sequentia verba ostendunt.

Ait, *Actio tibi*, &c. Obserua Imperatorem non denegare actionem marito, qui fundum in dotem accepit, sed mariti filio, qui erat mulieris priuignus. subaudiendum est, cum fuisse heredem patris sui: alioquin tota quæstio esset inanis, nec posset ad eum pactum propositum pertinere. Videndum igitur est, an ipse maritus viuens potuisset agere ex dicto pacto. hinc enim intelligemus, quæ sit ratio dubitandi, & quæ ratio decidendi in specie proposita. Non enim existimandum est, propositum pactum esse iniustum, ideóque non valere. immo tale pactum vtile est, D. h. tit. l. epistola. 52. §. pactum, præsertim cùm sit adiectum rei traditioni, quæ res maximè confirmat pacta, D. eod. l. in traditionibus, 48. & multò magis vtilis est stipulatio. Quare nulla ratio est, cur dicamus, ex dicto pacto traditioni adiecto, vel ex stipulatione subsecuta, marito actionem denegari. Atque hinc sumitur ratio dubitandi. nam si maritus habuit actionem, etiam filius idémque heres agere potest, si quidem heres succedit in omne ius defuncti, D. de acq. hered. l. heres in omne. 37. Contrariū tamen respondetur, hoc casu heredem non agere. Maritus enim ideo agere poterat contra mulierem: quia ipsius mariti interérat lui pignus, ne sibi adimeretur à creditoribus per actionem hypothecariam, quæ datur contra quemuis possessorem, D. de pignor. l. si fundus. 16. §. in vindicatione. nec marito prodest, quod ipse cum creditoribus non contraxit: quia ius hypothecæ sequitur fundum, ita vt fundus cum sua causa transferit ad maritum, D. eod. l. debitorem. 15. & de pign. act. l. si conuenerit. 18. Heredis alia ratio est: quoniam ipsius nihil interest, eò quòd morte mariti solutum est matrimonium, ideoque dos mulieri reddi debet. Idemque dicendum esset de ipso marito, si matrimonium non morte mariti, sed diuortio solutum fuisset sine culpa mulieris. cùm enim fundum mulieri teddere deberet, non posset eam cogere, vt fundum liberaret, seu pignus lueret. Hinc soluamus obiectionem supr. propositam: Heres succedit in vniuersum ius mariti: ergo eius iure vti debet. Rectè hoc dicitur, modò rectè intelligatur. Nam ipse quoque maritus soluto matrimonio, non habet actionem contra mulierem: ergo similiter

liter heres eius non habebit. Ait, *Actio tibi aduersus eam competere non potest.* supple, vt mulier cogatur soluere vsuras, & luere fundum. Ait, *Etsi pactum in stipulationem deductum probetur.* Stipulatio hoc casu non prodest heredi mariti: quia (vt exposui) eius nihil interest: hęc autem stipulatio est stipulatio facti, id est, faciendæ solutionis & luendi pignoris, ex qua, nisi fiat id quod promissum est, debetur id quod interest, adeò vt, nisi intersit, nihil peti possit, D. de re iud. l. si quis ab alio. 13. §. 1. & de verb. oblig. l. si pœnam. 68. l. stipulationes non diuiduntur. 72. in pr. & l. quoties quis. 81. Ait, *Sed si fundus æstimatus.* Sequitur secunda species seu secundum membrum distinctionis, nempe cùm fundus datus est in dotem æstimatus. Ait, *Instrumenti.* subaudi, dotalis. Ait, *In dotem datus est.* supple, adiecto dicto pacto, vt mulier vsuras solueret. Ait, *Ex vendito actio competit.* Primùm oppono l. 1. infr. sine cens. vel reliquis, quam supr. diximus esse conferendam cum hac l. ibi namque dicitur, actionem non competere. Quidam putant negationem ibi delendam esse, eò quòd sit eadem lex, & eadem species. quibus ego non assentior. Quamuis enim species sit ferè eadem, tamen in eo differt, quòd ibi agitur de tributis, hìc de vsuris, inter quæ est magna differentia. Nam tributa sunt onus prædij, & necessariò sequuntur prædium, ita vt sine eis prædium alienari non possit, tito illo tit. sine cens. vel reliqu. vsuræ autem a persona debentur, licèt earum nomine prædia sint pignerata. Pactum igitur de tributis non ita valet, vt pactum de vsuris: sed necesse est, vt maritus accipiens fundum, soluat tributa, quod onus per pactum non potest transferri in mulierem. vsurarum autem obligatio cohæret personæ mulieris, quãuis prædium pigneratum transtulerit ad maritum, propterea valet pactum vt mulier eas vsuras soluat. Et, quod dixi, translato fundo, necessariò in accipientem transferri onus soluendorum tributorum, obijciet fortasse aliquis l. epistola. 52. §. pactũ, D. h. t. vbi prædium pignori datur creditori, addito pacto, vt ipse debitor soluat tributa: idque pactum dicitur esse iustum, & valere. Respondeo, ibi pactum valere: quia debitor non alienauit fundum, sed retinuit dominium, licèt eum pignori dederit, inf. de pign. act. l. pignus. 9. ratione igitur dominij retenti rectè oneratur tributis soluendis. Alia ratio est eius, qui fundum alienat, & dominium transfert, vt in casu nostro, & in d. l. 1. infr. sine cons. vel reliq.

Secundò oppono, quod ex pacto non datur actio, D. hoc t. l. 7. §. sed cum nulla. & infr. de loca. l. si tibi. 27. ergo licèt fundus æstimatus fuerit, tamen, si stipulatio subiecta non sit, non videtur actio danda esse. Solutio: Opposita regula pertinet ad pactum nudum: in casu autem proposito est lex contractus, nempe datæ dotis: vnde meritò datur actio, supr. l. prox. Tertiò oppono, quod hac ratione non debet dari actio ex vendito, sed præscriptis verbis: quia datio dotis non est venditio. Solutio: In casu proposito venditio est propter æstimationem, quoniam æstimatio habetur pro venditione, id est, qui rem æstimatam dat vt pretium accipiat, intelligitur eam vendere: atque ita mulier, quæ fundum æstimatum dat in dotem, intelligitur vẽdere fundum marito, & eius precium doti constituere, D. loc. l. 3. & de iur. dot. l. plerumque 10. §. pen. Quartò oppono: quia secundum hanc rationem non debet dari actio ex vendito, sed ex empto. actio namque ex empto datur emptori, D. de act. empt. l. ex empto. 11. in princ. actio ex vendito competit venditori, D. eo. l. Iulianus. 13. §. ex vendito. atqui hìc datur actio heredi emptoris, id est, mariti. ergo est actio ex empto, non ex vendito. Solutio: Actio ex vendito hoc loco accipienda est pro actione ex empto, vt & in l. 4. §. pen. D. de le commiss.

A Ratio autem cur actio ex vendito interdum ita accipiatur, duplex afferri potest. Altera: quia veteres empti & venditi vocabulis promiscuè vtebantur, D. de act. emp. l. veteres. 19. Altera: quia sicuti dicor, agere contra te ex empto, quia à te emi; sic dici potest, me agere cõtra te ex vendito, id est, quia mihi vendidisti. Denique cùm hæc actio vocatur ex empto, vtimur nomine huius actionis proprio: cùm autem eandem vocamus ex vendito, non tam significamus nomen actionis, quàm causam, ac si diceremus agi ex venditione. Eadem ratio & eadem distinctio est actionis ex stipulatu, vt explicabitur in l. si pacto. 14.

Quæro, cur hoc casu, quo fundus æstimatus in dotem datus est, competit actio heredi mariti; superiori autem casu, quo fundus datus erat inæstimatus, actio B denegata fuit. Differentiæ ratio est: quia actio ei datur, cuius interest: & superiori quidem casu nihil dicti heredis intererat, pigneratum fundum lui a muliere, quia tenebatur eundem fundum ipsi restituere: hoc autem posteriori casu interest heredis, quia non restituit, sed retinet fundum, mulieri autem restituit æstimationem, infr. de iur. dot. l. 5.

Ad L. pacta nouissima 12.

IN hac lege conferuntur duo pacta inter se de eadem re facta: & quæritur, vtrum sit potius. Respondetur, seruandum esse posterius. Continet autem hæc lex thesim, & hypothesim. In thesi proponitur hæc regula, *Pacta nouissima seruari oportere.* Pro interpretatione C huius regulæ quatuor sunt notanda. I. Hæc regula sic est accipienda, quasi Imper. diceret, sola pacta nouissima seruari, non pacta priora: alioquin illatio, quæ fit in vers quapropter. vbi Imper. transit à thesi ad hypothesim, praua esset. II. Hìc agitur de pactis contrariis: alioqui plura pacta inter easdem personas diuersis temporibus facta valere, nihil prohibet. Similiter, quod dicitur in l. vlt. D. de constitu. princ. constitutiones posteriores esse prioribus potiores, debet intelligi de constitutionibus contrariis: alioqui eadem est omnium constitutionum vis, quocumque tempore fuerint conditæ. III. Nostra regula pertinet ad pacta iurisgentium. Nam si prius pactum sit legitimum, ideóque sustulerit obligationem præcedentem ipso iure, quale est pactum ne agatur iniuriarum, vel furti, D D. h. tit. l. si tibi. 17. §. 1. eius modi pactum seruatur, & potius est pacto posteriori, immo posterius pactum de agendo non valet, D. eod. l. si vnus. 27. §. pactus. nisi sit de contractu, qui nudo consensu constet, vt eum quodãmodò renouare videatur. D. eo. l. 7. §. adeo. IV. Quod diximus, sola pacta nouissima esse seruanda, sic debet intelligi, vt respiciamus ad effectum. Nam prius pactum non tollitur ipso iure per pactum posterius contrarium, sed eo non obstante nihilominùs parit exceptionem: verùm dicitur non valere, siue esse irritum, quatenus hæc exceptio eliditur per replicationem posterioris pacti, d. l. si vnus. §. pactus. His notatis, videamus, cur sola pacta nouissima seruentur. Ait lex, *Tam iuris quàm ipsius rei æquitas postulat.* Ratio igitur duplex E est: altera æquitatis, altera iuris. Interdum enim hæ rationes concurrunt, vt in l. 4. supr. de eden. Æquitas est euidens: quia pacta valent ex consensu: & cùm posteriori pacto recesserint à priori consensu, æquum est, hoc ipsum seruari, quod ita conuenit. De iure videamus. Ius ciuile hìc intelligi non potest, cùm regulariter iure ciuili pacta non confirmentur: ius autem prætorium non magis videtur confirmare pacta posteriora, quàm priora: quia prætor generaliter edixit, *pacta conuenta seruabo.* Respondeo, prætorem seruare omnia pacta, atque adeò etiam pacta contraria tam priora, quàm

quàm posteriora,sed non cum effectu,quia hoc est impossibile.putà fieri non potest, vt petatur,& non petatur.prætor igitur seruat pactum prius, quatenus ex eo dat exceptionem: & multo magis seruat pactum posterius,quatenus ex eo dat replicationem: & quia replicatio tollit exceptionem,hinc est,quòd pactum posterius tollit prius.hæc est ratio iuris, quam Imperator hîc innuit.

Ait, *Quapropter si conuentione*,&c.Hactenus thesis:sequitur hypothesis, quæ continet tres conuentiones: prima est contractus,putà stipulatio, vel mutuum: secunda est pactum de non petendo: tertia est pactum de petendo. Imperator docet, actionem ex prima conuentione esse efficacem: quia exceptio competens ex secunda conuentione eliditur per replicationem ex tertia conuentione. Ait, *Conuentione, quæ præcessit*. Hæc est conuentio prima, id est,contractus.Ait, *Consensit*, secunda conuentione,id est,pacto de non petendo.Ait, *Super prima conuentione*, id est,quæ oritur ex contractu mutui,vel stipulationis. Ait, *Exercere*. subaudi,cum effectu.

Ad L. in bonæ fidei. 13.

HÆc lex pertinet ad explicandum effectum pactorum.Continet autem duas regulas:quarum prior est: Pactum in continenti, id est,contractus tempore factum,parit actionem:posterior, pactum ex interuallo factum,non parit actionem, sed exceptionem. Pro interpretatione harum regularum primo loco videndum est,quid sit in continenti, & quid ex interuallo. Quod attinet ad ipsa vocabula, non solùm dicitur pactum factum in continenti,vt hac l.vel ex continenti, vt in l.7.§.quin immo, D. eod.sed etiam eodem sensu dicitur factum tempore contractus,infr. de pact. inter empt.l.pen.vel initio contractus,infr.eod.l.5.vel in ingressu contractus, d.l.7. §. quin immo. vel in ipso negotio, putà in ipso negotio venditionis, D. hoc tit. l. pacisci. 31. Quod autem hîc appellatur pactum postea factum, alibi dicitur factum ex interuallo, d. l. 7. §. quin immo. videndum igitur, quomodo hæc accipiantur. Reperio tres Doctorum opiniones. Quidam putant, ea tantum pacta fieri in continenti, quæ fiunt ante perfectum contractum, mori illis appellationibus, initio contractus, in ingressu contractus.si igitur post perfectum contractum, quamuis in continenti,& nullo tempore interiecto, pactum factũ fuit,tamen negant fieri in continenti, immo illud vocant pactum ex interuallo factum, adeò vt valeat solùm ad excipiendum, non ad agendum. Alij verò hoc etiam pactum dicunt fieri in continenti, quia ex continenti sequitur contractum.Tertij eò ampliùs,pactum in continenti factum appellant, quamuis modico temporis interuallo interiecto sequatur contractum, dummodo nullus actus extraneus interiiciatur. Hanc postremam sententiam probo. Nam dubitari non potest,quin pactum fiat in continenti,si fiat ante contractum perfectum, & in hoc omnes consentiunt. quod verò attinet ad pactum, quod statim sequitur contractum perfectum,perspicuũ est, hoc etiam fieri in continenti:siquidem Vlp. in d. l. 7. §. quin immo.ea pacta inquit inesse contractibus,quæ ex continenti subsecuta sunt.Est enim voluntaria & reiicienda interpretatio eorum,qui dicunt,pacta ibi subsequi non contractum, sed primum initium faciendi contractus,id est,primam illam tractationem & negotiationem de contractu faciendo. Sed apertiùs hæc sententia probatur l.lecta. 40. D. de reb. cred. vbi proponitur exemplum pacti, quod secutum est contractum perfectum, & quidem contractum stricti iuris; nihilominus tamen dicitur,

A esse factum in continenti, & inesse contractui. Plus existimo, etiam pactum factum post modicum internallum,non interiecto actu extraneo,videri factum ex continenti, neglecto eo modico interuallo, ac si non esset interiectum,arg.l.6.§.vlt.D.de duob.re.& l.ratum 15. D.de solutio. Non moueor, eò quòd pactum tum dicitur in continenti factum,cùm fit initio cõtractus, siue in ingressu contractus:quoniam initiũ contractus non est præparatio ad contractum faciendum, quemadmodum vocatio in ius,& ceteræ præparationes non sunt principia iudicij, sed principium constituitur in litis contestatione,inf. de litis contest.l.1. & D.ra.rem habe.l.ampliùs.15. Aliud igitur est, præparatio: aliud est principium. Quare sic statuo:Cùm in contractibus duo præcipuè spectentur,perfectio, & implementum:
B (vt venditio perficitur nudo consensu, impletur autem re,non consensu, id est, cùm emptor soluit precium,venditor tradit rem venditam) pactum dicitur factum initio contractus, seu tempore contractus, quod tunc fit,cùm contractus perficitur. Ex his apparet, quod sit pactum factum ex continenti: consequenter apparet,quodnam dicatur factum ex interuallo:quia cognito vno contrariorum, cognoscitur & reliquum. Consequenter videamus quæ sit ratio prioris regulæ, id est, cur ex pacto in continenti facto detur actio.

. Ratio est: quia pactum in continenti factum inest contractu, & est pars contractus, adeò vt dicatur informare contractum,& actionem ex eo contractu,d.l. 7.§.quin immo. & D. de contr. empt. l. pacta conuenta.72.
C Tertiò quæro,quænam actio detur vi talis pacti. Primò datur actio ex eo contractu, cui pactum adiectum est,vt putà,si adiectum sit emptioni & venditioni,datur actio ex empto vendito,supr.h.t.l.ex conuentione.11.& D.de contrah. empt. l. fundi.79. & de act. empt.l.6.§. 1. Præterea datur,& cum dicta actione cõcurrit actio præscriptis verbis, vtputà si vendam tibi fundum hoc pacto, vt si tibi intra annum pretium restituero,reddas mihi fundum:hinc tam ex vendito agi potest,quàm præscriptis verbis,inf.de pact.inter empt. l.2. Quartò quæro, an omne pactum in continenti factum pariat actionem. Nam hæc lex generaliter seu simpliciter loquitur:sed limitanda est& coangustanda. Etenim si in continenti fiat pactum de re à contractu separata, non pariet actionem. Opus igitur est, vt
D sit tale pactum, quod det legem contractui, vt loquitur Vlp.in d.l.7.§.quin immo.id est,vt pertineat ad ipsum contractum.Neque hoc sufficit,nisi etiam tale sit pactum, quod sit idoneum ad producẽdam actionem; quia scilicet auget & addit aliquid contractui,non detrahit. Denique debet esse pactum obligatorium.Nam pactum liberatorium in continenti factum, non parit actionem,sed ipso iure liberat. Quintò quæro,an hæc regula habeat locum in omnibus contractibus. Lex nostra ait,*in bonæ fidei contractibus*.itidémque Vlp. in d. l.7.§.quin immo loquitur de solis iudiciis bonæ fidei. Cùm igitur hoc ponatur tanquam proprium contractuum bonæ fidei, à contrario sensu intelligitur secus esse in contractibus stricti iuris. vtputà do tibi mutuò decem,hoc pacto vt reddas vndecim:tale pactum non
E valet:quia adiectum est mutuo stricti iuris contractui, D.h.t.l.si tibi.17.in pr.& de verb.obl.l.rogasti. 11. §. 1. Similiter pactum in continenti adiectum stipulationi non valet ad agendum.quod enim in stipulatione prætermissum est,non venit in obligationem, licèt pacto comprehensum fuerit, D. de verb. obl.l.quicquid adstringenda.99.Huic sententiæ opponitur l. petens. 27. infr. h.t. Ad quam facile est respondere: quoniam ibi non agitur ex pacto stipulationi adiecto,sed ex ipsa stipulatione cõfirmante pactum, id est,quia illud ipsum,

de

de quo conuenit pacto nudo, etiamsi in stipulationem deductum fuit; secus autem esset, si pactum adderet stipulationi aliquid, quod non esset ipsa stipulatione comprehensum. Præterea opponitur d. l. lecta, D.de reb. cred. vbi proponitur pactum in continenti stipulationem subsecutum: & Paulus reprobat eorum sententiam, qui putabant pactum illud parere tantum exceptionem. vnde videtur colligi, ex tali pacto non tātùm dari exceptionem, sed etiam actionem. Solutio: Paulus illis verbis non respexit ad actionem, sed potiùs ad liberationem ipso iure contingentem loquebatur: enim de pacto liberatorio inepto ad pariendam actionem: & quia per tale pactum obligatio sortis tollitur seu differtur ipso iure, inde ostendit necessariò tolli, seu differri etiam obligationem vsurarum, quæ non consistit sine principali obligatione sortis. Sic igitur concludo: Pactum in continenti adiectum contractui stricti iuris, potest parere liberationem, ita vt non sit opus exceptione. non tamen potest producere actionem. Nec potest argui à liberatione ad obligationem: quia liberatio est fauorabilior, & faciliùs admittitur, D.de oblig.& act.l.Arrianus.47.Hæc dicta sint de prima regula. Altera regula est, pactum ex interuallo temporis factum, non parit actionem, sed exceptionem. Hæc regula producitur, vt procedat, I. Non solùm in contractibus stricti iuris, sed etiam bonæ fidei, vt ex hac lege apparet. II. Non solùm in pactis detrahentibus de obligatione, sed etiam de pactis adiicientibus. Exempli gratia, emi à te fundum, & ex interuallo pactus sum, vt euictionis nomine mihi des fideiussorem. ex hoc pacto non possum agere, & fideiussorem petere: quia cùm sit factum ex interuallo, non est pars contractus, sed est pactum nudum, quod nō valet ad agendum. Verùm si à te conueniar actione ex vendito, & petas pretium, non aliter tibi soluere cogar, quàm si fideiussorem euictionis dederis. tibi enim agēti obstat dicti pacti exceptio. Sunt etiam quædam exceptiones huius regulæ. Non solùm enim si pactum sit inutile, putà contra leges vel bonos mores factum, non proderit ad excipiendum: sed etiam quædam sunt pacta, quæ magis valent, quàm vt pariant exceptionem. Interdum enim pacta ex interuallo facta liberant ipso iure sine ope exceptionis: quod contingit duobus casibus. Vnus est, si sit pactum legitimum, D.h.t.l.6.putà ne agatur furti, vel, ne agatur iniuriarum: hæc enim pacta, quia lege xij. tab. confirmantur, actionem ipso iure tollunt, D. eod. l. si tibi. 17. §.1. Alter casus est, si præcesserit contractus nudo consensu constans, vt emptio & venditio. Nam si re integra pactum fiat, vt res sit inempta, contractus dissoluitur ipso iure, D. eod.d. l.7.§.adeo.& l.ab emptione. 58. Quòd si quid adiiciat substantiæ emptionis, ideo valet ad agendum, quia contractum quodammodo renouat, ita vt videatur factus incontinenti, d.l.7.§.adeo, d.l.pacta conuenta.

Ad L. Si pacto. 14.

STipulatio confirmat pactum duobus modis. I. Si id ipsum promittatur, de quo pacto conuenit, inf. h.t. l.petens.27.& l.seq.& D.eo.l.diuisionis.45. II. Si promittatur certa pœna, D.de transact.l.pacto.15. & l.seq. vel promittatur quanti ea res est, nisi fiat id, de quo cōuenit, infr.de contrah.stipul.l.5. III. Si vt in specie huius legis, primùm interponatur pactum de re aliqua, vel facto aliquo; deinde subiiciatur alterum pactum, quo conueniat de pœna soluenda, nisi priori pacto satisfiat: denique subiiciatur stipulatio, per quam promittatur ead. pœna sub eadem conditione, nisi id fiat, de quo conuenit priori pacto. hoc casu neque ex primo, neque ex secundo pacto agi potest, sed ex stipula-

A tione subiecta debet peti pœna, & huius pœnæ metu fortasse aduersarius faciet id, de quo primò conuenit. Sic enim pœnam vitare potest. hac igitur ratione fit, vt vel id, vel pœnam consequamur. Hæc est sententia huius legis.

Ait, *Si pacto.* hoc est, pacto posteriori. Ait, *Si placito non stetisset*, id est, nisi satisfecisset priori pacto. Ait, *Stipulatio subiecta est*; per quam eadem pœna promissa fuit sub ead. conditione. Ait, *Ex stipulatu agens.* Tacitè innuit, ex dictis pactis non posse agi: quia sunt pacta nuda. Sed oppono, quod stipulatio pœnalis est certa, D. de verb. oblig. l. si pœnam. 68. ergo non est agendum ex stipulatu, sed certi condictione, Instit.de verb. oblig.in princ. & D. de reb. cred. l. si quis certum. 24. Solutio: Actio ex stipulatu late hîc accipitur, vt significet quamcumque actionem ex stipulatione competentem: quomodo accipitur etiam in l. prædiæ. 28. D. de act.empti.& in l.inter stipulantem. 83. §.si rem, D. de verb.oblig.& cùm dicitur dotem repeti actione ex stipulatu, infr.de rei vxor.act.l.vn.& Inst.de act.§.fuerat. Nam stipulatus pro stipulatione accipitur, vt in l. pecunia.9.D.de vsur. Quare vtimur vocabulo actionis ex stipulatu, non vt significemus proprium nomen actionis, quia propriè vocatur certi condictio, sed vt declaremus eius originem, quæ ex stipulatione descendit. Similis interpretatio fuit actionis ex vendito in l. ex conuentione. 11.sup.h.t. Ait, *In conuentionem*, id est, in primum pactum. Ait, *Vt fiat, consequeris.* Non dicit, petes, vel, exiges, vt mox dicet de pœna; sed, *consequeris*: quia hoc non est in obligatione, (loquor de obligatione ciuili ex stipulatione) sed in solutione tantùm: quatenus aduersarius potest id soluendo vitare pœnam promissam, dummodò soluat ante litem contestatam, D.de penu leg.l.1.& D.quan.dies lega.ced. l. cùm fine. 19.& de verbor. oblig. l. si Titius. 9. ergo id consequeris, non quia id potes petere, sed quia aduersarius id metu pœnæ soluet. Ait, *Vel pœnam stipulatione comprehensam exiges.* Nota primò, hæc verba referri ad superiora illa verba, *ex stipulatu agens*. Actione igitur ex stipulatione exiges hanc pœnam. Nota secundò differentiam inter petere, & exigere. Nam si ad petitionem respiciamus, solam pœnam petis. Si verò ad exactionem, alternatè exigis, vel id de quo conuenit, vel pœnam; quoniam electio est debitoris vsque ad litem contestatam, vt supr. notaui. Nota tertiò, verbum agens, non significat hîc litis contestationem, sed tantùm litem motam, infr. de contrah. stipul.l.5. quia post litem contestatam hæc alternatio cessat, & omnimodò pœna exigitur. Denique in casu proposito pœna promissa est sub conditione, nisi primo pacto satisfiat: ergo non debetur, nisi post conditionem impletam: tunc autem impletur, cùm aduersarius interpellatus non soluit, D. quando dies leg.ced.l.si pœnam. 24. & de verb. oblig. l.ita stipulatus. 115. quamquàm & pœnam commissam vitare potest, si moram purget ante litem contestatam, secundum ea, quæ paulò ante notaui. Ait, *More iudiciorum.* Sequentia verba ostendunt, Cælium, ad quem hoc rescriptum missum est, supplicasse principi, vt statim, neglecto iudiciorum ordine, bona aduersarij in se transferrentur, propter fidem ab eo non præstitam. Ratio huius petitionis videtur fuisse: quia hîc Cælius erat miles, vt inscriptio legis ostendit. id ergo petiit, ne, dum cogeretur litigare, auocaretur à militari disciplina. Sed preces Cælij non admittuntur: quia priuilegia militum non eo vsque producuntur. Etenim beneficia principum intelliguntur concedi sine præiudicio tertij, D.ne quid in lo.publ.l.2.§. si quis à principe. & ne in totum videantur tollere ius commune, infr.de inoff.testa.l.si quando.35.in princ.

Ait, *Citra solemnem ordinem.* Hic ordo partim spectatur

tur in iudicio exercendo, partim in executione iudicij post condemnationem faciendam, de cuius executionis ordine vide l. à Diuo Pio. 15. D. de re iud.

Ad L. pactum. 15.

PAter cùm filiam nuptui collocaret, & eo nomine dotem daret, pactus est, vt, si viua filia decederet, ea sibi succederet in portionem virilem, id est, æqualem cum fratribus suis. quæritur, an hoc pactum valeat. Prima facie videtur valere. Primò quia appositum est contractui, id est, dationi dotis, quæ vocatur contractus, D. de diu. reg. iur. l. contractus. 23. & alibi quoque traditur, quodcumque pactum in re tradenda valere, l. in traditionibus, D. h. t. Præterea fauet huic pacto, quòd pertinet ad æqualitatem inter liberos conseruandam, quod æquissimum & iustissimum videtur. His tamen non obstantibus, contrarium respondetur, nempe pactum propositum esse nullius momenti. Quod ita accipio, vt pactum omnino non valeat, id est, ipso iure non valeat, nec opus sit, vt exceptione aliqua infirmetur. Ratio est, quæ innuitur in postremis verbis legis: quia testamenti factio est iuris publici, D. qui testa. fac. poss. l. 3. ius autem publicum non potest priuatorum pactis mutari, D. h. tit. l. ius publicum. 38. Ead. ratione improbatur pactum, vt filia contenta dote renunciet successioni paternæ. Omnis enim successio est iuris publici, ita vt pacto tolli, vel mutari nequeat, infr. de collatio. l. 3. & D. de suis & legit. l. vltim. quamquam hoc posterius pactum iure canonico sustinetur, si iureiurando firmatum fuerit, extr. de pact. c. 2. lib. 6. Non obstat, quod dicebamus, hoc non esse pactum nudum, sed legem contractus: quia ne contractibus quidem potest constringi libertas testandi, D. pro socio. l. cum duobus. 52. §. idem respondit societatem. Secundò non obstat, quod dicebatur, hoc pactum esse æquum, vt æqualitas inter liberos seruetur. Non enim pactum hoc reprobatur, quasi iniquum, sed quia pactum est de eo, quod pertinet ad ius publicum. Vnde colligitur, falsam esse communem Doctorum interpretationem, qui putant, hoc pactum esse contra bonos mores. quæ sententia si vera esset, admodum absurdè Leo Imper. Nouella constitutione. 19. illud confirmaret. Nec verum est, quod Doct. putant, omne pactum de hereditate viuentis, esse turpe, alioqui ne inter milites quidem valeret, infr. de testam. mil. l. miles ita. 41. §. 1. eiusmodi tamen pactum inter milites valere constat ex l. licet. 19. infr. h. t. Sed videamus, quibus auctoritatibus Doctores probent suam sententiam. I. Citant l. vltim. infr. h. t. quam legem contra eos retorqueo. Ibi namque pactum de hereditate viuentis dicitur turpe sub hac conditione, nisi is consentiat, de cuius hereditate agitur: atqui in casu nostro, consentiente patre pactum est factum de eius hereditate. non est igitur contra bonos mores. I I. Mouentur Doctor. l. 4. infr. de inutilibus stipul. vbi reprobatur pactum de succedendo, tamquàm factum contra bonos mores. & l. stipulatio hoc modo. 61. D. de verbor. oblig. vbi similiter reprobatur stipulatio facta sub conditione, si me heredem non feceris, quasi bonis moribus repugnans. Respondeo, ibi agi de pacto vel stipulatione eius, qui erat extraneus, nec habebat legitimam successionis spem: verùm conuentione successionem sibi parare volebat: hic autem loquimur de filia, quæ non paciscitur de succedendo, siue vt succedat, sed de modo succedendi, vt æqualiter succedat cum fratribus suis. Successio namque satis ei debetur, & natura & ex voto patris, D. de inoff. testa. l. nam etsi parentibus. 15. Postremò Doctor. allegant l. 2. §. interdum, D. de vulg. & pupill. & l. ita tamen. 27. §. à patre, D. ad S. C. Trebell.

A quibus locis dicitur, improbum esse eum, qui est sollicitus de hereditate viuentis. Respondeo, ibi agi de substituto pupillariter, qui non vocatur ad hereditatem pupilli, nisi ille in ætate pupillari moriatur. improbè igitur facit, si cogere vult heredem scriptum adire, vt confirmentur tabulæ pupillares, atque ita fit sollicitus de pupilli adhuc viuentis hereditate, cuius legitimam spem non habet. immò si id admitteretur, periculum aliquod crearetur pupillo. Concludo distinguendum esse inter eum qui legitimam succedendi spem habet, & eum qui talem spem non habet. Nam hic malè paciscitur, vt succedat: ille autem non improbè paciscitur, vt æqualiter succedat. vtrùm igitur hoc pactum valeat, néne, est iuris positiui: proinde mirum non

B est, si iure Iustinianeo reprobetur, & à Leone confirmetur.

Ad L. Cùm proponas. 16.

SIcut pacto remitti potest spes simplicis fideicommissi, supr. h. t. l. 1. ita etiam fideicommissi reciproci, vt hic, & infr. tit. prox. l. de fideicommisso. 11. quamquàm Paulus contrarium tradit, lib. 4. sententiar. tit. 1. §. rogati. vt notaui ad d. l. 1.

Ad L. Pactum. 17.

COnuentiones regulariter non requirunt scripturam, D. de pign. l. 4. & de probat. l. 4. pactum igitur sine scriptura meritò valet. nec refert, vtrùm scri-

C ptura, an aliis modis probetur, vt hic, & infr. tit. prox. l. 5. Hanc autem legem, quia generaliter loquitur, generaliter accipio, id est, tam de pacto nudo, quàm de eo, quod inest contractu. nec distinguo, vtrùm sit contractus bonæ fidei, an stricti iuris. immo nec distinguo, vtrùm sit contractus scriptus, an absque scriptura confectus. Indistinctè enim pactum sine scriptura valet. Excipe pacta informantia contractum emphyteuticum: hæc enim requirunt scripturam, infr. de iur. emphy. l. 1. & 2. Non dico, vt Doctor. dicunt, contractum emphyteuticum requirere scripturam: nullæ enim leges hoc dicunt: & cùm emphyteusis sit species locationis, perficitur nudo consensu. Tunc igitur solùm requiritur scriptura, cùm adduntur noua pacta tribuentia huic contractui nouam formam, vt perspicuè constituitur d. l. 1. & 2.

D *Ad L. Si creditores. 18.*

IVlius & Æmilius se correos debendi constituerunt, Titio & Mæuio stipulantibus. Nam verba legis ostendunt esse duos reos debendi, & duos reos credendi. quæstio tamen oritur solùm ex eo, quòd sunt duo rei debendi. Ceterùm eadem esset quæstio, & eadem ratio, si poneremus vnum reum stipulantem. iidem Iulius & Æmilius vice mutua fideiusserunt, ita vt conueniri à creditoribus possint vel ambo pro partibus, vel vnus in solidum suo nomine, vel vnus in solidum, partim suo, partim fideiussorio nomine, D. de duob. reis. l. reos. 11. in princ. postea Iulius pro sua persona, id est,

E vt se liberaret, dimidiam debiti partem creditoribus soluit. certum est, hanc dimidiam non posse ampliùs peti, neque ab eodem Iulio, neque à correo Æmilio. sed quæstio oritur de altera dimidia. Rursus non est dubium, quin hæc dimidia, quæ manet in obligatione, possit peti ab Æmilio, qui nihil soluit. Sed quæritur, an possit peti à Iulio, quemadmodum ab initio solidum ab eo peti poterat. Nam soluta parte, manet obligatio residui, D. de solut. l. stipulatus. 9. §. 1. Insuper addo, in specie Imperatoribus proposita non fuisse quæsitũ, an Iulius in residuum cõueniri possit suo nomine:

supponitur

supponitur com ita non posse conueniri: quoniam creditores dum ab eo pro sua persona soluente, partem acceperunt, obligationem siue actionem suam diuiserunt, non quidem ipso iure, sed ope exceptionis, qua submouebuntur, si quid ampliùs à Iulio petant, tanquàm à reo principali, arg. l. inter. 51. §. 1. D. de fideiuss. consequenter non possunt eam redintegrare, ita vt solidum ab eodem petant, infr. eod. l. libetum. 16. ergo in specie proposita superest, vt hoc tantùm quæsitum fuerit, an Iulios in residuum conueniri possit nomine fideiussorio, quia fideiussit pro Æmilio suo correo: vnde cùm Æmilius maneat in residuo obligatus, tamquam reus principalis, consequenter in eandem quantitatem videtur manere obligatus Iulius tamquam fideiussor. Contrarium tamen hîc respondetur, alterum pro altero, id est, Iulium pro Æmilio conueniri non posse: quia còm Iulius pro sua persona soluerit, non solùm id egisse videtur, vt se liberaret obligatione principali, sed etiam accessoria, id est, fideiussoria. ita autem interpretamur, vt extendamus liberationem, & restringamus obligationem; propterea quod liberatio est fauorabilis, obligatio verò odiosa, D. de oblig. & act. l. Arrianus. 47. nam fauorabilia sunt producenda, odia restringenda, D. de lib. & postu. l. cùm quidam. 19.

Huic legi opponitur l. reos. 23. infr. de fideiuss. quæ tamen nihil obstat: ibi namque tantùm traditur, creditorem habere electionem, vtrùm agat cootra reos principales, an contra mandatores, an pro partibus contra vtrosque, & vno electo seu conuento, alios non liberari. vtrùm autem eorum aliquis partem soluens possit exigi pro residuo, ibi nec quæritur, nec deciditur. Prætetea opponitur §. 1. l. si ex toto. 8. D. de legar. 3. vbi proponitur tale testamentum: *Titius heres meus, aut Meuius heres meus decem Seio date.* & eo casu Titius & Mæuius comparantur duobus reis promittendi. deciditur autem, si vnus eorum partem soluat, eundem posse exigi pro residuo, quod hac nostra lege negatur. Solutio: Species diuersæ sunt. Primò quia ibi agitur de duobus reis simpliciter constitutis: hîc verò de duobus reis, qui vice mutua fideiusserunt. Deinde quia ibi vnus ex reis simpliciter soluit pattem: hîc verò soluit pro sua persona, id est, vt suam personam obligatione liberaret. Quæro, an nostra lex possit accommodari duobus reis simpliciter acceptis. Respondeo, si ita species acciperetur, decisionem esse ineptam: quoniam in ea specie ab initio non potest reus pro altero conueniri. Nemo enim pro altero conuenitur, nisi pro eo se obligauerit, inf. ne vxor pro mar. l. 3. inanis igitur esset quæstio huius legis, & ineptè decideretur, non posse alterum pro altero exigi, quia pars ab vno soluta fuit pro sua persona.

Ait, *Ne alter pro altero exigatur.* Subaudi, in residuum quod debetur.

Ait, *Rector prouinciæ prouidebit.* Obserua, quòd lex non dicit alterum pro altero non posse exigi, sed præsidem prouisurum ne exigatur: nempe quia non est liberatus ipso iure, sed ope exceptionis, vt supr. notaui, id est, quia dum soluit partem pro sua persona, videtur tacitè pacisci, ne altera pars à se petatur, id est, ne ipse ampliùs conueniatur aut principali, aut fideiussorio nomine. Vnde intelligimus hanc legem ad hunc tit. pertinere, quatenus est de pacto tacito.

Ad L. *licèt.* 19.

QVæstio huius l. est, an pactum inter duos factum, vt, vter eorum alteri superstes erit, eius rebus potiatur, vtile sit, & valeat. Lex distinguit inter priuatos,

A id est, paganos, & milites. Tale enim pactum inter paganos non valet, neque vt pactum siue actus inter viuos; quia pacto hereditas dari non potest, supr. hoc tit. l. pactum. 15. & infr. de pact. conuent. l. 5. neque vt donatio causa mortis. Quid ita: Lex nostra rationem innuit, dum ait, *ne donationis quidem mortis causa gestæ efficaciter speciem ostendat.* Ratio igitur est: quia proposita conuentio non habet speciem seu formam donationis causa mortis: quoniam hæc donatio ita fit, vt donator viuus rem ad donatarium transferat, aut saltem præseos præsenti tradat, D. de mort. cau. don. l. 2. l. inter. 38. in nostra autem specie nihil translatum est, nihil traditum donatario, sed tota conuentio collata est in tempus mortis, vt scilicet altero mortuo alter rebus eius potiatur. Hæc ita obseruantur inter paganos.
B Militum alia ratio est: quoniam eorum testamenta consistunt nuda voluntate, D. de testam. mil. l. 1. proinde hæc nuda voluntas & nudus consensus debet habere effectum. Hinc colligamus, pactum de futura successione non semper turpe esse, alioqui ne inter milites quidem valeret, vt notaui supr. ad l. pactum quod dotali.

Ad L. *Traditionibus.* 20.

HÆc lex continet duas regulas. Quarum prior est, Traditione & vsucapione dominium transferri, videlicèt in accipientem & vsucapientem. Altera est, Nudo pacto dominium non transferri. Vtraque regula eget interpretatione.

C Quod ad priorem regulam attinet, in primis notandum est, particulam *&*, non solùm pro coniunctione, sed etiam pro disiunctione accipiendam esse: quemadmodum è contrario particula *aut*, in interdicto quod vi aut clam, non solùm disiunctionis, sed etiam coniunctionis vim habet, D. quod vi aut clam. l. is qui. 11. §. interdictum. Nec nouum est, vt in iure accipiatur coniunctio pro disiunctione, & disiunctio pro coniunctione, D. de verb. signif. l. sæpe. 53. Ergo interdum dominium transfertur per traditionem sine vsucapione, nempe cùm ipse dominus, aut alius voluntate domini rem tradit, D. de acquir. rer. domi. l. qua ratione. 9. §. nihil. Inst. de rer. diu. §. nihil. Interdũ per vsucapionem sine traditione. nam vsucapio non requirit traditionem, sed possessionem, veluti si quis
D vsucapiat pro legato, D. pro lega. l. penultim. Interdum per traditionem simul & vsucapionem, nimirum cùm res à non domino ex iusta causa tradita est accipienti bona fide: quo casu constat procedere vsucapionem. Siue autem regula concipiatur de sola traditione, siue de traditione & vsucapione, necesse est subesse causam traditionis: alioqui nuda traditio, id est, sine causa seu titulo, non transfert dominium, D. de acquir. rer. dom. l. numquã 31. in pr. nec valet ad vsucapiendum. Prærerea opus est, vt sit causa idonea, putà venditionis, donationis, dotis. Nã si res ex causa depositi, vel commodati, vel alia simili tradatur: certi iuris est, eum, qui accipit, neque dominum fieri, neque posse vsucapere. Denique si res tradatur ex causa venditio-
E nis, requiritur vt emptor pretium soluerit, aut aliter venditori satisfecerit, aut eius fidem venditor secutus sit, D. de cõtrahend. empt. l. quod vendidi. 29. & Institut. de rer. diu. §. venditæ. Quod dixi, traditione dominia transferri, sic debet accipi, vt intelligatur transferri dominium, non solùm vera & propria traditione, sed etiam quasi traditione, veluti cùm traduntur claues apud horreum, transfertur dominium mercium, quæ in illo horreo sunt, perinde ac si ipsæ merces traderentur, D. de contrahend. empt.

l.clauibus.74.&Inst.de rer.diuis.§.item si quis merces. A Item traditis instrumentis auctoritatis, res ipsa tradita videtur,infr.de donat.l.1. Præterea res incorporales non recipiunt veram traditionem: sed domini patientia,& eius,qui acquirit, vsus loco traditionis habetur, D.de vsufr.l. 3.in princ.& D.de seruit.l.vltim. Quæro, sicut traditio sine causa non transfert dominium, vt supr.docui, an è contrario causa sine traditione similiter non transferat dominium? Respondeo distinguendum esse. Tria namque sunt genera causarum. Quædam nullo modo valent ad transferendum dominium,id est, nec per se,nec adiuncta traditione, vt depositum,commodatum, pignus. Aliæ valent ad dominium transferendum, non solæ & per se, sed merito traditionis, vt venditio,& similes causæ,infr.de rei vind.l.pe.& D.eo.l.si ager.& de verb.signi.l.alienatum. B 67. Aliæ denique causæ sine vlla traditione transferunt dominium,vt hereditas,Instit. per quas pers.nob. acquir.§.vltim. & D. de rei vindic. d.l.si ager.§.1.& de acquir.poss.l.cùm heredes.23.in pr.vt legatum,Inst.per quas pers. nob. d.§. vlt. & D.quemadmod. seru. amitt. l.si partem.19.§.1.& de lega.ij.l.legatum. 8. & de furt. l.à Titio.64.Vnde intelligitur, non omnes acquirendi modos in hac lege enumerari:quia dominium acquiri potest etiam sine traditione & sine vsucapione. Cur igitur Imperatores alios modos prætermiserunt? Vel quia voluerunt seruire quæstioni propositæ, qua dubitabatur, an pactum nudum sufficeret ad dominium transferendum sine traditione, & sine vsucapione:vel quia contenti fuerunt his duobus exemplis: quorum alterum referendum est ad ius gentium, nempe tradi- C tio;alterum ad ius ciuile, nempe vsucapio. Hæc de prima regula.

Transgrediamur ad secundam. Aiunt Imperatores, nudis pactis non transferri rerum dominium. Huc referri debet l.id quod nostrum.11. D.de diu.reg.iur.vbi proponitur hæc regula, Id, quod nostrum est,sine facto nostro à nobis transferri non potest.Sensus est,nostro consensu, & nostra voluntate non transferri dominium rerum nostrarum, nisi etiam factum nostrum (vt traditio) accedat. Quòd si generaliter ea regula acciperetur,falsa esset,cùm plurimi sint modi,per quos res nobis inuitis auferuntur sine facto nostro. Porrò pacta nuda hîc intellige,non angustè, vt in l.legem.10. supr.hoc tit. Sed latè, in qua significatione omnia pacta sunt nuda,vt etiam accipiuntur in l. 7. §. quin im- D mo, D.hoc tit.Pacta namque dominium non transferunt neque sola & per se, neque adiecta contractibus: quandoquidem ne quidem ipsi contractus solo consensu transferunt dominium, vt paulò antè notaui de venditione. Oppono, quòd nihil est tam naturale, quàm voluntatem domini volentis rem suam transferre,ratam haberi,D.de acquir.rer.domin.l.qua ratione.9.§.hæc quoque.& Instit.de rer.diu. §. per traditionem. Si igitur vendam tibi rem meam, & paciscar; vt tua fiat:ante traditionem videtur hæc voluntas rata esse debere. Respondeo, voluntatem domini volentis rem transferre,ita ratam haberi, quatenus legibus confirmatur: pactis autem leges non dederunt hanc vim,vt transferant rerum dominia, ne homines facilè rebus suis priuentur. Nec mirum, quod pactum non E transferat dominium, proinde non pariat rei vindicationem,cùm ne quidem actionem in personam regulariter pariat. Ad iura opposita respondeo, eà loqui, non de nuda voluntate seu nudo consensu, aut nudo pacto,sed de traditione facta à domino,vel ab alio domini consensu. Iam verò quod diximus, pactis nudis non transferri dominium, non debet ita produci, quasi pacto nudo non possit restitui dominium. hæc enim admittitur tribus casibus. I. Si ex pacto legis commissoriæ res fiat inempta. Nam dominium redit ad venditorem, ita vt habeat rei vindicationem, infr. de pact. inter empt. l. 4. II. Cùm res emptori in diem est addicta. Nam post oblatam meliorem conditionem, dominium redit ad venditorem, D. de rei vind.l.si quis hac lege. in pr. III.Si vēditor paciscatur de manuum iniectione: quia si contra pactum emptor fecerit, non solùm venditor potest rem vindicare, sed etiam propria auctoritate tamquàm dominus manus iniicere & abducere, D.de contrah. empt. l.si quis sub hoc. 56. Quod verò ad dominium de nouo acquirendum, seu transferendum attinet, necesse est traditionem aut veram, aut fictam aliquo modo interuenire. Nam & cùm paciscor, vt rei meæ, quæ apud te est, dominium tibi acquiratur, ideo dominium transfertur; quia possessio illa est loco traditionis; vel quia traditio præcedens ex alia causa, transfertur ad hanc nouam causam. vt putà rem apud te deposui,postea tibi vendidi:constat te dominium acquirere sine noua traditione,D.de acq.rer.dom.d.l.qua ratione.9.§.interdum.& l.si seruus.21.§.1.& de euict.l. si rem.62.in princ.

Ad L. *Cùm proponas.* 31.

IN hac lege agitur de placito diuisionis,id est, de pacto, vt res seu bona certo modo diuidantur. Apparet autem inter paciscentes fuisse aliquam controuersiam: quia transactionis causa dicuntur pacti esse. hoc igitur pactum transactionis causa de rebus æqualiter diuidendis factum est: putà inter heredem scriptum, & heredem legitimum,qui agebat de inofficioso testamento. Quæritur de vi huius pacti. Lex nostra tria docet. Primò, ex hoc pacto non dari actionem: secundò, ex eo dari exceptionem: tertiò, exceptionem ei non prodesse, qui fidem pacti non præstat: replicatione enim doli submouebitur exceptio pacti. Hæc tria non sunt propria propositi pacti & propositæ speciei, sed communiter pertinent ad omnes pactiones.

Ait lex, *Sine scriptura placuisse.* Pactum absque scriptura valere, didicimus ex l. pactum quod bona. 17. supr.hoc tit. Ait, *Placuisse diuidi.* Obserua, aliud esse diuisionem, quæ obtinet vicem emptionis, infr. commu. vtriusque iud.l.1.aliud, placitum diuisionis, quod est pactum nudum de diuisione facienda,infr. fam. ercisc. l.si diuisionem. 15. & D. h. tit.l.diuisionis.45. Sic aliud est permutatio, aliud placitum permutationis, infr. de rer. permut. l. 3.

Ait, *Nullam actionem natam esse.* Non obstat l. 7. supr. hoc tit. & l. 6. infr. tit. prox. & loca similia, quibus datur actio: quoniam ibi non est nudum pactum, sed contractus. vt in d. l. 6. est contractus innominatus, do vt facias, nempe do vt à lite discedas. meritò igitur, cessante stipulatione, agitur præscriptis verbis: hîc autem est pactum nudum: ideóque cessante stipulatione, nulla actio competit.

Ait, *Nec aduersario,&c.* Ne intelligas ex transactione beneficium, id est, exceptionem ipso iure non dari: sed datam exceptionem transactionis elidi per replicationem doli, siue in fraudem, infr. tit. proxim. l. siue apud acta. 28. Hæc igitur verba sunt accipienda cum effectu: *non est concedendum* vim; id est, vti cum effectu.

Ad L. *Pactum curatoris.* 22.

QVæritur, an pactum curatoris valeat. Distinguendū est. Aut enim paciscitur pro minore, veluti ne creditor

creditor minoris petat, & pactum omnino valet. aut paciscitur contra minorem, veluti ne petatur à debitore minoris, & eiusmodi pactum non valet, D.h.t.l.contra. 28. §. 1. Quod dixi, pactum contra minorem non valere, interpretatione indiget, ac subdistinctione. Aut enim curator paciscitur transigendi causa, quoniam erat obligatio dubia & controuersa: aut quia tantumdem, vel etiam plus in alia re consecutus est ab eodem debitore: aut donandi causa. Primo casu pactum valet, D. de furtis.l.si pignore.54.§.vltim. l.interdum.56.§.pe.dummodò ea transactio rectè, non deminuendi causa fiat, D.de administ.tut. l.Lucius. 46. §.vlt.Secundo quoque casu pactum valet, argum. d.l. contra, in fi.quia non nocet minori. Tertio autem casu pactum non valet, vt deciditur hac nostra lege: quia tutor vel curator non potest donare, infr. de adm. tut. l. non omni.16.& D.eod.l.tutor ad vtilitatem. 22. Differentiæ ratio est: quia tutor vel curator tum demum pro domino habetur, cùm administrat, non etiam cùm perdit, & pupillum vel minorem spoliat, D. pro empto. l. 7. §. si tutor. Similiter iusiurandum rectè tutor vel curator defert debitori pupilli vel minoris, ita demùm si aliæ probationes deficiant, D.de iureiur. l. tutor. 35. in princ. Quæ diximus de tutore & curatore, producuntur ad administratorem rerum ciuitatis, infr. tit.prox.l.præses.12. Ait, *Recipere*. Subaudi, à debitore minoris. Ait, *Minorē quantitatem*, quàm minori debeatur. Ergo tutor vel curator neque totum, neque partem donare potest. Ait, *Adultæ ætatis suffragium, ne noceat, efficiet*. Hæc verba non sunt ita accipienda, quasi opus sit restitutione in integrum ex titulo de minoribus. Cùm enim curator excesserit fines autoritatis sibi commissæ, pactum eius non valet ipso iure. Duplex igitur fauor minoris considerari potest, alter tribuens restitutionem, alter defendens minorem ipso iure. Ait, *Tutores enim*, &c. Caue accipias hæc verba, quasi contineant rationem decidendi. hæc enim ratio praua esset; Tutor vel curator potest exigere: ergo non potest pacisci. immo affirmatiuè consecutio est concipienda; Potest exigere, ergo potest pacisci, D. hoc tit. l.rescriptum.10.§.vlt.& l.seq. Hæc autem est obiectio, quam Imperatores soluunt; Qui potest exigere, potest etiam pacisci, d. l.rescriptum.§.vlt.& l.seq.atqui tutor vel curator potest exigere, ita vt exigendo, ipso iure debitores liberet, D.de administ.tut.d.l.Lucius.§.vlt.ergò potest etiam pacisci, ita vt pactum noceat pupillo seu minori. D Hoc argumentum soluitur per distinctionem pacti. Concedendum enim est, tutorem vel curatorem posse pacisci ex causa administrationis, non tamen ex causa donationis. secundum hanc distinctionem intelligenda est dicta consecutio. Non enim quicunque potest exigere, potest etiam pacisci donandi causa: quia nec procurator (in cuius persona ea consequentia traditur, d. l. rescriptum.§.vlt.& l. seq.) donationis causa pacisci potest, D. quibus mod. pign. vel hypoth. solu. l. 7. §. 1.

Ad L. Filius. 23.

Huic legi satisfeci, supr. in l. 3.

Ad L. Si actionem. 24.

REgula generalis est, Pacta à quibosdam personis facta, aliis nec prodesse nec nocere, D. h. tit. l.si vnus. 27.§.pacta. Sub hac generali regula continetur hæc specialis, Pactum possessoris hereditatis, vero heredi nec prodest, nec nocet. Cuius specialis regulæ exemplum hîc proponitur. puto autem speciem ita

A ponendam esse; Titius, cùm vxori suæ legatum vel fideicommissum deberet, mortuus est relictis ex testamento heredibus Primo, & Secundo: post eius mortem fratres (exempli gratia) occuparunt hereditatem ab intestato. mulier existimans hos possessores esse heredes, remisit eis actionem, id est, pacta est de non petendo legato: mota est autem ad paciscendum magna affectione, quam babuit erga maritum de se benè meritum, & extendit ad mariti heredes. Hoc autem summoperè notandum est: quoniam in hoc dubitandi ratio & speciei elegantia consistit, quod mulier remittere voluit actionem fratribus mariti, non contemplatione ipsorum, sed tantùm quia putabat eos esse heredes mariti. hoc est, quod Imperatores significant illis verbis, *affectione heredum*. Vnde B videbatur dicendum, hoc pactum prodesse Primo & Secundo veris heredibus: quia mens mulieris donantis dirigebatur in heredes mariti. Quod si mulier speciali affectione erga fratres defuncti pacta fuisset, minùs esset dubitandum, veris heredibus id pactum non prodesse. Nam & aliis casibus multum interest, vtrùm heredes spectentur quà heredes sunt, an quà sunt certæ personæ, putà Gaius, Mæuius, D. de lega. 3. l.si heredes.124.& ad S.C.Trebell. l. nonnunquàm 24. His tamen non obstantibus, contrarium respondetur, exceptionem dicti pacti non nocere mulieri, si legatum petat a veris beredibus mariti. Ratio decisionis sumitur ex dicta regula, quòd pactum possessoris non prodest vero heredi. Sed huic regulæ, & huic decisioni videtur obstare l. si post.22.D.de pecun. C constit. Vide solutionem cent. 1.q.93. Ait, *Contra debitores*, id est, contra veros heredes mariti. Ait, *Instituentis actiones*, id est, petenti legatum, vel fideicommissum.

Ad L. Debitorum. 25.

EIusdem regulæ generalis, quod pacta inter certas personas facta, aliis non præiudicant, hîc proponitur aliud exemplum, id est, species, in qua debitores eiusdem pecuniæ paciscentes inter se, non nocent suis creditoribus: & omnino ius creditorum neque tollere, neque mutare possunt. Aliud exemplum subiicitur in l. seq.

Ad L. Pacto. 26.

COrnelia & Mæuius successerunt Titio vel iure ciuili per aditionem hereditatis, vel iure prætorio per bonorum possessionem. vterque enim casus hac lege simul deciditur, vt constat ex illis verbis, *quod & in honorario succedentibus iure, locum habet*. Vis successionis est, vt singuli successores teneantur creditoribus hereditariis pro partibus hereditariis: quoniam actiones hereditariæ, tam actiuæ quàm passiuæ, ipso iure ex lege xij. tabularum diuiduntur inter heredes pro portionibus hereditariis, infr. fam. ercisc.l.6.& infr.si cert.pet.l.1.& de heredit. act. l. 2.& de except. l. 1. Si obiicias hanc diuisionem actionum non posse pertinere ad bonorum possessores, qui E non succedunt ex lege duodecim, sed tantùm iure prætorio: respondebo, legem duodecim rectè produci ad bonorum possessores; quia sunt similes heredibus, & habentur pro heredibus, D. de bon. poss. l. 2. Leges enim quæ de certis personis loquuntur, non solùm ad eas personas pertinent, de quibus nominatim loquuntur, sed etiam ad eas, quæ quandocumq; similes erunt, D.de legib.l.ideo. 27. Iam verò quia hæc diuisio sæpe multum habet incommodi; plerumque

enim exactio & solutio per partes incommoda est; idcirco sæpe solent obligationes hereditariæ pro solido in vnum heredem conferri vel per adiudicationem iudicis aditi iudicio familiæ erciscundæ, D. fam. erc. l. 3. vel per voluntariam conuentionem ipsorum heredum, vt factum est in specie huius legis. Nam ita diuiserunt hereditatem, vt Cornelia Mæuio coheredi instrumenta hereditaria dederit hac lege, vt idem Mæuius creditoribus hereditariis solidum solueret. Hæc est species, circa quam quæritur, quænam remedia competant Corneliæ vel contra hereditarios creditores, vel contra Mæuium coheredem. Contra creditores hereditarios nullum remedium habet. Obstat enim regula l. præced. quòd pactum inter debitores factum, neque murat, neque tollit ius creditorum. Vnde colligendum est, eam regulam obtinere, non solùm in pacto nudo, sed etiam in lege contractus: quoniam in specie proposita non est pactum nudum, sed appositum diuisioni rerum hereditariarum, & traditioni instrumentorum, vt ex verbis legis apparet. A Mæuio autem coherede potest petere exhibitionem instrumentorum hereditariorum. quod cùm indistinctè in hac lege tradatur, nihil referet, vtrùm Mæuius fidem contractus impleuerit, & creditoribus hereditariis soluerit, an non. quæ tamen distinctio mox adhibebitur, cùm agetur de altero remedio Corneliæ contra coheredem competentem. Si verò quæras, qua actione mulier petat instrumenta, & quænam instrumenta petere possit à Mæuio coherede, distinctionem adhibebo. Nam si Mæuius impleuit fidem contractus, Cornelia aget ad exhibendum, vt exhibeantur ea tantùm instrumenta, quibus eget, eò quòd conuenitur à creditoribus hereditariis. Quòd si Mæuius fidem contractus non præstitit, non solùm Cornelia poterit agere ad exhibendum, sed etiam omnia instrumenta in Mæuium collata repetere pro sua parte hereditaria per condictionem ob causam, secundum naturam contractuum innominatorum, D. de præsc. verb. l. 5. & de condict. cau. da. toto tit. Præterea Cornelia potest petere à coherede id quod sua interest solutum esse creditoribus hereditariis. Hoc igitur remedium non competit, si coheres fidem pacti præstiterit, quod Imperatores significarunt illis verbis, *Vel non perfectis in diuisione placitis*, id est, si coheres non soluerit solidum creditoribus hereditariis, quemadmodum diuisione hereditaria pacta est Cornelia. Quæro, qua actione petat Cornelia, quod sua interest. Respondeo, incerti actione ciuili, id est, præscriptis verbis, secundum naturam contractuum innominatorum, d. l. 5.

Ait lex, *Pacto successorum*. Verba ita construenda, & explicanda sunt: *Æs alienum hereditarium, quod ex lege duodecim tabularum ipso iure diuisum* est *inter heredes pro portionibus quæsitis singulis*, hoc est, pro portionibus hereditariis, quæ singulis heredibus quæsitæ sunt, hoc (inquam) æs alienum hereditarium *non potest pacto successorum debitoris obligare vnum* (subaudi, heredem) *in solidum*. Sententia horum verborum est: cùm æs alienum hereditarium obliget singulos heredes pro partibus hereditariis, fieri pacto heredum non posse, vt obliget vnum heredem in solidum: quia pacta priuatorum nō possunt derogare legi duodecim tabularum: nec possunt nocere tertio, id est, creditori hereditario. Ait, *De chirographis communibus*, id est, hereditariis.

Ad L. petens. 27.

IN hac lege tractatur de stipulatione pactum confirmante. Vt enim rectè Paul. notat lib. 5. sent. tit. 7. in A princip. stipulatio introducta est aliarum obligationum confirmandarum causa: iam verò stipulatio confirmare potest pactum duobus modis, quos notaui ad l. si pacto. 14. quia vel id ipsum stipulamur, de quo conuenit, vel pœnam stipulamur, nisi conuentioni satisfiat. Rursus stipulari possumus illud ipsum, de quo conuenit, duobus modis: primo facta mentione rei, de qua conuenit: secundo facta mentione conuentionis. Exemplum primi modi: Inter Titium & Mæuium conuenit, vt Mæuius Titio Stichum daret, stipulatusque est Titius à Mæuio, *Stichum dabis?* respondit Mæuius, *dabo*. Exemplum secundi modi est: Conuenit inter Titium & Mæuium, vt Mæuius Titio Stichum daret: deinde Titius stipulatus est à Mæuio, *dabis id, de quo conuenit*, spopondit Mæuius se daturum. B Præter has diuisiones sunt & aliæ hic notandæ. Aut enim pactum apponitur contractui bonæ fidei, aut contractui stricti iuris. de illo dictum fuit ad l. in bonæ fidei. 13. de hoc in præsentia quæritur. Rursus hoc pactum vel præcedit contractum stricti iuris, vel sequitur, & vel in continenti, vel ex interuallo. Sed generaliter concludendum est, vt notaui ad d. l. in bonæ fidei. numquam agi posse ex pacto apposito contractui stricti iuris, sed ex ipso contractu agendum esse, ita vt id solùm peti possit, quod in contractum, putà in stipulationem deductum est. quod manifestè docet lex nostra primis illis verbis, *petens ex stipulatione*: vt mirum sit, quosdam ex h. l. colligere, pactum valere ad agendum, & ex pacto in continenti facto agi posse. Ait, *Placiti seruandi causa*. Placitum C rectè accipitur pro pacto, vt & in l. diuisionis. 45. D. hoc tit. vt constat ex ipsius pacti definitione, D. eod. l. 1. §. & est. Ait, *Secuta est*. Stipulatio dicitur sequi pactum, id est, interuenire seu confirmare pactum, non solùm si ordine temporis sequatur, sed etiam si tempore præcedat, vt colligitur ex hac l. & ex l. si pro fundo. 33. infr. tit. prox. secundum Forcatulum Necyomant. dialogo 90. n. 5. Sed quia hæc interpretatio verbo *secuta* non conuenit, ego malo sic interpretari, vt dicatur stipulatio secuta primum illum tractatum, qui conuentionem præcedere solet, infr. de rescind. vendit. l. si voluntate. 8. quandoquidem conuentio fit per decursum ex diuersis animi motibus in vnā sententiam, D. hoc tit. l. 1. §. conuentionis. Ait, *Statim*. Idem dicendum, si ex interuallo. Nam stipulario per D se consistit, nec sumit ex pacto vires. Cur igitur ait *statim*? an vt doceat, etiamsi pactum factum sit in continenti, tamen non ex pacto, sed ex stipulatione tantùm agi posse? quia stipulatio est stricti iuris: pacta autem quamuis in continenti facta, non insunt in contractu stricti iuris ex parte actoris, vt supr. defendi ad l. in bonæ fidei. 13. Placet hæc interpretatio.

Ad L. Si certis. 28.

QVod aliquot annis præstitum est, non propterea in futurum debetur, D. de operis libert. l. operis non. 31. etiamsi factum sit ex consensu, infr. de vsur. l. E 7. pactum igitur vnà cum solutione aliquot annis facta non sufficit ad pariendam obligationem in futurum, vt hæc lex docet. Ait, *Ad præstandum in posterum*. Non quærit de eo, quod solutum fuit ratione temporis præteriti. cùm enim naturaliter deberetur ex pacto, certissimi iuris est, non posse condici. tantùm igitur quærit, an in futurum peti possit, quasi solutio aliquot annis facta confirmauerit, & (vt cum Doctoribus loquar) vestiuerit pactum & totam obligationem. Ait, *Indebitum solutum*. Hæc verba sunt accipienda

accipienda in recto caso. non enim agit de præstando indebito: sed quærit, an iodebiti solutio obliget ad præstandom in posterum.

Ait, *Obligare non potuit.* Primò opponitur l. 6. D. de vsur. Vide solutionem cent. 5. q. 42. Secundò opponitur l. 1. infr. de fideicomm. vbi mater, qoæ ex testamento filij præstitit aliquot annis alimenta fideicommissario, quoniam ita adgnouit voluntatem defuncti, cogitur etiam in posterum eidem fideicommissario præstare alimenta, quamuis fuerint indebita. Vnde apparet, solutione aliquot annis facta confirmari obligationem in futurum. Solutio: Hoc speciale est, propter fauorem vltimæ voluntatis, & alimentorum. alia ratio est oostræ legis, in qua agitur de actu inter viuos, id est, de pacto nudo.

Ad L. *penultim.*

EXplicatur hac lege vis pacti de fori præscriptione, id est, quo renunciatur fori præscriptioni. Cùm hac lege coniungatur l. si quis in conscribendo. 51. supr. de episc. & cler. Diuiditur autem hæc l. in sex partes. nam continet speciem, qoæstionem, decisionem, rationem decidendi, productionem, & sanctionem. Ait, *In conscribendo instrumento.* Sic paulò post mentionem faciet scripturæ: existimo tamen idem dicendum, si pactum sine scriptura interuenerit; quoniam eadem est ratio, & pacta scripturam non desiderant, supr. h. t. l. pactum quod bona. 17. & l. cùm proponas. 21. Ait, *Confessus fuerit.* Obserua, confessum accipi pro pacto. Ait, *Propter cingulum militiæ.* Milites enim apud alium C iudicem, quàm magistrum militum conueniti non debent, infr. de iurisdict. l. pen. Ait, *Vel dignitatis.* Exempli gratia, senatores conueniri debent apud præfectum prætorio; vel præfectum vrbi, videlicet magistrum officiorum, infr. vbi senat. vel clariss. l. 2. nisi huic priuilegio renunciauerint. Ait, *Sacerdotij prærogatiuam.* Clerici in prouincia apud præsidem, in vrbe apud præfectum prætorio conueniendi sunt, supr. de episc. & cler. l. omnes qui vbique. 33. Ait, *Licèt antea*, &c. Hactenus species: sequitur quæstio, an renunciatio fori teneat. Dubitandi causa in vtramque partem est: quoniam alia sunt, quibus renunciare possumus: alia, quibus frustra renunciamus: verbi gratia, renunciari potest beneficio Velleiani, D. ad S. C. Velleian. l. vlt. §. pen. & satisdationi de legatis præstandis, D. h. t. l. pactum. 46. non etiam D caotioni de quasi vsufructu, infr. de vsofr. l. 1. nec beneficio, quod marito competit, ne exigatur vltra quàm facere potest. D. sol. matrimo. l. alia. 14. §. 1.

Ait, *Si oporteret.* accipe *si*, pro *an*, vt & in l. seq. vers. & dubitabatur, & in l. pen. in prioc. infr. de adopt. & in l. 3. §. 1. D. de collat. bon. Ait, *Suo iure*, id est, præscriptione fori.

Ait, *Sancimus.* Sequitur decisio, qua confirmatur dictum pactum & renunciatio præscriptionis fori. Ait, *Nemini licere*, &c. Oppono l. antepen. D. de iurisd. Vide solutionem cent. 1. q. 60. Notandum porrò est, hanc decisionem non abrogari, sed ei derogari iure canonico, quo cauetur, ne clericus eligat iudicem secularem, extr. de fo. compet. cap. si diligenti. 12. Ait, *Contrahentes decipere.* Ex his verbis apparet Iustinianum non E loqui de pacto nudo, sed de lege contractus. Ait, *Si enim*, &c. Iam proponit duplicem rationem decidendi. Quarum prior sumitur ex vi pactorum, quæ valent & confirmantur edicto prætoris, nisi sint contra leges, vel dolo malo facta, D. h. t. l. 7. §. ait prætor. adde, vel contra bonos mores, supr. eod. l. 6. Quoniam igitur pactum, quo renunciatur fori præscriptioni, neque legibus, neque bonis moribos aduersatur, neque dolo malo factum est, meritò valere debet. Ait, *Cùm alia sit re-* A *gula.* Hæc est altera ratio decidendi sumpta ex facultate renunciandi iuri suo. Cuilibet enim licet renunciare iuri suo, D. eod. l. pactū. 46. & de minor. l. si iudex. 41. Vnde illud Verri. 2. *Quod mihi mea causa lex dat, cur mihi non vti non licebit?* Ergo cuilibet renunciare fori præscriptioni licet. Porrò generalis illa regula, quòd licet renunciare iuri suo, patitur multas exceptiones, de qoibus consulendus est Accurs. hîc in verbo, *antiqui.* Ait, *Iuris antiqui.* Ius antiquum hîc intelligo, vt & in rubr. D. de diuersis reg. iur. antiqui. quod ante constitutiones principum est introductum: seo, quod libris veterum Iurisconsultorum continetur. Ait, *Omnes itaque*, &c. Hic ponitur productio quædam huius l. vt obtineat in omnibus foris, & apud omnes iudices. Additur autem in d. l. 51. sup. de episc. & cler. limitatio, B & statuitur, hanc l. non pertinere ad causas iam transactione, vel iudicio finitas. quæ exceptio etiam omissa, facilè à quouis soppleri potest, secundum certissimam regulam iuris, quòd leges disponunt de futuris negotiis, oon de præteritis, nisi nominatim id lege caueatur, supr. de legib. l. 7. Ait, *Et ad compromissarios, & ad arbitros electos.* Obserua, alios esse arbitros compromissarios, alios arbitros electos. Nam distinguuntur, non hîc tantùm, sed etiam in l. vltim. infr. vbi & apud quem cogn. in integr. restit. agit. & Nou. constit. 82. cap. 11. Compromissarij namque sumuntur ex compromisso, id est, ita vt partes vel certam pœnam promittant, oisi pareant sententiæ arbitri, vel promittant id quod interest, vel promittant se staturos sententiæ, secundum edictum prætoris, quod expressè requirit pecuniam compromissam, D. de recept. qui arbitr. l. 3. §. vltim. Electi autem arbitri dicuntur, qui simpliciter electi sunt, oon adiecta vlla stipulatione & promissione: quo modo arbitri sumi possunt, non iure antiquo, sed ex constitutione Iustiniani, infr. eod. l. penult. Potes etiam electos arbitros intelligere, oon solùm electos simpliciter, sed etiam adhibito iureiurando, vt in l. 4. infr. eod. Denique electi simpliciter dicuntur, quotiescumque stipulatio non est adiecta. Ceterùm arbitros cum iuramento eligi vetuit Iustinianus d. Nou. 82. cap. 11.

Ait, *Sciturι*, &c. Hæc est vltima pars legis, continens sanctionem, id est, puniens iudices, qui hanc legem non obseruauerint. Ait, *Litem suam facere intelligantur.* Hinc nota, etiam arbitrum compromissarium, vel simpliciter electum, facere litem suam, si malè iudicet. Sed videtur obstare d. Nou. 82. cap. 11. vbi arbiter non tenetur, nec punitur, etiamsi dolo vel culpa malè iudicauerit. Solotio duplex afferri potest. I. In casu illius Nou. ideò non punitur arbiter malè iudicans, quia oon fuit verus arbiter, id est, quia sumptus fuit cum iureiurando, quod ea Nou. prohibetur. II. Arbiter regulariter non facit litem suam. sed hic casus excipitur, cùm aduersus hanc constitutionem pronunciat.

Ad L. vlt.

PActum de hereditate viuentis fit, vel cum domino, vel cum extraneo. De priori casu dictum fuit in l. pactum quod dotali. 15. & l. licèt. 19. supr. h. t. de posteriori in præsentia est agendum. Hoc pactum fit vel generaliter de hereditate personæ incertæ, veluti de communicanda hereditate, si quæ ad nos peruenerit: & tale pactū valet, D. pro soc. l. 3. §. 1. vel specialiter de hereditate certæ personæ viuentis: & huiusmodi pactum non valet, nisi fiat domino consentiente, vt Iustinianus hac lege constituit. Diuiditur autem hæc lex in septem partes: quia continet speciem, quæstionē, dubitandi rationem, decisionē vna cum ratione decidendi,

exceptionem, confirmationem exceptionis, & productionem.

Ait, *Et hereditas ad eos peruenerit*, id est, ad omnes illos paciscentes. Nam hæc species est bimembris, prout duplex pactum proponitur, seu duplex pacti conditio: altera, quæ ponitur in his verbis, est, si hereditas peruenerit ad omnes paciscentes, vt quia omnes erant cognati: altera, quæ proponitur in sequen. vers. vel si forte. nempe si hereditas non ad omnes paciscentes, sed ad quosdam tantùm peruenerit, vel quia alij aliis sint proximiores, vel quia testatur quosdam tantùm instituerit, vel quia non omnes fuerint superstites ei de cuius hereditate agitur.

Ait, *Et dubitabatur*. Hactenus species: sequitur quæstio, vtrùm pactio valeat, an effectu careat. Ait, *si huiusmodi* Accipe *si*, pro *an*, vt in l. præced. notatum fuit. Ait, *Pacta* in numero multitudinis, respiciens ad vtramque speciem suprà propositam, id est, ad pactum si hereditas ad omnes peruenerit, & ad pactum si ad quosdam peruenerit. Ait, *Faciebat autem*. Proponit rationem dubitandi in vtramque partem. Ait, *Quia adhuc superstite*, &c. Hæc est ratio dubitandi, propter quam pactum non videtur valere: quia factum est de hereditate viuentis. Ait, *Et quia non sunt*, &c. Ponit contrariam rationem dubitandi, propter quam pactum videtur valere, quia non est purum, sed conditionale, ideóque videtur sustinendum argumento pignoris, quod conditionaliter in re aliena potest constitui, quamuis purè non possit, D. de pignor. l. si fundus. 16. §. aliena. Idem igitur in pacto proposito dicendum videtur, vt, quamuis purè factum, non valeat, D. de donat l. donari. 29. §. vltim. tamen sub conditione valeat. Quoniam igitur dubitandi rationes allatæ sunt in vtramque partem. Imper. in sequentibus mediam quodammodò viam eligit, adhibens distinctionem, vt pactum sciente domino valeat, eo ignorante sit inutile.

Ait, *Sed omnes*, &c. Decidit quæstionem propositam, simúlque affert rationem decidendi. Reprobat igitur dicta pacta; quia sunt odiosa, & contra bonos mores, id est, quia improbi sunt, qui sunt solliciti de hereditate viuentis, D. de vulg. & pupill. l. 2. §. interdum. & ad S. C. Trebell. l. ita tamen. 27. §. à patre. Nisi enim solliciti essent de hereditate viuentis, de ea non paciscerentur. Hinc habemus regulam, Pactum de hereditate viuentis non valet. Huic regulæ quædam videntur obstare. Primo oppono, quòd arrogans impuberem, cogitur cauere de hereditate eius restitueda, si in ætate pupillari decesserit, D. de adopt. l. non aliter. 18. & Institut. eod. §. cùm autem. atqui hæc conuentio fit de hereditate pupilli eo viuo: ergo rectè conuentio fit de hereditate viuentis. Pro solutione duo sunt notanda. Primò notandum est, cauere arrogatorē non ei, ad quem hereditas peruenire potest, sed seruo publico, id est, tabellioni, d. l. non aliter. Vnde is, ad quem ea res pertinet, non potest dici sollicitus de hereditate pupilli viuentis; quandoquidem eo etiam absente, & ignorante, cautio fit. Præterea notandum est, eam cautionem non conferri in personam certam, sed arrogatorem cauere semplicitet & generaliter se restituturum iis, ad quos pertinet.

Secundò videtur obstare, quòd si quis seruum venditum manumiserit, cogitur cauere emptori de hereditate restituenda, si fortè manumisso succedet, D. de act. empt. l. si quis seruum. 23. Solutio: Ea fuit sententia Iuliani, sed mox in ead. l. corrigitur à Marcello. Tertiò oppono, quòd substitutus pupillariter potest vendere hereditatem pupilli nondum delatam, D. de hered. vel act. vend. l. 2. §. illud. Videtur igitur vendere hereditatem viuentis; quia morte

A pupilli defertur ei hereditas. Hoc argumentum soluendum est per negationem consequentiæ. Intelligendum enim est, vendi hereditatem pupilli defuncti, licèt nondum sit delata substituto; quia scilicèt pendebat conditio, sub qua fuerat substitutus. Ceterùm viuentis hereditas neque vendi, neque dici potest, D. eod. tit. l. 1. Reuertor ad casum nostrum l. & cùm lex dicat, proposita pacta esse turpia & contra bonos mores, quæro, an præter hoc, quòd pacta inutilia sunt, etiam paciscentes puniantur. Respondeo, eos ita puniri, quòd si hereditas, de qua pacti sunt, ad eos deuoluetur, auferetur tamquam indignis, & confiscabitur, D. de his quæ vt indign. l. 2. §. vltim. & de donat. d. l. donari. §. vlt. & l. seq.

Ait, *Nisi ipse forte*, &c. Adhibet exceptionem ad de-
B cisionem prædictam, nisi is consenserit, de cuius hereditate agitur. Huic exceptioni videtur officere regula iuris, quod is, qui non potest pacisci, aliis paciscentibus frustra consentit, D. de pignor. l. si fundus. 16. §. 1. & de verb. oblig. l. si minor. 66. & de diu. reg. iur. l. cùm quis. 165. Nam dominus non potest pacisci de hereditate sua aliis danda, sup. hoc tit. l. pactum quod dotali. 15. & l. licèt. 19. non potest igitur aliis paciscentibus consentire. Pro solutione existimo concedendum esse, proposita pacta, inspecto stricto iure, valere non debere, sed sustineri ex bono & æquo; ita vt regula opposita, hoc casu speciali cesset, propter rationem, quam mox afferemus cum Iustiniano.

Ait, *Tunc etenim sublata acerbissima spe*. Hæc est ratio exceptionis: quia cessat acerbissima spes, quam
C paciscentes habebant de hereditate aliena, id est, cessat illa turpis sollicitudo de hereditate viuentis. Sed cur cessat propter domini consensum? quia non videntur pacisci, nisi vt impleant voluntatem domini, qui ita pacisci vult, vt perinde sit, ac si ipse dominus inter eos ita diuideret hereditatem, quod constat fieri posse.

Oppono, quòd propter domini consensum videtur augeri periculum: quia propter eum consensum paciscentes maiorem spem succedendi habebunt: magis igitur inuitantur ad struendas ei insidias: ergo quod Iustinianus suprà dixit, huiusmodi pactiones esse plenas tristissimi & periculosi euentus, videtur multò magis in hoc casu excepto locum habere: multò igitur minùs pactum hoc casu valebit. Solutio:
D Quamuis prima facie videatur periculum augeri, re vera tamen tollitur. Quod vt intelligatur, notandum est, non ideò periculum subesse, quòd propter illud pactum admittendi sint ad successionem: sic enim augeretur periculum domino consentiente. Sed non potest tanta esse vis eius pacti: siue enim paciscantur consentiente, aut non consentiente domino, siue non paciscantur, æquè dominus habet liberam testamenti factionem. & si testamentum non fecerit, tamen paciscentes non ex pacto, sed ex iure vocantur ad successionem. Denique pactum, quà pactum est, & quà consensum habet, nihil periculi creat: sed periculum subesse videtur propter eam turpem sollicitudinem de hereditate viuentis: ex qua sollicitudine apparet improbitas paciscentium, qui cum ita paciscantur, indu-
E citur contra eos suspicio insidiarum domino struendarum. sed cùm dominus consentit, ea sollicitudo cessat, vt iam docui: consequenter cessat etiam suspicio periculi. Ait, *Sciente & iubente*. Existimo Imperatorem adiecisse verbum *iubente*, propter duas causas. I. Vt doceat, hoc casu scientiam domini non haberi pro consensu, sed requiri iussum, id est, consensum expressum. II. Vt indicet, consensum domini debere præcedere. hæc enim est natura iussus, vt præcedat, D. de acq. hered. l. si quis mihi bona. 25. §. iussum. Ratihabitio igitur non

non sufficit: quia non tollit turpitudinem pacti, id est, non facit, quò minùs illi pacti sint propter nimiam sollicitudinem hereditatis viuentis.

Ait, *Quod etiam*, &c. Ratione confirmauit exceptionem: nunc eandem confirmat auctoritate; quoniam idem constitutũ fuit à Constantino, C.Th.fam.erc.l.2.

Ait, *A nobis clarius est introductum.* Ideò clariùs: quia Constantinus locutus est de vno tantùm casu, nempe cùm fratres inter se paciscuntur de bonis matris viuentis & consentientis: vnde meritò potuit dubitari, an idem obtineat in aliis personis, vt in adgnatis, vel cognatis. Hanc dubitationem Iustinianus hac l.sustulit, generaliter constituens de omnibus personis paciscentibus.

A Ait, *Iubemus etenim*,&c. Hic vers.continet productionem ad omnes cõuentiones,& cõtractus. Ait, *Talium*, id est, alienarum. Ait, *Neque donationes.* Etiam ante hanc constitutionem donationes purè factæ non valebant, D.de his quæ vt indig. l.2. §.vlt. & de donat. l. donari. 29. §.vlt. Iustinianus autem hic loquitur de donationibus conditionalibus. Hic enim sunt repetendæ illæ conditiones, *si ille mortuus fuerit*, &c. Proinde hoc est nouum ius, aut saltem decisio quæstionis controuersæ. Ait, *Contra domini voluntatem*, intellige, pactum fieri contra domini voluntatem aut verè, aut præsumptione quadam: quia, nisi expresse consentiat, præsumitur non consentire, secundum ea, quæ suprà B notaui.

CODICIS LIB. II. TIT. IV.

DE TRANSACTIONIBVS.

TRansigi generaliter dicitur, quotiescumque aliquid finitur, & terminatur, D. de pact. l. 1. §. conuentionis. In qua significatione passim transactionis vocabulum reperitur apud linguæ Latinæ auctores. Sed in præsentia sumitur in speciali quadam & propria significatione, quatenus significat decisionem rei dubiæ vel controuersæ, D.h.t.l. 1. vnde etiam decisio sæpè nominatur, infr.h.t.l.cùm proponas. 17.l.sub prætextu instrumenti. 19. D.de rei vind.l.eius.46.& ad leg.Falcid.l.3.§.1.In hac significatione transactio sumpta,sic definiri potest.Rei dubiæ, vel,controuersæ, D. hoc tit.d.l.1.siue præsentis, infr. eod.l.6.l. cùm proponas.17.& D.de condic. indeb.l.in summa. 65. §. 1. siue futuræ,infr.h.t.l.2.diremptio, infr. eod. l.interpositas. 13.l.causas. 16.l.transactione.30.quæ vtriusque partis consensu fit,d.l.transactionis.& d.l.interpositas.aliquo dato,vel promisso,vel retento,infr.eod.l.transactio.38. Controuersiam in hac definitione intellige litem, vt in d. l. transactionis & d. l. sub prætextu instrumenti. Rem autem dubiam intellige, etiam sine vlla consideratione litis,id est, licèt lis nec præsens, nec futura sit. Nam ob alias quoque causas potest esse res dubia,ideóque venire in transactionem, veluti propter incertum euentum conditionis potest transigi de fideicommisso conditionali,infr.hoc.tit.l.de fideicommisso. 11. Similiter transactio de futuris alimentis est de re dubia,non propter litem,sed quia dubium est & incertum, quamdiu alimentarius viuet: constat autem alimenta morte finiri. Eadem ratio est cuiusuis annui legati,& similium causarum. Porrò transactio, propriè loquendo, non est pactio, sed causa pactionis siue pacti, supr. tit. prox.l.cùm proponas.21.idémque dicendum est de donatione. Paciscimur enim aut donandi causa, aut transigendi causa, aut ob aliam quamcumque causam. Iam verò transactio fit vel nudo pacto, D.h.t.l.2. vel stipulatione Aquiliana,infr eod.l.3.vel vtroque simul,d.l.2. vel per contractum innominatum,infr. eod.l.6.

Ad L. 1.

HÆc lex docet, pactionem vel transactionem cum vno ex reis debendi factam, putà cum vno ex tutoribus vel curatoribus, non prodesse aliis.

Diuiditur autem in thesim & hypothesim: sed exC posita thesi, nulla erit difficultas in hypothesi intelligenda. Quod igitur ad thesim attinet, cùm regula generalis sit,pactionem vel trãsactionem inter quosdam factam,aliis nec prodesse,nec nocere, supr.tit. prox. de pact.l.si actionem.24.& D. eod. l. si vnus. 27. §. pacta. hic proponitur regula specialis, quæ sub ea generali continetur.Est autem specialis regula,quod pactum factũ cum tutore vel curatore,siue trãsactio, non prodest contutoribus vel concuratoribus.Cõtra hanc regulam oppono,quod pactũ pro satisfactione est,D.de pig.act. l.si rem alienam.9.§.omnis. satisfactio autem pro solutione habetur, D.de sol.l.satisfactio.52.Atqui vno tutore vel curatore soluente aut satisfaciente, alij quoque liberantur,D.de tut.& ratio.distrah.l.si ex duobus. 55.quia bona fides non patitur idem sæpius exigi,D.de diu.reg. iur. l. bona fides. 57. ergo idem dicendum est D de pacto.Solutio:Pactum non omninò pro satisfactione habetur,sed *κατά τι*, id est, respectu tantùm paciscentium,& in iis terminis procedit decisio d. §.omnis. Ceterùm quod ad alia non est loco satisfactionis, immo à satisfactione distinguitur,d.l.si ex duobus.

Iam verò decisio huius legis & produci, & limitari debet.Primò producitur,vt procedat,non solùm in pacto personali,quod ad nullum alium pertinet,quàm ad paciscentem,ne quidem ad heredem, D.de pact.l.idem in duobus.25.§.1.Sed etiam in pacto in rem facto:quia lex nostra generaliter loquitur,& est generaliter intelligenda.Nec obstat d.l.idem in duobus.in princ.vbi pactum rei debendi prodest correo: quoniam id speciale est in correis sociis.Cùm enim I.C.inquit, *idem in duobus reis vel argentariis sociis*,verbum illud, *sociis*, non solùm ad argentarios,sed etiam ad correos referri debet. E Secundò nostra decisio producitur,vt procedat,etiamsi pactum factum sit cum vno tutore vel curatore de communi dolo cõmisso ab omnibus tutoribus vel curatoribus,seu de obligatione ob eum dolum nata, d.l.si ex duobus. Tertia productio continetur illis verbis, *in his,quæ separatim communiterve gesserunt, vel gerere debuerunt.* Tres igitur sunt casus, quibus obligatio nata est contra tutores vel curatores, & de ea obligatione pactum vel transactum fuit.Primus casus est, si separatim gesserũt,administratione inter eos diuisa. Intellige diuisionem administrationis factam ab ipsis tutoribus

vel cutatoribus:quoniam hæc diuisio non obstat, quo minùs singuli teneantur in solidũ,perinde ac si non diuisissét administrationem,inf.de diu.tut.l.2.in fi.Quòd si testator, vel magistratus diuisisset inter eos administrationem, tunc non esset obligatio communis, nec vnus teneretur eorum nomine, quæ alteri tutori vel curatori commissa essent, nisi ipse culpam vel dolum commisisset, non curans eum remoueri, qui suspectus erat,D.de administ.tut.l.3.§.ceteri. & infr.si tut.vel curat.non gess.l.1.& infr.de diu.tut.d.l.2. Generaliter autem tenendum est, legem nostrã pertinere ad eos casus,quibus plures tutores vel curatores eadem obligatione tenentur in solidum: alioquin inepta esset quæstio, an pactum & transactio vnius alteri prodeisset. Tota enim duhitatio in eo consistit, quod eadem est omnium obligatio,ita vt vno soluente,omnes liberentur,vt suprà notaui. Secundus casus est,quando communiter omnes gesserunt, non facta tutelæ vel curationis diuisione. Tertius est, si nemo gesserit. Nam his casibus certum est teneri omnes & singulos in solidum.Omissus est in contexru quartus casus, si alij gesserunt,alij non gesserunt,cùm tutela vel cutatio diuisa non fuerit; quia hoc casu non adstringuntur omnes eadem obligatione, quatenus hi, qui non gesserunt,non possunt conneniri,nisi in subsidium, excussis his, qui gesserunt, & deprehensis non esse soluendo, inf.si tut.vel curat.nõ gess.d.l.2.&D.de adm.tut.l.tutores.39.§.in eum.ergo ad hũc casum decisio nostrę legis accommodari non potest: cùm quia regulatiter non possunt omnes conueniri,nisi hi,qui gesserunt, sint inopes, vt modò exposui:tum etiam quia si paciscar cum tutore vel curatore meo qui gessit, non possum amplius agere contra alium tutorem vel cutatorem: consequenter non est dicendum,eum condemnari debere, licèt ego pactus sim cum eo, qui gessit. Antecedens probo:quoniam ille, qui gessit, & mecum pactus est, vel transegit, aut est soluendo,aut non est soluendo.Si est soluendo:iam docui, non posse conueniri eum, qui non gessit: si verò non est soluendo, nihilominùs pro locuplete habetur: quia dũ pactus cum eo sum, videor nomen probasse,arg.l.inter.26. §. abesse. D.mand.Siue igitur locuples, siue inops sit,qui gessit:postquàm cum eo pactus sum, non possum ampliùs agere contra eum, qui non gessit: vnde perspicuum est, hoc casu cessare dispositionem huius l. ideóque hunc casum rectè prætermissum fuisse. Iam, vt ad limitatioues transgrediar, Prima limitatio est, vt restringatur decisio ad dictos tres casus in lege expressos. Altera limitatio est: quia hæc decisio procedit in transactione nudo pacto facta: alia ratio est transactionis factæ per stipulationem Aquilianam & acceptilationem. Cùm enim acceptilatio sit imaginaria solutio,Inst.quib.mod.toll.ohlig.§.1. quemadmodum solutio vnius liberat omnes correos, ita etiam acceptilatio vni facta,omnes liberat, D.de liber.legat.l.3. §.nunc de effectu. Hæc dicta sint de thesi,& generali decisione,quæ mox transfertur ad hypothesim in vers.cùm igitur.

Ad L. 2.

HÆc l. diuiditur in quatuor partes: continet enim speciem,rationem dubitandi, rationem decidendi, & decisionem. Species ita commodè fingi potest: Pater vel mater, cùm duos filios haberet, Luctarium & Mæuiam,filium heredem instituit, filiam exheredauit: post mortem parentis, cùm Luctatius possideret hereditatem, antequàm inofficiosi querela conueniretur à sorore,cùm ea transegit,vt accepta certa pecunia, exclusa maneret à successione paterna vel materna: sic autem transegit metu futuræ litis, quoniam etiam filij

A testatoris possunt conneniri de inofficioso testamento,D.de inoffic.testam.l pen.§.1.

Ait, *Et ideo*,id est,ex causa transactionis.Ait, *Cauisse*, id est,sorori stipulanti promisisse. Nam cautio propriè significat repromissionem,infr.de verb. & rer. sign.l.3. licèt interdum accipiatur pro nudo pacto, sup.tit.prox. l. cùm postea. 9. Ergo in proposita specie transactio fuit per stipulationem confirmata.

Ait, *Etsi nulla fuisset quæstio hereditatis.* His verbis continetur ratio dubitandi: quia transactionibus lites finiuntur,infr. hoc tit.l.causas. 16. Proinde transactio tunc valet,cùm lis subest,D.de condic. ind.l.in summa. 65. §.1.atqui in casu proposito nulla fuit lis:conuentio igitur non videtur valere, nec vt pactum;quia non fuit B animus paciscendi, sed transigendi, nec vt transactio, quia nulla erat lis.

Ait, *Propter timorem litis transactione interposita.* Hæc verba continent rationẽ decidendi.Ex qua apparet etiã solutio dictæ obiectionis:quia transactio non solùm fit de præsenti, sed etiam de futura lite:sufficit igitur metus litis futuræ, immo sufficit rem esse dubiam ob quamcumque causam,vt exposui supr.ad rubr.

Ait, *Pecunia rectè*, &c. Sequitur decisio,quæ colligitur ex ratione prædicta. Hæc decisio est bimembris: quia deciduntur duæ quæstiones. Prior quæstio est, an cautio valeat:posterior, quem effectum producat. Ad priorem respondetur, cautionem valere. Dixi hanc decisionem colligi ex ratione prædicta: constat enim C stipulationem sine causa factam, esse inutilem, D. de doli except.l.2.§.circa.In casu igitur proposito si transactio inutilis esset,stipulatio non valeret:sed quia diximus transactionem propter metum litis tenere, etiam rectè concluditur,stipulationem vtilem esse.

Ait, *Ex qua causa*, &c. Nunc respondet ad alteram quęstionem.Nam quia diximus cautionem valere,consequenter quæritur,quatenus valeat. Imperator declarat duos effectus eius cautionis.Prior effectus est,quod impedit soluti repetitionem: si fortè Luctatius ex ea causa soluit.

Ait, *Si fisco soluisset.* Ideò fecit mentionem fisci: quia ita contigerat,vt fiscus sorori Luctatij succederet.

Ait, *Et si non soluisses*,&c.Ponit alterũ effectũ cautio- D nis,quòd Luctatius ex ea conueniri potest, si nondum soluit,nempe quia transactio confirmata est stipulatione, vt supr.notaui: alioquin, si transactio nudo pacto facta esset, ex ea tantùm daretur exceptio, non etiam actio,infr.hoc tit.l.sine apud.28. Coniunctis igitur his duobus effectibus propositæ cautionis,breuiter dicendum est, ex ea & naturalem & ciuilem obligationem oriri.Naturalis enim impedit soluti repetitionem:ciuilis parit actionem,qua Luctatius soluere cogatur. Ait, *Iure conuenireris*,ex stipulatione.

Ad L. 3.

QVemadmodum stipulatio Aquiliana non tollit alias lites,de quibus actum non est, licèt generaliter sit concepta,D.hoc tit.l.5.ita etiam, si facta sit de E parte litis, vel de parte obligationis, eam tantùm partem perimit,in residuo autem obligatio manet, vt docet h.l. Cuius species talis est: Titius cùm gessisset curationem Tulliæ,& ex ea causa centum deberet, mortuus est herede relicto filio Geminiano. Tullia verò vel cum Titio curatore, vel cum filio & herede eius Geminiano transegit. Dixi, cum curatore vel herede: quia lex loquitur simpliciter & generaliter: nec refert,vtrùm cum vno, an cum altero transactio facta fuerit:nam & cum herede rectè transigimus, infr. l. proxima. Hæc transactio facta est,non pacto,sed stipulatione Aquiliana, ita vt Tullia acceptò ferret, non

solida

solida centum, quæ debebantur, sed partem dumtaxat, exempli gratia, sexaginta. Quærit ergo, an possit petere reliqua quadraginta. Hæc lex diuiditur in quinque partes. Prima continet actiooem Tulliæ: secunda exceptionem Geminiani: tertia replicationem actricis: quarta decisionem: quinta rationem decidendi. Actio est de administratione curationis: exceptio est de transactione: replicatio, quòd non in totum, sed de parte transactum fuit, proinde residua pars debetur. Decisio, quòd residui obligatio manet. Ait, *Age*. Intellige vtilem actionem tutelæ, vel vtilem actionem negotiorum gestorum. Vtraque enim datur in curatorem, & in heredem eius, infr. de neg. gest. l. curatoris. 17. & arbitr. tut. l. 3. Ait, *Cum Geminiano, quod pater eius*, &c. Gemioianus tenetur, non quia est filius curatoris, sed quia ei successit: eademque ratio est extraneorum heredum. Ait, *Et si apud*, &c. Hactenus actio Tulliæ: nuoc proponitur exceptio rei conuenti. Ait, *Negabit se hac actione teneri*. Hæc verba referri possunt ad ipsum ius, vt Geminianus neget se debere ipso iure, ita vt non opus habeat exceptione, quoniam interuenit Aquiliana stipulatio & acceptilatio. Exceptio igitur sumitur ex transactione: quia lis transactione finita non debet exsuscitari, infr. hoc tit. l. causas. 16. Nec videtur obstare, si Tullia dicat, partem dumtaxat in stipulationem Aquilianam & acceptilationem deductam esse: quia transactio valet, etiamsi transigens minus accipiat, quàm ipsi debeatur, infr. eod. l. 6. & D. ad S.C. Trebell. l. Lucius. 88. §. vlt. Ait, *Iudex*, &c. Nunc ponit replicationem. Ait, *Contemplatione iudicij, quod bonæ fidei est*. Ex his verbis notandum est, non solùm actiones directas tutelæ vel negociorum gestorum esse bonæ fidei, sed etiam vtiles. Iam enim docui, hoc casu, non directè, sed vtiliter agi. Et quoniam eadem ratio est aliarum actionum, idcirco enumeratio actionum bonæ fidei, quam Iustinianus proponit in §. actionum. Instit. de act. sic debet accipi, vt non solùm directæ, sed vtiles etiam actiones bonæ fidei sint. Sed quæri potest, cur Imperator dicat, *contemplatione iudicij bonæ fidei*, cùm idem dicendum videatur, si iudicium sit stricti iuris. Duobus modis respondere possumus, & duas rationes afferre, propter quas mentio specialiter fit iudiciorum bonæ fidei. Prior responsio est, vt augeatur ratio decideodi. Nam si hoc obseruatur in iudiciis strictis, multò magis debet obseruari in iudiciis bonæ fidei, vt scilicèt transactio facta de parte, in eo tantùm teneat, de quo consensum est. Posterior responsio est, vt dicamus Imperatorem hoc significare voluisse, iudicem in specie proposita habere huius rei rationem, ne transactio producatur vltra partem, de qua conuenit, habere (inquam) rationem, etiamsi nominatim Tullia replicando hoc non expresserit: quod enim per exceptionem, vel per replicationem fit in iudiciis strictis, id etiam parte non excipiente, seu non replicante, fit officio iudicis in iudiciis bonę fidei. Si quis autem ex hoc contex. ducere vellet argumētum à contrario sensu, quasi si iudicium esset stricti iuris, tota obligatio perempta esset, sine dubio erraret.

Ait, *Quantam pecuniam*, &c. Hæc est decisio controuersiæ, quòd Geminianus cogatur soluere residuum, dummodò Tullia probet aliquid deberi vltra summam, de qua transactum fuit. Ratio decidendi est: quia vt conuentio de vna re facta, ad aliam rem non pertinet, ita facta de parte, ad aliam rem non pertinet, D. de pact. l. si vnus. §. pacta. vers. ante omnia. Non obstat ratio dubitandi supr. allata, dum dicebamus transactionem in totum valere, etiamsi transigens acciperet tantùm partem. Nam ea sententia tum demum locum habet, cùm accepta parte transigitur de toto, ita vt remittatur tota obligatio: secus autem est, cùm transigitur de parte. Denique aliud est, quo transigitur: aliud de quo transigitur: veluti si acceptis centum, remittam querelam inofficiosi testamenti, id, de quo transigitur, est querela inofficiosi: id autem, quo transigitur, sunt centum. Secundum hæc, si in casu nostræ l. transactum fuisset de centum, tota obligatio fuisset sublata: sed quia transactum est solùm de sexaginta, obligatio efficax manet in reliquis quadraginta. Ait, *Quod in stipulationem*, &c. Hîc ponit rationem decidendi, quam modò exposui.

Ad L. 4.

IN hac l. consideratur transactio dolo malo per stipulationem Aquilianam facta de actione contra curatorem competente: sed eadem ratio est, si de alia quauis obligatione transactio proponeretur. Aut igitur transactio fit nudo facto: aut stipulatione Aquiliana & acceptilatione. Vtroque casu potest fieri dolo molo. Sed priori casu actio ipso iure manet, cui potest opponi exceptio transactionis, sed contra eam exceptionem replicatur de dolo, infr. hoc tit. l. sub prætextu instrumenti. 19. hoc igitur casu non datur actio de dolo, quæ est ita subsidiaria, vt excludatur etiã à doli replicatione. Etenim qui per replicationē doli potest suum cōsequi, vt in casu proposito, de dolo agere nequit, D. de dolo. l. vlt. Posteriori autem casu, qui in h. l. tractatur, secus est. Obligatio namque ipso iure sublata est, adeò vt pristina actio, de qua transactum fuit, moueri non possit: consequenter doli replicatio locum non habet: ideoque confugiendum est ad subsidiariam actionem de dolo: quæ tamen actio de dolo, ipsa quoque per nouam transactionem tolli potest. Hæc est sententia huius l. quæ diuiditur in tres partes, speciem, decisionem, & exceptionem.

Ait, *Actione*. Intellige vtilem actionem tutelæ, vel vtilem actionem negotiorum gestorum, vt fuit expositum ad l. præcedentem.

Ait, *Ab eo, qui legitimæ ætatis annos compleuit*. Legitimam ætatem intelligit viginti quinque annorum, infr. de his qui ven. ætat. impetrau. l. vlt. Porrò hæc verba coniungi possunt vel cum præcedentib. vt intelligamus curationem administratam fuisse à maiore 25. ann. quia minor non potest esse curator, infr. de legit. tut. l. vlt. & Instit. de fiduc. tut. vers. ita tamen. vel cum sequentib. vt dicatur, eum esse maiorem 25. annis, qui cum curatore transegit: quia si in minore ætate adhuc constitutus transegisset, restitui posset ex titulo de minoribus, consequenter non daretur actio de dolo, D. de in integr. restit. l. pen. §. 1. & de minor. l. 1. §. item Pomponius refert. Hæc posterior interpretatio mihi magis arridet. Primùm quia etiam in l. seq. hæc conditio legitimæ ætatis refertur, non ad tutorem, sed ad eum qui transegit cum tutore, deinde quia temporibus Alexandri auctoris huius constitutionis minor non prohibebatur esse tutor vel curator, sed poterat excusari: Iustinianus autem eum vel volentem administrare, prohibuit, d. vers. ita tamen.

Ait, *Extincta*, ipso iure: quia non nudo pacto transactum est, sed stipulatione & acceptilatione.

Ait, *Nullam aliam superesse*, &c. Hactenus species: sequitur decisio bimembris. Imperator enim docet, pristinam actionem, quæ sublata est, non posse ampliùs moueri: item docet, agi posse de dolo, actione subsidiaria.

Ait, *Intra concessa tempora*, id est, intra biennium, infr. de dolo. l. vlt.

Ait, *Nisi*, &c. Nunc proponit exceptionem, nisi etiam de dolo transactum sit. Non solùm enim transactio potest tollere actionem administratæ curæ, sed etiam actionem de dolo iam commisso, quamuis dolus futurus

futurus

turus remitti non possit, ne quis inuitetur ad delinquendum, D. de pact. l. si vnus. 27. §. illud.

Ait, *Specialiter*, quia transactio generalis non pertinet ad ea, quæ dolo malo facta sunt, nec tollit actionem de dolo, D. huc t. l. qui cum tutoribus. 9. §. qui per fallaciam. & de pact. l. tres fratres. 35.

Ad L. 5.

HÆc lex docet, transactionem de actione tutelæ factam cum herede tutoris, valere, etiamsi in scriptis redacta non fuerit. Hæc decisio limitatur, vt ita demum transactio rata sit, si is, qui cum herede tutoris transegit, sit maior 25. annis: alioquin poterit eam rescindere per restitutionem ex edicto de minoribus. Quod autem hic dicitur, transactionem valere sine scriptura, idem dictum fuit de pacto in l. pactum, quod bona. 17. & l. cum proponas. 21. supr. tit. prox.

Ait, *De fide contractus*. Obserua, transactionem vocari contractum: quia non semper fit pacto nudo, sed interdum contractu siue nominato, id est, stipulatione, siue innominato, vt notaui supr. ad rubr.

Ait, *Confessione tua*. Idem dicendum, si aliis quibuscumque legitimis probationibus rei veritas confirmetur.

Ad L. Cum mota 6.

CVm in quacumque transactione duo spectentur, nempe materia seu res de qua transigitur, & forma transactionis: in hac lege proponitur transactio de querela inofficiosi testamenti, non pacto nudo facta, sed contractu innominato vel solo, vel subiecta stipulatione confirmato: ac de huius transactionis vi quæritur. Duæ sunt huius legis partes præcipuæ. Prior continet speciem, posterior decisionem.

Ait, *Cum mota*. Intellige mulierem mouisse querelam inofficiosi testamenti contra heredem scriptum. Quid autem sit mouere litem, & quid differat à litis contestatione, exposui ad l. 4. supr. tit. prox.

Ait, *Cum diuersa parte*, id est, cum heredibus scriptis.

Ait, *Ita vt*, &c. Rectè hoc addit: quia decisio huius l. non potest conuenire cuiuis transactioni: quandoquidem Imperator ex hac transactione dat actionem præscriptis verbis, quæ non competeret, si nudo pacto transactum fuisset.

Ait, *Partem bonorum susciperet, & à lite discederet*. Notanda sunt hæc verba: ex quibus colligitur, qualis sit contractus propositus. Non est enim contractus facio vt des, id est, discedo à lite, vt des partem bonorum, vt multi falsò putant, malè ex hac l. colligentes, ex eo contractu dari actionem præscriptis verbis, cùm re vera detur tantùm actio de dolo, vt disertè Paulus docet in l. 5. §. quòd si faciam. D. de præscr. verb. sed est contractus do vt facias, vel potiùs, facio vt facias. Potest appellari do vt facias, si verbum dandi accipias latiùs, vt non tam dominij translationem, quàm traditionem significet: alioqui dare propriè est dominium transferre, Instit. de act. §. sic itaque. quæ significatio huic loco non quadrat: quoniam agitur de parte bonorum, quorum appellatione continentur etiam res alienæ, quæ non possunt dari, sed tantùm tradi, D. de verb. signif. l. bonorum. 49. Est igitur contractus, trado partem bonorum vt à lite discedas: traditio autem non ad dandum, sed ad faciendum refertur, D. de verb. oblig. l. vbi 75. §. qui id quod. & de condict. caus. data. l. pen. Non obstat, quod in specie proposita prius mulier discessit à lite, quàm pars bonorum traderetur: quoniam implementum non mutat naturam contractus iam constituti, sed in omnibus contractibus spectatur initium, D. mand. l. si procuratorem dedero. 8. in princ. & pro soc.

A l. si id quod. 58. §. pen. Denique omnes contractus, atque adeo etiam qui re perficiuntur, sumunt appellationem & naturam ex consensu contrahentiû. Non enim potest esse alius contractus, quam is, in quem contrahentes consenserunt. Quoniam igitur in specie proposita mulier & heredes scripti contractum ita inuêre, trademus bonorum partem vt discedas a lite, vel (quod idem valet) suscipiam partem bonorum, vt a lite discedam: non debet hic cõtractus inuerti, quasi sit contractus, discedo à lite vt des partem bonorum. Repudiãda est etiam sententia Bart. qui putat eundem contractum respectu dantis esse do vt facias; respectu facientis esse facio vt des: cùm quia hac ratione essent duo contractus, non vnus; tum etiam, quia facienti daretur actio de dolo, non præscriptis verbis. Quæ fuit sententia Iu-
B liani reprehensa à Mauritiano, & ab Vlpiano in l. 7. §. sed & si in alium. D. de pact. In summa contractus hic propositus est, do vt facias, vel, trado vt facias, nullo autem modo dici potest contractus, facio vt des.

Ait, *Instaurari*, &c. Hactenus species: sequitur decisio quæstionum ex ea specie emergentium. Sed vt hæc rectiùs intelligantur: iis, quæ de specie suprà dicta sunt, addendum est, post dictum contractum, id est, post dictam transactionem, mulierem deseruisse querelam inofficiosi testamenti, atque ita ex sua parte impleuisse contractum: deinde, antequàm acciperet partem bonorum ab heredibus scriptis, decessisse relictis filiis suis heredibus. Iam oriuntur duæ quæstiones, quæ hac l. deciduntur. Prior quæstio est, an filij dictæ mulieris
C possint instaurare querelam inofficiosi. Quod prima facie videbatur eis concedendum duplici argumento. Primùm, quia si agentibus opponatur exceptio transactionis, poterunt replicare de dolo, infr. hoc tit. l. siue apud acta. 28. Nam dolo malo faciunt heredes, qui volunt vti beneficio transactionis, cuius fidem ipsi non præstiterunt. Præterea diximus transactionem esse contractu innominatum, & solam matrem impleuisse contractum: atqui natura contractuum innominatorum est, vt ille, qui contractum impleuit, aduersus aduersarium non implentem non solùm habeat actionem præscriptis verbis in id quod interest contractum impleri, sed etiam repetitionem per condictionem ob causam, D. de præscr. verb. l. 5. & toto tit. de cond. caus. data. His tamen non obstantibus, contrarium responderur, & sequentibus quidem verbis Imperator conce-
D der actionem præscriptis verbis: hîc verò responder stãdum esse transactioni. Ratio decisionis, ex qua dictæ obiectiones diluuntur, est: quia mater, cùm non perseuerauerit in querela inofficiosi, non potuit eam trãsmittere ad heredem, D. de inoffic. testam. l. nam & si 15. §. 1. Non obstant igitur rationes dubitandi, quæ locum habent in matre, non in heredibus matris, de quibus nunc quæstio agitatur: nec denegaretur matri inofficiosi querela, si ipsa viueret, ob rationes prædictas, l. si instituta. 27. in princ. D. de inoffic. testamento. vide cent. 3. q. 36.

Ait, *Verùm si fidem*, &c. Sequitur decisio secundæ quæstionis. Diximus filios mulieris non posse recedere à transactione facta: nunc secundo loco quæritur, an ex ea transactione agere possint. Imperator respon-
E der, eos posse agere. Ratio est: quia fuit transactum, non pacto nudo, alioquin non daretur actio, infr. hoc tit. l. siue apud. 28. Sed contractu, ex quo meritò datur actio. Hoc autem loco Imperator duo docet: primum quid peti possit: alterum, qua actione petatur. Circa primum ait peti id quod interest: rectè: quia heredes scripti tenebantur ad tradendum, quæ obligatio (vt supr. exposui) consistit in faciendo, consequenter, nisi fiat id quod conuenit, condemnatio sequitur in id, quod interest, D. de re iudic. l. si quis ab alio. 13. in fin. & de

& de verb. oblig. l. stipulationes non diuiduntur. 72. in princ.

Ait, *Aut enim stipulatio*, &c. Postquàm docuit quid heredes mulieris perant: nunc docet, qua actione petant, & adhibet distinctionem. Aut enim stipulatio subiecta est, quæ confirmauit transactionem: aut res mansit in terminis contractus innominati, quia nulla stipulatio interuenit. Priori casu tribuit actionem ex stipulatu: posteriori casu dat actionem præscriptis verbis, quæ dari solet ex contractibus innominatis. Hîc apparet verum esse, quod ait Aristoteles: verum vero semper congruere. Sicut enim suprà Imperator dixit petendum esse id quod interest, quod est incertum, D. de verb. oblig. l. si pœnam. 68. l. vbi. 65. §. qui id quod. ita nunc dat congruentes actiones. Nam & actio præscriptis verbis sæpe vocatur actio seu condictio incerti, D. de pact. l. 7. §. sed & si in alium. & de præscr. verb. l. 6. l. ob eam. 9. l. permisisti. 16. in princ. & de precar. l. duo. 19. §. vlt. & actio quoque ex stipulatu, eo distinguitur à certi condictione, quòd persequitur rem incertam, Instit. eod. tit. in princ.

Ait, *Conuentioni*, id est, transactioni seu contractui innominato. Ait, *vtilis actio*. Rectè actio præscriptis verbis vocatur vtilis: quia est actio in factũ ciuilis, D. de præsc. verb. l. 1. 2. l. si tibi. 13. §. 1. & l. si tibi polienda. 22. Omnis autem actio in factum dici potest vtilis: & retrò omnis vtilis est in factum.

Ait, *Quæ præscriptis verbis rem gestam demonstrat*. Ex his verbis colligẽda est etymologia actionis præscriptis verbis: sic enim appellatur, quia præscriptis verbis rem gestam, qua de agitur, demonstrat. Porrò hæc etymologia sumpta est ex iure antiquo: nam hodie quibuscumque verbis actiones proponi possunt, sublatis antiquis & solemnibus formulis, infr. de form. l. 1. Nec mirum: quoniam alias quoque actiones, vt vindicationem & condictionẽ, à iure antiquo appellationes sumpsisse constat. Obiiciet aliquis hanc etymologiam non esse propriam huius actionis, sed omnibus conuenire: quoniã omnes actiones certas & solẽnes formulas habuerũt, & præscripta verba, D. de orig. iur. l. 2. §. deinde ex his legib. Solui hæc obiectio duobus modis potest. Primùm enim non est necesse etymologiam reciprocari cum nomine, vt definitio reciprocatur cum definito, sed plerumq; latiùs patet, vt testatio mentis latiùs patet quàm testamentum: & de meo tuum, latiùs patet, quàm mutuum. Præterea quando appellatio aliqua est communis multis, solemus eam accõmodare ei, quod caret propria & speciali appellatione, D. de mort. caus. donat. l. mortis causa capimus. 31. quoniam igitur aliæ actiones habent nomina propria, vtpote quæ descendunt ex contractibus nominatis, vt empti venditi, locati, conducti, &c. hæc autem ita nomine caret, vt contractus, ex quibus nascitur: idcirco communis illa appellatio præscriptis verbis huic soli actioni relicta est.

Ad L. Transactionis. 7.

Etsi procurator post litem contestatam vocatur dominus litis, D. de dol. exc. l. procurator. 11. tamen si tantùm ad agendum datus sit, non potest transigere: quia non potest excedere fines mandati, infr. de procurator. l. si procurator. 10. Hæc decisio producitur, vt procedat etiam in procuratore ad negotia, si mandatum generale habeat, non cum libera administratione, D. eod. tit. l. mandato. 60. Tribus autẽ casibus transactio à procuratore facta, valet. Primus est, si habeat mandatum speciale ad transigendum, arg. l. nam & nocere. 12. D. de pactis. Secundus, si habeat mandatum generale cum libera administratione, dummodò bona fide transigat: quia mandatum semper exigit bonam fidem,
A D. man. l. creditor. 60. §. vlt. Tertius, si sit procurator in rem suam datus, D. de pact. l. sed si tantùm. 13. §. 1.

Ad L. De alimentis. 8.

Quæritur, an de alimentis trãsigi possit. Imperator distinguit inter præterita, & futura. Nã de futuris trãsigi non potest sine permissu prætoris: de præteritis autem potest. Ratio differentiæ est: quia futura alimenta necessaria sunt, præteritis non ampliùs egemus. Adhibenda est & altera distinctio ex Vlpiano in l. cùm hi. 8. D. h. t. vbi latissimè interpretatur sententiam nostræ legis. Nam transigi liberè potest de alimentis inter viuos constitutis, non item de relictis in vltima B voluntate. Differẽtiæ ratio est: quia cùm aliquis inter viuos sua diligentia obligationem alimentorum sibi quæsiuit, lex ei fidit tamquàm idoneo ad vitæ necessaria sibi comparanda: cùm autem ei relicta sunt in testamento, fortasse est segnioris vitæ, qui de illis alimentis pendeat: vnde lex ei prospicit, ne his alimentis facilè priuatus egeat.

Ait, *De alimentis*, supple, in vltima voluntate relictis, nam de his solis lex loquitur.

Ait, *Si quæstio deferatur*. Quæstionem seu controuersiam ideo requirit: quia non est transactio, nisi de re dubia vel controuersa.

Ait, *Sine prætore seu præside*. Prætor Romæ, aut præses in prouincia, causa cognita, transactionẽ permittere, C aut prohibere debet; permittere, si faciat conditionem alimentarij meliorem; prohibere, si deteriorem. vide dicta l. cùm hi.

Ait, *Nulla auctoritate iuris censetur*: quia propter fauorem alimentorum infirmatur oratione Diui Marci, dicta l. cùm hi. in princip.

Ad L. Si super. 9.

Hæc lex diuiditur in duas partes. Continet enim speciem, & decisionem. Quod ad speciem attinet, Agrippinus, cùm possideret fundũ, patiebatur controuersiam à Titio volente eum fundum vindicare: deinde facta est inter eos transactio, per quam ita conuenit, D vt si Titius (exempli gratia) intra mensem daret decem Agrippino, acciperet ab eo fundum: sin minùs, ei fundum relinqueret, nec ampliùs vllam controuersiam moueret: postea Titius mense elapso, etiamsi decem non soluisset, tamen infringens fidem transactionis, iterum quæstionem de fundo mouere volebat. Ait lex, Agrippinum esse tutum duplici remedio, id est, interdicto vti possidetis; quia iustè & ex causa dictæ transactionis possidet: item exceptione transactionis. Quemadmodum enim duplex via est consequendæ possessionis, videlicèt interdictũ, & actio: sic etiam duplex est via retinendæ, nempe interdictum, & exceptio, D. vti possid. l. 1. §. est igitur. Ait, *Vlterius quæstionem non patereris*. Neque de proprietate, neque de possessione. Ait, *Consequens est*, &c. Hactenus species: sequitur decisio: & primo loco datur Agrippino interdictum. Ait, *Vim ab eo*. Respicit ad verba interdicti vti possidetis, E *Vim fieri veto*. D. Vti. possid. d. l. 1. in princ. Ait. *Interpellatus*, ex interdicto vti possidetis. Ait, *Præcipuè cùm*, &c. Hacten[9] de interdicto: deinceps loquitur de exceptione transactionis. Ait, *Diuersæ parti*, id est, Titio. Ait, *Actio competeret*, id est, si esset dominus. Sensus est, non solùm submoueri Titium à vindicatione fundi, si eius dominus non sit, quo casu actio ipso iure non competit, sed etiam si sit dominus: quia etsi ipso iure potest vindicare, tamen submouetur exceptione conuentionis. Ait, *Vtilem exceptionem*, id est, efficacem, quæ per replicationem non elidetur.

Ad L.

Ad L. Fratris tui. 10. A

CVm Titius intestatus decessisset, successionem tamquam eius filij Gaius & Meuius amplexi sunt: soror autem Titij defuncti mouit Gaio & Meuio controuersiam status, & hereditatis, quasi non essent filij, consequenter non essent heredes Titij; de his quæstionibus transactum fuit: postea mulierem transactionis pœnituit, & volebat litem instaurare: quæritur, an possit. Dubitandi causa est: quia filij, vel agnati non fiunt pacto siue transactione, sed matrimonio, aut adoptione, infr. de probat. l. non nudis. 14. vnde proposita transactio de statu Gaij & Mæuij non videtur rata esse debere. Contrarium respondetur: quia transactiones bona fide factæ seruari debent, & lis transactione finita non debet instaurari, infr. hoc tit. l. causas. 17. Non obstat dicta obiectio: quia non dicimus, per transactionem fieri filios; sed per transactionem fieri, ne mulier, quæ transegit, possit amplius mouere eis quæstionem status. B

Ait, *Nunc*, id est, post factam transactionem. Ait, *Contra fidem sanguinis*. Hoc intellige præsumptiuè: quia præsumuntur filij, cùm fortasse non sint: transactio namque non facit filios, vt supr. dixi.

Ait, *Nullus etenim erit litium finis*. Hæc oratio debet accipi ὑπερβολικῶς: quia licèt transactiones rescindantur, tamen potest esse litium finis per sententiam iudicis, D. de re iud. l. 1. vel arbitri, D. de recept. qui arbitr. l. 1. & l. qualem. 19. §. 1.

Ad L. De fideicommisso. 11.

SEntentia huius legis abundè exposita fuit in l. 1. & in l. cùm proponas. 16. supr. tit. prox. Summa legis est, Transactionem de fideicommisso reciproco, cuius conditio pendebat, inter fratres factam valere, nec rescindi posse. Porrò hæc lex continet regulam, rationem eius regulæ, & duas productiones. Regula, dictam transactionem valere, proponitur in primis verbis legis. Ait, *A patre*, &c. id est, quo pater vester vos heredes instituttos inuicem onerauit fideicómisso. Ait, *Vicissim*. Idem dicendum est, si pater vnum tantùm filium fideicommissu onerauit, ita vt sit fideicommissum simplex, non reciprocum: quia etiam de hoc fideicommissu rectè transigitur, supr. tit. prox. d. l. 1. Ait, *Si alter*, &c. Hęc est conditio fideicómissi, non transactionis: D proinde hæc verba nó sunt coniungenda cum sequentibus, sed superioribus verbis hærent. Ait, *Interposita transactio*. Obserua transigi etiam de re litigiosa, si ob aliam causam dubia sit: vt hîc est dubia propter incertum conditionis euentum. Ait, *Cùm fratrum*. Hactenus regula, seu decisio: sequitur ratio, quia transactio est honesta: ergo seruanda. Honestatè ex eo Imperatores ostendunt, quòd inducit concordiam inter fratres, & remouet votum captandæ mortis, quòd fortasse alter alterius mortem fideicommissi consequendi causa optasset. Ait, *Et non potest*, &c. Hæc est prima productio. Adeo namque dicta transactio valet, vt rescindi non possit per restitutionem in integrum ex edicto de dolo: nullus enim dolus intercessit. Ait, *Neque tam*. Altera productio, quod proposita transactio non debet rescindi per restitutionem ex titulo de minoribus. Ratio duplex affertur. Prior est; quia maior xxv. annis transegit: ergo malè confugit ad edictum de minoribus. Posterior est; quia minoribus restitutionem dat, non euentus damni, sed inconsulta facilitas, si aut infirmitate ætatis lapsi sint, aut ab aduersarin circumuenti, D. de minor. l. verum. 16. §. sciendum. & §. seq. quorum neutrum in proposita transactione argui potest. E

Ad L. Præses prouinciæ. 12.

ADministrator rerum ad ciuitatem pertinentium potest bona fide transigere de debito dubio & controuerso, non etiam donationis causâ debitum liquidum remittere. Eadem ratio est tutoris, & curatoris. legantur notata ad l. pactum curatoris. 12. supr. tit. prox. Ait, *Ambitiosè*. Qui de re ciuitatis transigit, item qui iudicat, honoréfue alicui decernit, aut similia facit, sex modis peccare potest, ita vt quatuor prioribus delinquat, duobus postremis non item. Primus modus est, si malè transigat vel iudicet per auaritiam & sordes, pecunia corruptus, D. de recept. qui arbitr. l. sed si in seruum. 9. §. sunt & alij. & C. de pœn. iud. qui malè iudic. l. 2. Alter modus est, si ambitiosè ea fecerit, vt hîc, & D. ad S. C. Treb. l. seruo. 65. §. cùm prætor. & de decret. ab ord. fac. l. 4. Dicitur autem ambitiosè facere, qui aliquid facit, inanem gloriam & honorem captans, vt in casu nostrę legis administrator ambitiosè remittit debitum, vt habeatur pro benigno & liberali. Est autem ambitio & vitium; quia non modo legitimo hanc laudem affectat, sed est liberalis de alieno. Tertius modus est, si gratiosè fecerit, id est, in gratiam alicuius non merentis, quem plus æquo amat: veluti si iudex nocentem absoluat, propter beneuolentiam, qua eum complectitur, C. de pœn. iud. qui malè iud. d. l. 2. & D. de administrat. rer. ad ciuit. pertin. l. pen. & C. de bon. auctor. iud. poss. l. vlt. in fin. & C. de bon. præscript. l. 7. Quartus modus est, si odio & inimicitiá fecerit: vt putà si innocentem damnauerit, D. de recept. qui arbitr. l. non distinC guemus. 32. §. cùm quidam. Quintus est, si per errorem fecerit, D. eod. l. quia arbiter. 10. & ad S. C. Trebell. d. l. seruo. §. cum prætor. & de administr. rer. ad ciuit. pertin. d. l. pen. Vltimus modus est, si quis circumuentus sit: veluti si iudex falsis instrumentis deceptus, malè iudicauerit, tot. tit. C. si ex fals. instrum.

Ad L. Interpositas. 13.

PRoba petiit transactionem à se factam rescindi, eò quod metu inducta transegit cum proprio seruo. Hioc oriuntur duæ quæstiones. Prior de transactione per metum facta: posterior de transactione cum seruo proprio facta. Quod ad priorem attinet, primùm lex proponit regulam: deinde subiicit aliquot eius regulæ interpretationes. Regula est, Interpositas metus causâ transactiones ratas non haberi. Ne intelligas transactionem ipso iure esse inutilem, sed rescindi per restitutionem in integrū ex titulo quod metus causâ, vt sequentia verba ostendunt. Ait enim, *Edicto perpetuo contineri*: quibus verbis significat edictum quod metus causa: atque hæc verba continent primam interpretationem accommodatam d. regulæ, id est, docent, quomodo, & quo iure transactio metu facta infirmetur, nimirum iure prætorio per restitutionem. lege notata ad l. 3. supr. de edend. Deinde ait lex, *Nec tamen quolibet metus*, &c. Sequitur secunda interpretatio eiusdem regulæ, id est, quomodo in ea metus accipiatur. Eodem modo accipitur, quo in edicto quod metus causa, id est, de metu iusto, qui in constantem hominem cadit. Ait, *Qui salutis periculum, vel corporis cruciatum contineat*. Ad- de metum delinquendi, qui est iustissimus metus & restitutionem tribuit, D. quod metus causa. l. 7. §. pen. Et intellige hos metus esse iustos, siue quis in sua persona hæc timeat, siue in persona cóiunctarum personarū, vt liberorum, d. l. 7. §. vlt. Ait, *Probari oportet*. Hæc est tertia interpretatio d. regulæ, nempe metum nó præsumi, nisi probetur. Eadem est ratio doli, D. de probat. l. quoties. 18. §. 1. Vnde intelligimus, in hac causa onus probandi incumbere Probæ, quæ transactionem rescindi petit.

Ait,

Ait, *Ad vim tamen, vel dolum*, &c. Quarta interpretatio est, quomodo probetur metus, vel dolus. Imperatores docent non probari ex qualitate causæ, sed ex atrocitate facti, infr. de his qui vi metúsve caus. l. metum. 9. & infr. de rescind. vendit. l. si voluntate. 8. & l. dolus. 10. Qualitas causæ dicitur: veluti si quis ex eo arguat, se dolo deceptum, aut metu inductum transegisse, quòd modica pecunia accepta transegerit de magna lite. Potuit enim de ea transigere absque vi & dolo. Inspicitur ergò, non qualitas causæ, sed facti, vt sit dolus, vel metus, non in re, sed in persona. Ait, *Vnde si nihil*, &c. Hęc est quinta & vltima interpretatio, qua explicatur, quis sit effectus, si Proba in probatione deficiat, nec possit metum ostendere. Effectus est, vt stetur trāsactioni. Ratio est perspicua: quia cessante causa exceptionis, id est, cessante metu, standum est regulæ, quæ vetat à transactione recedi. Ait, *Concessam*, id est, trāsactione. Ait, *Sed quoniam*, &c. Iam decidunt Imperatores secundam quæstionem, ac docēt transactionem inter dominam & seruum factam, non valere, eáque dominam non adstringi. Hoc intellige quod ad effectus ciuiles. Secus quod ad naturalem obligationem inducendam, vel tollendam: quâ cōstat etiam dominos seruis teneri, D. de cond. ind. l. si quod. 64.

Ad L. Si diuersa. 14.

CVm transactio consensu perficiatur, cōtrario consensu dissolui potest, secundum illam regulā, Nihil est tam naturale, quàm vnumquodq; eo modo dissolui, quo constitutū est. Hoc autem locum habet, nō solùm re integra, id est, antequàm res tradita fuerit, transactione adhuc manente in terminis nudi consensus, sed etiam in integrū restituta: vt si is, qui rem accepit, eam reddat, quemadmodū hęc lex docet: idémq; de cōtractu emptionis traditur in l. ab emptione. 58. D. de pact.

Ad L. Vt responsum. 15.

POntius à Titio hereditatis petitione, aut rei vindicatione conuentus, cum eo transegit, qua trāsactione conuenit, vt Pontius Titio decem daret, ac Titius à lite discederet. Pontius fidem suam non liberauit, nec dedit decem: ideoque Titius vult litem contra Pontium institutam instaurare, quæritur, an possit. Imperatores distinguunt inter transactionē nudo tantùm pacto factam, & stipulatione Aquiliana atq; acceptilatione subiecta confirmatam. De transactione autem quæ fit per contractum innominatum, veluti do vt à lite discedas, sup. h. t. l. 6. nihil hic dicitur: quia cùm res nō interuenerit, non potuit esse contractus innominatus: tales enim cōtractus nō cōsensu, sed re perficiūtur, D. de ret. perm. l. 1. §. itē emptio. Priori casu Titius rectè agit: quia etiāsi ei possit opponi exceptio transactionis, tamē ipse eam exceptionem elidet replicatione doli, infr. h. t. l. siue. 28. Posteriori casu Titius non potest litem instaurare: quia sublata est actio ipso iure, sup. eod l. 4. Ait, *Petitionē*, &c. Ita cōtigit, vt Titius ageret petitione hereditatis, aut rei vindicatione: sed idē dicendū esset, si egisset in personā.

Ad L. Causas. 16.

HÆc lex docet, transactiones non posse per rescriptū principis alterutra parte inuita infirmari. Ait, *Causas vel lites*. Causa & lis idem significant, vt exposui ad l. 4. supr. tit. prox. Ait, *Transactionibus legitimis*. Si angustè accipias verbum *legitimis*, excludes transactiones factas nudo consensu, quę non sunt legitimo, id est, ciuili, sed prætorio tantùm valēt. Sed nulla ratio est, cur non accipiamus hoc verbum latius, & intelligamus transactiones rectè factas, vt bona fide, ab iis qui transigere possimt. Ait, *Imperiali rescripto resuscitari non oportet*. Nota rescriptum principis non valere in præiudicium tertij, siue agatur de lite instauranda, vt hîc, siue de ea tollenda, supr. de prec. Imp. offer. l. 2. Ad hanc autem nostram l. excipit Accursius, nisi princeps in rescri-

A pto nominatim mentionem faciat huius legis, iubeátque transactionem rescindi, non obstantibus legibus contrariis: hoc enim casu putat Accursius rescriptum valere arg. l. si quis in princ. 22. D. de leg. iij. quæ lex Accursij sententiam non probat: ibi namque testator de rebus suis disponit, & rectè dicitur eum posse mutare voluntatem, & posteriori scriptura derogare priori, secundum regulam, quòd ambulatoria est vltima voluntas vsque ad extremum vitę exitum: alia ratio est rescripti, quod quis impetrauit in præiudicium alterius. Nam princeps, si quidem princeps est, non tyrannus, de rebus priuatorum his inuitis disponere non potest. Illud enim dicitur fieri posse, quod rectè, honestè & iure fieri potest, D. de cond. instit. l. conditiones. 9. l. filius. 15.

Ad L. Cùm proponas. 17.

B MArcellus, cùm à muliere litem pateretur, cum ea transegit nudo pacto, quo conuenit, vt mulier, acceptis à Marcello decē, à lite discederet: postea Marcellus ea decem ex causa transactionis mulieri numerauit: mulier, acceptis decem, fidem transactionis fregit, & nihilominùs contra Marcellum iudicium intentauit. Marcellus cupit, aut decem sibi restitui, aut stari transactioni, & litem omitti. Quæritur, quid iuris. Imperatores distinguunt. Aut enim inter Marcellum & mulierē conuēnit, vt, si mulier contra transactionem egerit, ea decem restitueret, & nihilominùs exceptione repelleretur: aut talis conuentio omissa fuit. Priori casu datur exceptio pacti seu transactionis, item actio ad decem repetenda: atque alterum remedium per alterum non tollitur. Neque enim Marcellus eligere debet,

C vtrùm malit decem repetere, an excipere: sed vtraque via vti potest, propter illa verba conuentioni adiecta, *rato manente transactionis placito*. Quæ verba si fuissent omissa, Marcello non vtràque viā simul vti liceret, sed electio daretur, D. h. t. l. pe. & de pact. l. rescriptū. 10. §. 1. Posteriori casu lex repetitionem datorum denegat: quia transactum fuit pacto nudo, ex quo non oritur actio. Non obstat l. 1. D. de condict. caus. data, ex qua videtur mulier teneri condictione ob causam. Nam ea l. pertinet ad contractum innominatum, ex quo actio illa dari solet, D. eod. l. 5. & de præscript. verb. l. 5. id est, cùm datur pecunia ob futuram causam: in specie autem proposita, vt supr. exposui, data est ob causam præteritam, id est, vt transactio anteà facta impleretur: quare dici non potest, causam non esse secutam, consequen-

D ter cessat condictio ob causam. Ait, *Eamq; acceptis*, &c. Obserua hæc duo distinctè proponi; primò factam trāsactionem, deinde pecuniam mulieri numeratam. Non fuit igitur cōtractus innominatus, do vt à lite discedas, sed pactum nudū: & pecunia data fuit, non contrahendi, sed factæ trāsactionis implendæ causa. Ait, *Placuerat*. Hoc enim verbū ostendit præcessisse placitum & conuentione nudā, nec fuisse transactū cōtractu innominato: vnde meritò in sequentib. verbis vocatur pactū, non cōtractus. Ait, *Statim stipulatione*, &c. Idē sine dubio dicendū est, si stipulatio ex interuallo factafuetit: idē quoq; dicendū esset, si starim traditionis tēpore cōuenisset absq; stipulatione de reddendis decem: quia pactū traditioni in continenti adiectū, valet etiam ad agendū, supr. tit. prox. l. legem. 10. & D. eod. l. in traditionibus. 48. Quæ cùm ita sint, cumq; in sequentib. verbis

E proponētes alter membrū Impp. non stipulationis, sed conuentionis mentionē faciant: ait enim. *Quod si nihil tale conuenit*: videamus, ne ista verba, *statim stipulatione*, diuisim legenda sint interposito scilicet, quo significetur duos esse casus, id est, siue statim conuenerit, licèt nudo pacto; siue per stipulationem, licèt ex interuallo.

Ad L. Transigere. 18.

HÆc lex tractat de transactione, quæ fit super aliquo crimine publico: quid dicendum sit de pri-

uatis delictis,facilè peti poteſt ex l.6.§.pactúſque.D.de A
his qui not.infa.Nam crimina propriè dicũtur,quę sũt:
delicta verò ſunt priuata, D. de ædil. ed. l. quid ſit. 17.
§.noxas. Diuiditur autem noſtra lex in quatuor partes.
Duæ priores loquuntur de crimine capitali, poſteriores de nou capitali.Et prima quidem pars proponit regulam.Secũda exceptionem illi regulæ accõmodatam:
tertia continet alteram regulam, de quarta dubitatur,
vtrùm exceptionem poſterioris regulæ contineat, an
ſanctionem, qua ea regula firmetur,vt poſterius explicabo. Nunc accedo ad interpretationem primæ partis,
in qua ponitur hæc regula,*Tranſigere vel paciſci de crimine capitali,prohibitum non eſt.*Expendamus ſingula verba
huius regulæ.Ait lex, *Tranſigere.*Trãſactionem intellige, ſiue fiat nudo pacto, ſiue per contractum innomi- B
natum,veluti, do pecuniam vt diſcedas ab accuſatione,
vel diſcedo ab accuſatione, vt des pecuniam: ſiue ſtipulatione Aquiliana,& acceptilatione.His enim modis
tranſigi poſſe,docui ſupr.ad rubr. Rurſus trãſactionem
intellige,quæ fit de re dubia & controuerſa, D. h.t.l.1.
aliqua re data,vel promiſſa,vel retenta, infr.eod.l.trãſactio.38.Deinde ait,*Vel paciſci.*Quia pactum hîc diſtinguitur à tranſactione:intellige deficientem alterutram
earum conuentionum, quæ in tranſactione requiruntur,quas modò propoſui, id eſt, pactum fuiſſe de re liquida,D.eod.d.l.1. vt quia accuſatio erat euidenter calumnioſa: talis enim accuſatio & his non officit, quò
minùs res dicatur liquida,adeò vt trãſactio non valeat,
D.de condict. ind.l.in ſumma. 65. §.1. Vel gratuitum, C
adeò vt non poſſit dici tranſactio,d.l.tranſactio.Obiter
obſerua differentiam inter pactum, & tranſactionem,
quod hæc non poteſt eſſe gratuita, d. l. tranſactio. illud poteſt eſſe autem gratuitum, vel non gratuitum,
D. de his qui not. infam. d. l. 6. §. pactúſque. Deinde
ait lex,*De crimine capitali,*id eſt, cuius pœna eſt capitalis.Verbum capitale accipitur trib. modis.I.Anguſtiſſimè,& maximè propriè, cùm caput eximitur è numero
viuentium,ita vt pœna capitalis,ſeu pœna capitis,nihil
aliud ſit, quàm pœna mortis, D. de pœn. l.4. & C. de
crim. pecul. l. vnic. I I. Latè vt complectatur etiam eas
pœnas, quib. caput eximitur è numero ciuium Rom.
putà per deportationẽ,vel pœnæ ſeruitutẽ, D.de publ.
iud.l.2.& D.de pœ.l.2.in pr. & Inſtit.de publ.iud. §.pu- D
blicorum. quoniam hæc in iure vocatur mors ciuilis.
Quamquàm nouiſſimè Iuſtinianus ferè ſuſtulit ſeruitutem pœnæ,Nou.22.cap.8. III.Latiſſimè,vt referatur ad
quãcumq; cauſam,ex qua irrogatur infamia,D.de verb.
ſign.l.licet.103. adeo vt in hac latiſſima ſignificatione,
pœna capitalis complectatur etiam relegationem, D.ſi
quis cautionibus. l.4. in pr. Si quis quærat, quomodo
hæc pœna capitalis dici poſſit, cùm nullo modo caput
eximatur,nec de numero viuentium,nec de numero ciuium Romanorũ, reſpondebo,hâc mihi videri cauſam
huius appellationis,quod fama vitæ;& infamia, morti
quodãmodo comparatur,D.quod metus cauſ.l.iſti.8.§.
pe.& de manumiſſ.vind.l.iuſta.9.in pr.His expoſitis videndum eſt, in qua ſignificatione hoc loco accipiatur
crimen capitale. Breuiter dicendũ eſt, intelligendũ eſſe
crimẽ,cui irrogatur pœna sãguinis,id eſt,pœna mortis,
vt probatur ſequentib.verbis,ex quib.apparet, pœnam E
ſanguinis & pœnã capitalem hîc pro eod. accipi. & ex
l.1.D.de bon.eor.qui ante ſenten.mort.ſibi cõſciuer.Ex
qua colligemus rationem noſtræ regulæ. Ibi namque
perſpicuum eſt, pœnam ſanguinis ſignificare pœnam
mortis.Sed quæritur, an appellatione pœnæ ſanguinis
intelligatur etiam fuſtigatio,quâ ſanguinis effluxio inducitur.Multi putant, hanc quoq; eſſe pœnam ſanguinis,conſequenter licere paciſci vel tranſigere de eo crimine,cuius pœna eſt fuſtigatio:Hanc ſententiã probat,
& cõmunem eſſe ait Iulius Clarus lib.5.§.vlt.q.58. nu.
8.ibidem tamen teſtatur, Romanum ſententiã contrariam appellare communem.Sed ex dictis conſtat,fuſtigationem non eſſe pœnam ſanguinis: immo fuſtigatio
non eſt pœna capitalis:ſiquidem pœna capitalis tãtùm
eſt mors,vel exiliũ,D.de public. iudic.d.l.2.& de pœn.
d. l. 2. in princ. Proinde noſtra regula, quæ concedit
tranſactionẽ de crimine capitali, non poteſt pertinere
ad pœnam fuſtigationis, niſi quis accipiat pœnam capitalem in latiſſima ſignificatione, vt complactatur
etiam infamiam. Sed hæc interpretatio non poteſt accipi: quoniam hac ratione etiam citra effuſionem ſanguinis intelligeretur pœna capitalis,ita vt tranſigi poſſet:quod falſum eſſe iam docui, oſtendens pœnam capitalem accipi pro pœna ſanguinis. Præterea ictus fuſtium per ſe non infamat, ſed fieri poteſt, vt cauſa famoſa ſit,ex qua talis pœna irrogatur,D.de his qui not.
infam. l.ictus. 22. Difficilior quæſtio eſt de mutilatione membri,an pertineat ad hanc regulam:quia non ſolùm effunditur ſanguis,ſed etiam membrum abſciſſum
moritur. Præterea hæc pœna videtur morti comparari,Nou.conſtit.128.cap.20.Itaque à multis ad hanc regulam refertur, adeò vt de crimine inferente talem
pœnam,trãſigere liceat,Iul.Clar.d.q.58.nu.7. Contraria ſententia mihi videtur verior:quia etiam hæc pœna
non eſt capitalis, cùm damnatus nec mortem nec exilium patiatur, nec poſſit pœna capitalis pro infamia
accipi,vt ſupr. oſtendi. Præterea pœnam ſanguinis accipi pro ſola morte,euincit d.l.1.D.de bon.eor.qui an.
ſent.mort.ſibi cõſciu. Denique mutilatio membri nullibi recenſetur inter pœnas capitales, vt rectè notauit
doctiſſimus præceptor meus Menochi.lib. 1. de arbitr.
iud.quæſt.q.86.nu.15.

Ait lex, *Prohibitum non eſt.* Primò videndum, quæ
ſit ratio huius permiſſionis: nam prima facie hoc
non videbatur eſſe permittendum, cùm Reipublic.
interſit, crimina non manere impunita: vnde pœnæ conſtitutæ ſunt in accuſatores, qui præuaricantur,vel deſiſtunt,D.ad S.C.Turpill.l. 1. & paſſim. Ratio autem cur his caſibus pacta vel tranſactiones permittantur, eſt: quia lex ignoſcendum putat ei,qui ſanguinem ſuum quacumque ratione redimit,vſque adeò
vt etiam liceat aduerſarium corrumpere,D.de bon.eor.
qui ante ſententiam mort. ſibi conſciu.l.1.Vt enim ait
Cic.in orat.pro Mil. omnis eſt honeſta ratio expediendæ ſalutis.Hæc ratio ſine dubio locum habet in reo accuſato:ſed obtinuit etiam in accuſatore,quippe qui ſubiit periculum,quod ipſe accuſator creat, cum accuſatori metuenda ſit pœna talionis,infr.de accuſ.l.vlt.Vnde apparet has pactiones & tranſactiones non tam iure probati,quàm tolerari.Deinceps videamus,quomodo accipienda ſit hæc permiſſio,id eſt, vtrùm indiſtinctè liceat paciſci vel tranſigere, an poſt vel ante accuſationẽ inſtitutam dumtaxat. Cõmunis opinio eſt, pactum & tranſactionem permitti ſolùm poſt accuſationem inſtitutam. Quam ſententiã probare non poſſum.
I.Quia lex generaliter loquitur:ergo generaliter eſt intelliganda. II. Quia ſi iudicium & controuerſia immineat,quãuis nondum ſit inchoatũ,ſed mox inchoãdum,
videtur eſſe idem periculum, & eadem ratione iuſtus
metus. III. Quia ſequens regula procedit tam ante,
quàm poſt iudicium cœptum, vt poſteriùs demonſtrabo ex l.ſiquidem.9.infr.de contrahed. ſtipul.probabile
igitur eſt, etiam priorem hanc regulam eodem modo eſſe accipiendam. Poſthac videamus, vtrùm hoc
permittatur accuſari & reo, an accuſatori tantùm
vel reo tantùm. Doctores variant, & multi putant,
reo tantùm hæc indulgeri, non accuſatori. Alij contra.Sed verius eſt, vtriuſque eſſe eandem rationem, &
æquè vtrique licere paciſci vel tranſigere. Hanc
ſententiam probo. I. Ex eo,quod l. ſimpliciter & generaliter

raliter loquitur: vnde verba non patiuntur, vt lex coangustetur ad reum potiùs, quàm ad actorem. II. Quia ratio permissionis in vtroque locum æquè habet, vt supr. docui. III. Quia reus non potest pacisci, quin accusator simul paciscatur. Pactū enim vel transactio est conuentio duorū, non vnius: si igitur lex vni permittit, necesse est, vt etiam alteri permittat secundum regulam illam, quod aliquo concesso, videntur omnia concedi, sine quib. id expediri nequit, infr. de necess. seru. l. pen. & D. de iurisd. l. 2. & Instit. qui & ex quib. caus. manum. non poss. §. idémque iuris. Consequenter quæro, quia lex loquitur de crimine ingerente pœnam sanguinis, quid dicendum, si (vt sæpe contingit) casus sit dubius, ita vt iudicio pendente nondū constet, vtrùm pœna capitalis an leuior sit irroganda? Respondeo, hoc etiam casu pactionem vel transactionem esse permissam. Quod probo duplici argumento. Primum est: quia hoc casu æquè est iustus metus, & iusta suspicio, qua litigator dubitat de pœna mortis, propter incertum iudiciorum exitum, facit §. 1. l. 7. D. quod metus caus. Alterum argumētum duco ex communi Doctorū sententia, qui volunt non admitti procuratorem eo casu, quo dubium est, vtrùm pœna sit futura grauior relegatione, an leuior; cùm certi iuris sit, procuratorē admitti, vbi leuior pœna est infligenda, non admitti, vbi grauior, D. an per alium caus. appell. reddi poss. l. 1. Sicut ergo in ea quæstione casus dubius comparatur grauiori, ita etiam puto dicendum in nostra quæstione. Addo & tertiū argumentum: quia non admittitur pactū vel transactio, quasi pœna mortis sine dubio inferenda esset: immo transigitur tamquàm de re dubia: ergo in casib. dubiis perspicuum est admitti transactionem. Sequitur vt videamus, quinam sint effectus huius permissionis. Primus effectus est, vt reus habeat exceptionem conuentionis, si postea repetatur ab eodem accusatore: quoniam hic est effectus cōmunis omnib. pactis & transactionibus validis. Alter effectus est, vt propter hanc transactionem vel pactum neque accusator, neque reus incurrant infamiam, vel vllam aliam pœnā patiantur; quādoquidem hæc pactio seu transactio est iure permissa: quod autem iure permittente fit, pœnam non meretur, infr. de adulter. l. 4. Tertius effectus est, vt hæc conuentio obstet huic soli accusatori, qui pactus est, vel transegit, non aliis: quia conuentio inter quosdam facta, non potest aliis obesse, D. de pact. l. si vnus. 27. §. pacta quæ turpem. Ergo idem reus eodē crimine ab alio quocumq; rectè accusari & condēnari poterit, D. ad leg. Iul. de vi publ. l. 5. §. vlt. Superest, vt soluamus obiectiones, quæ videtur nostræ regulæ aduersari. Primò opponitur, quòd nō licet trāsigere vel pacisci de causis publicis, D. de pact. l. 7. §. si paciscat. ergo malè hîc permittitur pactū & trāsactio de crimine publico. Respondeo, pactum de causa publica eatenus tantùm reprobari, & esse inutile, quatenus cōtingit ius publicū: cæterùm illud idē pactū tenet, respectu iuris priuati, quod vnà cum iure publico in eadē causa cernitur, d. l. si vnus. §. pacta quæ turpē. vt in caso nostro pactū valet quātum ad priuatam causam, id est, vt paciscens adimat sibi facultatē accusandi: idem pactum non valet, quatenus cōtingit publicam causam, id est, quatenus hæc accusatio publica est, nec soli transigenti, sed etiam aliis cōpetit. Vt enim supr. diximus, huius cōuentionis exceptio soli paciscenti officit, non aliis. Secūdò opponitur, quod transigens videtur præuaricari, cùm hac ratione dimittat reū, atq; ita quodāmodò eius causam iuuet. Respōdeo, non posse dici præuaricationem: quia nemo præuaricatur, nisi causam suam prodat, l. 1. D. de præuaricat. l. 1. hic autē, de quo querimus, nō prodit causam, sed apertè & bona fide transigit. Tertiò oppono, quòd accusator, si desistat ab accusatione, cùm nō impetrauerit abolitionem criminis, incidit in S.C. Tur-

A pill. D. ad S.C. Turpill. l. 1. §. si quis autē. l. in senatuscon. 15. in pr. atqui transigens desistit ab accusatione citra abolitionē: ergo hæc trāsactio non est licita, sed puniēda ex eo S.C. Respondeo, eam regulā, quod accusator desistens punitur, tunc cessare, cùm lege permittēte desistit, vt contingit in casu proposito, quoniam lex permittit transigere, consequēter permittit ab accusatione desistere. Hæc solutio cōfirmatur ex eo, quod accusator impunè desistit, si permissu principis id faciat, D. eod. l. destitisse. 13. §. 1. Quod si permittēte principe licet desistere, sine dubio etiā permittēte lege licebit. Similis est solutio, si quis obiiciat contra reum transigentē, quòd videtur dato pretio accusatorem corrupisse, cōsequenter puniendus esse, D. de iur. fisci. l. 4. l. eius. 29. l. Imperatores. 34. Omnis enim pœna cessat in eo, quod lege per-

B mittēte fit, inf. de adul. d. l. 4. Postremò opponitur, quòd trāsactio vim habet rei iudicatæ, infr. h. t. l. non minorē. 20. atqui si de crimine semel iudicatū fuisset, alij postea agentes submouerētur vulgari exceptione rei iudicatæ, ne de eodem crimine sæpius quæratur: ergo similiter, cùm transactū sit, reus nō poterit à quouis alio accusari: quod aduersatur iis, quæ prædiximus. Respōdeo trāsactionem rei iudicatæ cōparari, non omnino & simpliciter, sed secundū quid, id est, respectu trāsigentiū, non quod ad alios, qui non transegerunt. Hæc dicta sint de prima regula. Sequitur eius exceptio. Ait lex, *Excepto adulterio*. Pro interpretatione huius exceptionis, primò videndū est, quomodo accipi debeat, & quā sententiam cōtineat: deinde, quæ sit ratio excipiēdi adulterij: tertiò soluendæ sunt obiectiones, quæ videntur officere huic

C exceptioni: quartò aperiēdi effectus huius exceptionis: postremò videndū, an sint aliæ exceptiones eiusdē regulæ. Quod ad primum attinet, duo sunt notāda: alterū pertinens ad cōuentionem: alterum ad rem subiectam, de qua conuenit. Quod ad conuentionem attinet, Azo & quidam alij intellexerunt hanc exceptionē de transactione vel pacto nō gratuito, existimātes licere gratis pacisci de crimine adulterij. Quæ sententia falsa est: hæc enim lex loquitur generaliter de pacto & trāsactione, quemadmodū & l. de crimine. infr. de adulter. perspicuè reprobat omne pactū & omnem transactionē de adulterio. Quod verò ad rem, de qua fit pactū vel trāsactio, notādum est secundum omnes Doct. licere omnem iniuriam, &, vt loquuntur, omnem rancorem remittere, saluo processu & persecutione iudiciaria, ita vt liceat

D etiam marito pacem facere cum adultero, saluo suo iure persequendi crimen. Quæ sententia & cōmuniter recepta, & æquitati ac religioni Christianæ cōsentanea est. Iam videamus, quæ sit ratio huius exceptionis. Pro qua eruenda Doct. mirum in modū laborarunt, & plurimas rationes attulerūt: quas, cùm leuiores sint, nec mihi satisfacere possint, breuitatis studio prætermitto. Rationem verissimā esse puto, quæ placuit primùm Goueano lib. 1. var. lect. cap. 30. deinde Cuiac. lib. 6. obs. cap. 11. & lib. 19. cap. 39. quia lex Iulia de adulteriis nominatim prohibuit pacisci vel transigere de hoc crimine: vnde cùm non reperitur correcta, adhuc obtinet. Meritò autem lex Iulia prohibuit pactum & transactionem de adulterio: quia tempore illius legis, & secundum eam legem non fuit capitale crimen adulterij, D. de testib.

E l. qui. 14. l. ex eo. 18. & D. de his quæ vt indi. l. Claudius. 13. & de quæstionib. l. 5. & de re milit. l. 4. §. adulterij. Sequens autem regula nostræ legis docet, non esse transigendum vel paciscendum de crimine non capitali: quamuis autem hoc crimen capitale esse desierit, mansit tamen prohibitio transactionis: quia lex generaliter permittens transactionem de crimine capitali, non corrigit legem priorem specialiter vetantem transigi de adulterio: correctiones enim sunt odiosæ, & strictissimè accipiuntur, inst. de appell. l. præcipimus,

32. §.vlt. adeò vt receptum sit, legem priorem specialem, non tolli per posteriorem generalem, sed ei derogare. consequenter soluendæ sunt obiectiones, quæ suprà dictis aduersari videntur. Primò oppono, quod adulterium etiam lege Iulia fuit capitale, Instit. de publ. iud. §. item lex Iulia de adulter. Solutio: Pœna gladij tribuitur ibi legi Iuliæ de adulteriis, non per se, sed quatenus fuit interpolata constitutionibus principum, quo modo pleræque leges iudiciorum publicorum & pleræq; pœnæ in eod. tit. sunt accipiendæ. Secundò oppono, quod adulterij pœna non videtur fuisse capitalis siue sanguinis tempore Diocletiani & Maximiniani auctorum huius legis. Videtur enim hæc pœna fuisse introducta constitutione Constantini, infr. de adult. l. quamuis adulterij. 30. in fin. vt existimat Brissonius lib. singul. ad legem Iuliam de adulteriis, ad verba, *pro comperto stupro.* B Vel constitutione Constantij & Constantis, C. Theod. quorum appellationes non recipiuntur, l. 4. vt existimat Cuiacius lib. 6. obseru. dicto cap. 11. Pro solutione huius obiectionis, & rectè intelligenda origine huius pœnæ capitalis, quædam noto. I. Pœna adulterij fuit capitalis etiam tempore Appulleij, cuius hæc sunt verba, lib. 9. *Ne iuris quidem seueritate lege de adulteriis eum in discrimen vocabo capitis*: floruit autem Apulleius sub diuo Pio, & tempore diuorum fratrum, vt notat Petrus Pithœus lib. 2. aduersat. cap. 10. & Rævaldus lib. 1. variar. cap. 20. Vnde apparet, multò antè Constantium, immo & ante Constantini tempora, crimen adulterij fuisse capitale. II. Fieri potuit, vt hoc crimen primùm cœperit esse capitale, deinde per aliam constitutionem irrogata sit pœna sanguinis. C Nihil enim prohibet, quò minus circa ætatem D. Pij, adulterij pœna fuerit exilium; postea vel à Constantino, vel ab alio Imperatore sit statuta pœna gladij. III. Sæpe contigit, vt eadem pœna eiusdem delicti sit irrogata à diuersis principibus. Quod potissimùm fieri solet, quando leges antiquiores propter vetustatem minus habent auctoritatis, & sensim in desuetudinem abeunt: tunc enim quodammodo renouantur à posterioribus principibus. Cuius rei exempla nobis suppeditant nouellæ Leonis, Sic puniendos esse eos, qui pueros castrant, à pluribus principibus constitutum fuit, non tantùm ab Adriano, vt continetur in nostris libris iuris, sed etiam ab aliis antiquioribus Imperatoribus. Nam Xiphilinus tradit, hoc fuisse constitutum à Domitiano, quod verùm esse constat etiam ex Suetonio, D & ex Martiali: idem tamen Xiphilinus in Nerua ait, id fuisse constitutum ab ipso Nerua, quia scilicet Domitiani lex in desuetudinem abierat. Hinc colligo nobis non constare de origine pœnæ capitalis in crimine adulterij. Primùm enim non constat, vtrùm eo tempore, quo cœpit esse pœna capitalis, esset pœna gladij: deinde non constat, quis sit primus auctor pœnæ capitalis, quocumque modo pœnam capitalem accipere placeat: denique non constat, vtrùm hæc verba, *excepto adulterio*, sint huic legi à Triboniano adiecta, vt Cuiacius putat, an sint verba Imperatorum: quia & certum est, Tribonianum multa interpolasse: nec certum est, tempore huius l. pœnam adulterij fuisse capitalem, id est, sanguinis, aut non capitalem. In dubio tamen non est præsumenda interpretatio. Tertiò E opponitur, quòd si pater adulteræ, aut maritus negauit se accusationē vno adulterij, postea volēs accusare, non auditur, D. ad leg. Iul. de adulter. l. si maritus. 15. §. si negauerit. atqui dum accusatur, paciscitur, vel transigit, apertè negat se velle amplius agere: ergo postea non audietur. Pactum igitur vel transactio vim habet, nec est inutile, quomodo igitur prohibetur hac lege, cùm certùm sit, pactum vel transactiones contra ius factas non valere, supr. de legib. l. 5. & de pact. l. 6. & D. eod. l. 7.

A §. ait prætor. Hæc obiectio multis modis solui potest. Primùm possumus respondere, patrem vel maritum in d. §. si negauerint. non omnino negasse se accusaturos adulterij, sed tantùm renunciasse priuilegio, quod habent, vt intra sexaginta dies soli & sine metu calumniæ accusent, D. ad leg. Iul. de adulter. l. is cuius. 14. §. pen. & vltim. Non est igitur mirum, si ea negatio habet effectum, per quam non tam renunciatur accusationi, quàm priuilegio, ita vt nihilominùs possint postea accusare iure extranei. Secūdò pro solutione distinguendum est inter pactū seu transactionem & eam negotiationē, de qua in d. §. si negauerint. Non enim qui negat se acturū, paciscitur: & illa quidē negatio prohibita nō est, licèt pactū & transactio prohibeantur: quia nemo cogitur accusare, proinde quilibet potest licitè B negare se accusaturum. Et est manifesta inter hæc distinctio; quod pactum vel transactio est consensus duorum; negatio verò, solius negantis. Postremò pro solutione eiusdem obiectionis, si quis defendere velit in casu d. §. si negauerint. patrem vel maritum propter negationem illam omnimodo ab accusatione repelli, dicere possumus, eos submoueri ab accusando, non ratione consensus, quem ea negatione declararunt, sed quia reddiderunt se indignos, ita vt non videantur amplius apti ad accusandum; quandoquidem in iudiciis publicis quædam personæ quæ non idoneæ ab accusatione instituenda excluduntur. Quartò opponitur, quòd is, qui adulterum deprehensum gratis dimittit, non punitur lege Iulia, ne quidem ipse maritus, nisi adulteram vxorem retineat, D. ad leg. Iul. de adulter. l. C maritum. 29. §. plectitur. ergo similiter dicendum videtur de adulterij crimine licere gratis pacisci, non accepto pretio: quam fuisse Azonis & quorundam aliorum sententiam, supr. notaui, & eandem refutaui. Huius obiectionis solutio colligi potest ex iis, quæ paulò antè dixi. Aliud enim est pacisci vel transigere: aliud, dimittere adulterum: quem vt nemo cogitur accusare, ita non cogitur adprehendere: nec punitur dimittens, nisi ex ea dimissione turpe lucrum consequatur. Vnde Ouidius rectè se defendit 3. Tristium. eleg. 6. inquiens,

Nihil igitur referam, nisi me peccasse, sed illa
Præmia peccato nulla petita mihi.

Quintò opponitur Nou. 117. in fin. vbi Iustinianus, postquàm constituit eum puniri adulterij, quàm contra ternam denunciationem mariti collocutus est cum D vxore aliena, subiungit, hoc habere locum in iis casibus, qui non sunt vel iudicio vel amicabili compositione decisi: videtur igitur apertè probare amicabilem compositionem, id est, pactionem vel transactionem de adulterio. Ad hunc tex. respondere possumus duob. modis. Nam primò notandum est, ea esse verba epilogi: qui quidem epilogus non debet referri solum ad caput proximum; quod est de adulterio, sed ad totā nouellam constantē quindecim capitibus, & tractantē varios casus. Vnde possumus dictū de amicabili cōpositione referre ad alia capitula, nō ad eam partē Nouellæ, quæ est de adulterio. Addo alterā solutionem, quæ mihi magis probatur. Nā ea nouella non tractat de vero adulterio, sed quasi adulterum punit eum, qui tantùm est locutus cum vxore aliena post tres denūciationes mariti. atqui certum est, ante eam nouellā hunc nō fuisse obnoxium E pœnæ adulterij: ergo ante eam Nouellā potuit pacisci, vel transigere: ea verò Nouella, quæ (vt plerumq; assolet) formam dat futuris negotiis, non reuocat pacta & transactiones iam factas, sed eas conuentiones relinquit iuri antiquo Digestorum & Codicis, quo iure (vt exposui) ideo volebant, quia hic casus non comprehendebatur lege Iulia de adulteriis. Ceterùm existimo futuras pactiones, vt transactiones, id est, post eam Nouellam factas, non esse iure permissas.

Vltimò

Vltimò opponitur Nou. 134. cap.10. vbi constituitur, vt maritus possit adulteram recipere. Ex quo videtur colligi, quod maritus potest eam iniuriam vxori remittere: proinde & pacisci de non accusando. Solutio facilis est: ibi namque nulla est pactio, nulla transactio: immo mulier iam fuerat adulterij nomine punita, id est, virgis cæsa, & in monasterium detrusa. Cùm autem Iustinianus permittat, vt eam recipiat, non corrigit hanc l. sed alia iura, quæ maritum adulterij condemnant, si vxorem adulteram retineat.

Sequitur, vt explicem effectum transactionis de adulterio. Quæro igitur, an is, qui transegit vel pactus est, postea nihilominùs possit accusare, nõ obstante pacto vel trãsactione. Prima facie videtur posse: quia cùm transactio facta sit lege prohibente, est inutilis, supr. de legib. l.5. & de pact. l.6. & D. eod. l.7. §. ait prætor. Atque hanc sententiam sequitur Cuiacius lib.19. Obseru. cap. 39. Contrarium verius puto. Quamuis enim transactio sit inutilis, id est, non habeat vim conuentionis, tamen accusator repellitur: quia, dum pactus est vel transegit, ab accusatione destitit, D. ad S.C. Turpil. l.6. qui autem semel destitit, accusare postea nõ potest, D. eod. l.2. & l. in senatusconsul. 15. §. ceterùm. Quemadmodum igitur alibi acceptilatio inutilis continet in se pactum vtile, D. de act. empt. l.5. in princ. ita in casu nostro transactio inutilis continet detractionem accusationis efficacem. His expositis, superest, vt videamus, vtrùm solùm adulterium, an & alia crimina capitalia excipiantur. Primò quæro, an liceat transigere de crimine raptus. Multi putant transactionem esse prohibitam. quam sententiam secuti sunt Hugolinus, Odofredus, Iacobus de Arena, Cinus, Corneus, Romanus, Alciatus, Castrensis, Gandinus, Lotiorns, Connanus, & Furcatulus. Contraria tamen sententia communiter probatur, quod raptus non excipitur, sed continetur sub regula permittente transactionem vel pactum. Pro hac communi sententia primò facere videtur §. vlt. l.5. D. ad l. Iul. de vi public. vbi dicitur, si pater puellæ raptæ remiserit iniuriam, alios nihilominùs posse accusare raptorem. Vnde colligunt, patrem posse iniuriam remittere, consequenter posse pacisci vel transigere. Hoc argumentum est admodum infirmum. Primùm enim non dicit lex, remissionem patris esse impunitam, sed tantùm alios posse agere: hæc autem simul vera esse possunt, vt extranei admittantur ad accusandum, & pater puniatur, eò quod remisit iniuriam. præterea, supr. docui, aliud esse remittere iniuriam; aliud, pacisci vel transigere: nec valere argumentum à remissione ad conuentionem. Item pro eadem sententia videtur esse tex. in l. pen. infr. pro quib. caus. serui pro præm. libert. accip. vbi constituitur, vt seruus libertatem consequatur, si crimen raptus dissimulatum, vel pactione transmissum detexerit. Ad hanc legem responderi potest, vt ad præcedentem, id est, pactionem de facto interuenisse, sed neque esse licitam, neque impunitam. Pro contraria autem sententia citatur tex. in l. vnic. §. pen. inf. de raptu virg. vbi pater puellæ raptæ deportatur, si iniuriam illam remiserit. Vnde rectè infertur, quòd non potest pacisci vel transigere: sic enim iniuriam remitteret. Ad hunc tex. respondieri potest, hoc esse speciale in patre: alias autem personas posse impunè transigere. His in vtramq; partẽ adductis, videamus, quid sentiendum sit. Notare oportet, crimen raptus & contineri lege Iulia de adulteriis, & lege Iulia de vi publica: qua ratione dicitur potestatem legis Iuliæ de adulteriis excedere, D. de vi publ. l.5. §. vlt. atqui lex Iulia de adulteriis prohibuit pacisci, lex Iulia de vi publica non prohibuit. Ergo pactũ & transactio prohibentur, si accusatio instituatur ex lege Iulia de adulteriis: permittitur autem secũdum regulam positã in prin. nostræ l. si raptor accusatus fuerit lege Iulia

A de vi. Secundò quæro, an liceat pacisci de stupro. Hanc quæstionem intellige in iis casibus, in quibus stuprũ est capitale, veluti cum puero. Nam in aliis casibus cùm nõ sit capitale, Iust. de publ. iud. §. item lex Iul. de adult. sine dubio pertinet ad regulã seq. ita vt pactio & transactio prohibeantur. Quidam etiam putant stuprum esse capitale, si committatur cum puella nondũ viripotente: sed huic sententiæ repugnat tex. in l. si quis aliquid. 38. §. qui nondum. D. de pœn. si capitalem accipias pro pœna sanguinis. Quãdo igitur stuprum est capitale, quæritur, an liceat pacisci, vel transigere. Communis opinio est, quòd liceat: quia lex solùm adulterium excipit, non etiam stuprũ: multi tamen contrà sentiunt, & (vt mihi videtur) rectè: quoniam appellatione adulterij in l. Iulia
B continetur etiam stuprũ, D. ad leg. Iul. de adult. l. 6. §. 1. & de verb. sign. l. inter stuprum. 101. in pr. Tertiò quæro de incestu. Communiter admittunt pactum & transactionem: quidam repudiant, inter quos Cõnanus lib. 5. cap. 7. nu. 3. Ego hîc distinguendũ puto, vt sup. dixi de raptu. Certum enim est, incestum non consistere per se, sed hærere stupro, vel adulterio, vel alij coniunctioni. Ergo si de incestu agatur lege Iulia de adulteriis, pactionem illicitam puto: si verò lege Iulia de vi publica, quòd incestus per vim admissus dicatur, probo communem sententiam, vt liceat pacisci vel transigere. Quartò quæro, an pacisci vel transigere liceat de crimine læsæ maiestatis. Cuiacius d. lib. 6. cap. 11. huiuscemodi conuentiones admittit: quæ fuit etiam sententia
C Alexandri hîc. Pro qua sententia facit, quod cùm hoc crimen non reperiatur exceptũ, debet contineri sub regula generali. Cinus tamen, & multi alij Doct. contrà sentiunt: pro quibus facit, quòd conscij huius criminis puniuntur, infr. ad leg. Iul. maiesta. l.5. §. id quod. adeo vt Bart. in l. vtrùm. nu. 3. D. de parricid. scripserit, eos esse puniendos pœna mortis. Quãquàm multi hanc sententiam vt nimis rigorosam condemnant, præsertim Bald. qui ait animam Bartoli ob illud dictũ cruciari in inferno. Alij autem Doct. partim Bartolum, partim Baldum secuti sunt, ita vt vtriusque opinio vocetur communis, & recepta. Quidam verò sic conciliant, vt conscius, si vult vitare pœnam læsæ maiestatis, teneatur reuelare crimẽ, non etiam accusare, nisi probationes habeat. Ego
D puto conscium puniri, nisi patefecerit crimen, siue habeat probationes, siue non: accusare tamen non teneri. Hæc ita procedit in crimine perduellionis, non in aliis casibus, quib. maiestas læsa dicitur, infr. ad l. Iul. maiesta. d. l.5. qui plura de hac quæstione cupit, legat Angel. de malefic. in verbo, & *has tradita la tua patria*. Alciatum hîc, & in l.4. §. Cato. num.3. D. de verb. oblig. Iul. Clar. lib.5. §. vlt. q.87. nu.2. & præceptorem meum Menocb. lib.2. de arbitr. iud. quæstion. cent.4. casu. 355. nu. 9. & seqq. Cùm igitur conscius puniatur propter silentium, non videtur posse pacisci vel transigere, quin incidat in legem Iuliam maiestatis. Si hæc sententia communis vera esset, & si argumentatio hæc procederet: conscius punitur, ergo non potest transigere, necessariò idem dicendum esset de crimine parricidij: nam huius quoq; criminis conscij puniuntur, D. de leg. Pom. de parricid. l.2. & l.6. & Instit. de publ. iud. §. alia. Sed mihi
E magis placet prior opinio, quod de his criminibus liceat pacisci, vel transigere. Nec moueor, eò quod conscij puniuntur: quia (vt iam notaui) non tenentur accusare, sed tãtùm denunciare seu detegere crimẽ: pactum enim vel transactio non fit cõtra denunciationem, sed contra accusationem, ne instituatur, néve peragatur. Cùm igitur nec vlla lex, nec vlla ratio excipiat hæc crimina, necesse est ea contineri sub regula, consequenter admitti transactiones. Hæc dicta sint de criminibus capitalibus pœnam consanguinis & mortis inferentibus: transgrediamur ad alteram regulam

de criminibus non capitalibus. Ait lex, *In aliis autem publicis criminibus, quæ sanguinis pœnam non ingerunt, transigere non licet.* Expendamus singula verba huius regulæ.

Ait lex, *In aliis publicis.* Tota enim lex est de publicis criminibus. Quod verò ad priuata attinet, breuiter sic distinguendum est: Aut quæritur, an liceat pacisci de delicto committendo, aut de commisso. Priori casu pactum non valet: quia inuitatet ad delinquendum: posteriori casu est efficax, D. de pact. l. si vnus. 27. §. pacta quæ turpem. Reus tamen, si eius pacti causa pecuniam dedit, infamia notatur quasi delictum confessus, D. de his qui not. infam. l. 1. & l. 6. §. pactúsque. nisi iussu magistratus pepigerit, vt traditur ead. l. 6. §. qui iussu. Ait, *publicis criminibus.* Hæc est propria locutio: quia propriè dicuntur publica crimina, delicta autem priuata, D. de edilic. ed. l. quid sit. 17. §. noxas. interdum tamen hæc confunduntur, & dicuntur crimina priuata, D. ad senatuscons. Turpill. l. 3. & de pœn. l. 1. §. vlt. nec non delicta publica, infr. si seru. export. vend. l. 4. & infr. de emend. propinqu. l. vnic. Deinde ait, *Quæ sanguinis pœnam non ingerunt.* Sanguinis pœna hic significat vltimum supplicium, id est, mortem, D. de bon. eor. qui ante senten. l. 1. vt supr. notaui.

Ait, *Transigere.* Vel ex proximo repetendum est, *aut pacisci*: vel transigendi verbum hic debet latiùs accipi, vt in l. 1. §. conuentionis. D. de pact. vt complectatur etiam pactionem. Pacti namque & transactionis eadem est hîc, vt & in regula præcedenti, ratio. Hæc est communis huius posterioris regulæ interpretatio, quibusdam frustra dissentientibus, qui putant hîc prohiberi trāsactionem, permitti autem gratuitam pactionem. Sed verius est, vtrumque prohiberi, infr. de contrahend. stipul. l. si quidem. 9.

Ait, *Non licet.* Hoc loco quatuor sunt breuiter proponenda: primò, quomodo hæc regula debeat accipi: secundò, quæ sit huius regulæ ratio: tertiò, soluenda obiectio: postremò accipiendus effectus huius regulæ. Quod ad primum caput attinet, intelligendum est, pactionē prohiberi, non solùm de accusatione iam instituta, sed etiam de instituēda, inf. de contrah. stipul. d. l. si quidem. & multò magis ante crimen admissum: quia pactū de futuro crimine vel delicto numquam valet, ne quis inuitetur ad delinquendum, d. l. si vnus. §. pacta quæ turpem. Regulæ autem ratio triplex afferri potest. I. Reus pacisci vel transigere non potest, quia videtur id facere metu pœnæ, propter malam conscientiam, atque adeo videtur fateri crimen, D. de præuar. l. vltim. Accusator autem ideo non potest, quia si prohibetur reus, per consequentiam prohibetur accusator transigere, cùm alter sine altero transigere non possit, vt & supr. notaui. II. Quia publicè interest, delicta non manere impunita. Nec obstat, quod crimen puniri poterit, etiamsi hic transegerit, quia fortasse alius accusabit, aut iudex ex officio inquiret, quibus scilicet casibus ex officio inquirendū est: hoc (inquā) non obstat: quia non est certum, id futurū: deinde alij fortasse non poterunt æquè crimen probare; denique non est coangustanda facultas publicè cōcessa persequendi crimina. III. Quia præcedens regula de criminibus capitalibus, transactionem permittebat ob summum & iustum metum mortis: cessante igitur eo periculo & eo metu, cessare etiam debet ea permissio. Sed opponitur l. 1. §. pen. D. de calumn. vbi tam in causis publicis vel fiscalibus, quàm in priuatis transactiones permittuntur. Respondeo, eam legem esse explicandam, & limitandam ex hac nostra l. trāsigere. vt excipiantur crimina publica non ingerentia pœnam sanguinis. Quod attinet ad effectum: cùm transactio prohibeatur, perspicuum est eam non valere. Sed quæritur, an is, qui transegit, nihilomi-

A nùs possit accusare, vel accusationem relictam instaurare. Hic repetenda sunt ea, quæ dixi sup. de adulterio, hoc est, eum repelli ab accusando, non vi transactionis, id est, non quia ipsi possit opponi exceptio conuentionis, sed quia destitit, & indignum se reddidit.

Superest vltima pars legis, quæ continetur postremis illis verbis, *Citra falsi accusationem.* Particula *citra*, non semper accipitur eodē modo. Interdū enim significat *præter*, & est nota exceptionis, vt in l. vnic. §. accedit. vers. extraneum, infr. de rei vxor. act. vbi Iustinianus ait se extraneum intelligere citra parentem, id est, præter parentē, seu excepto parente: quia parens nō est extraneus. Sæpe autē hæc particula accipitur pro, *sine*, ita vt significet priuationē, non exceptionem, vt cum dicuntur aliqui conuenisse citra stipulationem, D. de seru. B expor. l. 7. id est, sine stipulatione: hoc enim casu non possumus interpretari, id est, excepta stipulatione. Papinianus autem in l. vlt. D. de calumn. videtur esse ambiguè vsus hac particula *citra*, dum ait, *citra pretij æstimationem quæritur de calumnia eius qui seruum accusauit.* In præcedentibus enim verbis dixerat, nisi crimen probasset, eum restituere debere domino serui pretium duplicatum. Subiungit quæri de calumnia citra pretium serui: vel quia in hac quæstione de calumnia, seruus non æstimatur, nec pretium venit in condemnationem, adeo vt *citra*, accipiatur pro *sine*, vel quia præter condemnationem illam pretij in duplum, etiam condemnatur accusator de calumnia, ita vt sint duo iudicia & duæ condemnationes separatæ: sic igitur C particula *citra* accipietur pro *præter*. Vtrouis autem modo explicemus verba Papiniani, ea particula *citra*, non significat exceptionem. Ergo ambiguitas seu homonymia huius particulæ *citra*, videtur fuisse in causa, vt postrema verba nostræ legis acceperint varias interpretationes. Hîc enim reperio tres Doctorū opiniones. Prima est sententia communis, quod de crimine falsi transigere liceat, atque hoc significetur his postremis verbis legis. Secundum quam sententiam accipitur *citra* pro *præter*, vt sit nota exceptionis. Regulariter enim de his criminibus non capitalibus transigere prohibemur: sed excipitur crimen falsi. Altera sententia opposita & omnino contraria est eorum, qui putant neque hoc loco, nec aliis locis permitti transactionem de crimine falsi; sed hanc exceptionem esse omnino reprobandam. Hi accipiunt *citra* pro *sine*, vt D sensus sit, de crimine non capitali non posse transigi, quin incidatur in accusationem & pœnam falsi. Secundum quam interpretationem hæc vltima verba legis continent sanctionem, qua firmatur posterior regula, id est, pœna imponitur iis, qui illicitè transigunt. Hanc sententiam secuti sunt Alciatus, Loriotus, Brissonius, Ræuardus, Donellus, & Vetutius. Tertia est media sententia Vallæ, & Hottomanni, qui putant de falso transigi posse, ideóque hoc crimen esse excipiendum ab ea regula, quæ vetat transigi de crimine non capitali: negant tamen hanc exceptionem hîc poni, sed volunt ex aliis locis eam colligi. Hanc sententiā mediam appello: quia de re ipsa non dissentiunt à communi opinione: sed verba legis interpretantur, vt Alciatus, & alij. E In hac igitur opinionum diuersitate videndum est, quid sentiendum sit tam de re ipsa, quàm de verbor. nostræ legis interpretatione. Vt autem hæc plenè intelligātur, hoc ordine vtar. Primò semota nostra lege quæram, an de falso transigi possit, nécne. Secundò, si trāsigi potest, quæ sit ratio huius permissionis. Tertiò, semota similiter hac lege, quærā, an transigentib. de crimine nō capitali irrogetur pœna falsi. His enim expositis facilior erit inuentio veræ interpretationis nostræ l. atq; hanc interpretationem quarto loco proponā. Quintò & vltimò docebo, an alia crimina excipiantur præter crimen falsi.

falsi. Quod attinet ad primum caput, probo cõmunem A sententiam, quod de falso transigere licet. Aut enim de falso agitur ciuiliter, aut criminaliter. Si quæstio sit de actione ciuili, certum est, eam tolli per transactionem, infr. hoc tit. l. pen. Dubitatur de accusatione criminali. sed & de hac transigi posse probat l. 7. infr. de fals. vbi ille, qui transegerat de instrumento falsi suspecto, quia transigendo semel acquieuit, non potest amplius accusare falsi. Inde igitur apparet transactionem tenere. Qui contrariam sententiam defendunt, duobus modis respondent. Primò, inquiunt transactionem ibi valere, quia nondum fuerat instituta accusatio, quòd si de accusatione instituenda transactum fuisset, nullas vires transactio haberet. Ita respondent, quia putant posteriorem regulam nostræ legis pertinere solùm ad accusationem institutam, non ad accusatio- B nem instituendam. Sed falluntur: quia contrarium disertè probat l. si quidem 9. infr. de contrahen. stipul. quam legem & supr. citaui. Quare fundamento eorum sublato, responsio corruit, quãdoquidem nulla differẽtia statui debet inter accusationem institutam, & instituendam, nam & lex nostra generaliter de criminib. loquitur: immo & d. l. 7. generaliter loquitur, non specialiter de accusatione instituenda. Secundò respondent, etiamsi detur, eum, qui transegit de accusatione falsi iam instituta, non posse ampliùs accusare, tamen inde non rectè colligi, quod transactio valeat. repellitur enim ab accusatione, non merito transactionis, sed propter accusationem desertam: quia cùm destiterit, indignum se reddidit, qui ampliùs in ea causa audiretur, quemadmodum supr. diximus de adulterio. C Hæc responsio priori probabilior est. Mihi tamen non videtur conuenire verbis dictæ l. 7. quæ si perpendamus, facilè apparebit, vi & merito transactionis eum repelli ab accusando. Hoc probo primùm ex eo, quod lex inquit, *facta transactione*, non, *deserta actione*. deinde ait, eum non posse accusare, qui acquieuit instrumento, non, qui destitit ab accusatione instrumenti. Denique ea lex neque accusationem institutam, neque instituendam proponit, sed loquitur generaliter, ac debet generaliter accipi, consequenter repellit ab accusando, non propter desertionem actionis iam institutæ, sed propter transactionem de crimine falsi, & de accusatione siue instituta, siue instituenda. Hinc satis confirmatur sententia communis, præsertim cùm nulla lex contrarium doceat. Eadem sententia probatur D per l. 2. inf. de his quæ vt indign. in qua deciditur eiusmodi species; Cùm de hereditate Titiana inter Mæuium, qui se legitimum heredem asserebat, & Seiam heredem in testamento institutam dissentio esset: Mæuius testamentum falsum dixit: mox lite pendente decessit Polla vxore sua, & filio pupillo ex ea suscepto heredibus relictis. Polla cum Seia transegit, deinde eodem filio pupillo herede instituto mortua est. tutor pupilli vult dictum testamentum falsum dicere. quæritur, an possit. Lex distinguit: quia pupillus & Mæuio pro parte heres extitit, & Pollæ quoque matri coheredique suæ successit: testamentum igitur falsum à tutore pupilli dicitur, vel quatenus est heres Pollę, vel quatenus est immediatè heres Mæuij. Priori casu accusatio falsi non admittitur; quia Polla de falso transegit; E ac transactio ab aliquo facta, non potest ab herede eius licèt pupillo rescindi. Posteriori casu tunc potest falsum testamentum dicere: quia transactio Pollæ non potest pupillo coheredi suo nocere. suo tamen periculo accusabit: quia cum pupilli nomine accuset, nisi falsum probet, efficiet vt pupillus relictum sibi in testamento perdat; atque hoc damnum ipse cogetur et resarcire actione tutelæ. Hæc est planissima & verissima eius legis interpretatio: ex qua apparet transactionem

A de falso valere. Qui contrariam sententiam tuentur, hanc legem conantur in nos detorquere: quia non obstante transactione admittitur accusatio falsi: ergo transactio non valet. Communiter huic obiectioni respondent, accusationem admitti quidem, sed periculo accusantis. quasi hoc periculum ex transactione pendeat. quod falsum est: quia sibi relictum in testamento is amittit qui testamentum falsum vel inofficiosum improbè dicit, nulla habita ratione transactionis, D. de inoff. testam. l. Papinianus. 8. § meminisse. Respondendum igitur est, accusationem falsi non admitti pro parte Pollæ, quæ transegit, sed pro pupilli, qui non transegit, portione, vt ex data nostra interpretatione, quæ verbis maximè conuenit, facilè apparet. Sequitur, vt videamus, cur de falso transigi possit. Hîc B notandum est, falsi pœnam quandoque esse capitalem, quandoque non capitalem pro commissi qualitate, infr. de fals. l. vbi. aa. Tres igitur casus notari possunt. Aut enim quæritur de falso, ex quo certum est irrogatum iri pœnam mortis: aut certum est, irrogatum iri pœnam leuiorem: aut res est dubia. Primo casu sine dubio transactio permittitur, non tam propter vltima verba nostræ legis, quàm propter primam regulam de criminib. capitalibus. Idem dicendum de tertio casu, secundum ea, quæ supr. notaui, vbi docui nihil referre, vtrùm pœna sit capitalis, an meritò dubitetur, quasi possit infligi pœna capitalis, vel non capitalis. secundus autem casus hîc in disquisitionem venit, cur scilicèt de falso transigere liceat, etiam si non sit capitale. Rationes plurimæ afferuntur. mihi verò ea placet, C quam Cuiac. dictis locis proponit, quia hoc crimen ex lege Cornelia fuit capitale, proinde lex Cornelia meritò pacisci permisit: postea ex constitutionibus factum est crimen non capitale, & correcta fuit, quantum ad hoc, lex Cornelia. Sed quia correctiones legum strictissimè accipiuntur, nec vlla lex vel constitutio nominatim abrogauit permissionem transactionis, idcirco permissio hodiéque manet. Posthæc videamus, an trãsigenti de crimine non capitali irrogetur pœna falsi. Breuiter dico, non irrogari. quia transigens neque falsum committit, neque lege Cornelia de falsis continetur, neque vlla lege, aut senatusconsulto, aut constitutione ad eam legem Corneliam redigitur, id est, nulla lex irrogat ei pœnam falsi. Qui contrariam sententiam tuentur, primò eam probant ex nostra lege, id est, ex D verbis illis. *Citra accusationem falsi*. Sed de hac verborum interpretatione mox dicemus secundum ordinem propositum. Prætereà suam sententiam probant: quia transigens desistit ab accusatione: ergo incidit in S.C. Turpillianum. ergo incidit in pœnam falsi, id est, eius senatusconsulti. Hæc argumentatio repudianda est. Longè enim distat accusatio falsi à senatusconsulto Turpilliano. constat enim accusationem illam esse publicam: ex S.C. autem non esse iudicium publicum, D. de præuar. l. 3. §. vltim. Denique sicut aliud est falsum committere, aliud est desistere ab accusatione; ita etiã alia est pœna falsi, alia Senatusconsulti Turpilliani. His expositis, iam colligamus veram interpretationem nostræ legis. Dico interpretationem communem esse recipiendam, vt his verbis, *citra falsi accusationem*, E excipiatur crimen falsi, proinde ac si Imperatores dicerent, excepto crimine falsi, siue, excepta accusatione falsi. Hanc interpretationem confirmo duob. argumentis. Primum est: quia cùm verba sint ambigua, & recipiant duplicem interpretationem, vt supr. exposui, altera autem interpretatio contineat veram sententiam, altera falsam. quandoquidem modò ostensum est, de falso transigi posse, pœnam autem falsi irrogari transigenti de crimine non capitali: idcirco amplectenda est communis interpretatio, quæ veram

sententiā legis tribuit;non altera interpretatio,ex qua induceretur contradictio, id est, hæc l. contradiceret dictæ l.7.infr.de fals.& iis rationibus,quib.ostendimus non posse hoc casu infligi pœnam falsi. Hoc igitur est primum argumentum, quod ducitur ex ipsa rc. Alterum argumentum duco ex verbis legis: quia tota lex loquitur generaliter tam de accusatore, quàm de reo; & vltima quoque particula secundum communē sententiam generaliter accipitur, vt de crimine falsi tam accusator, quàm reus transigere possit. Quòd si alteram interpretationem reciperemus, cogeremur cum iisdem Doctor.restringere vltima verba legis,& coangustare ad solum accusatorem.Illa enim pœna Turpilliani non potest reo accommodari. Quare verba legis voluntatie coangustaremus: & sanctio esset imperfecta. Cùm enim ambo illicitè transigant, tamen pœna imponeretur soli accusatori, non etiam reo. Superest,vt videamus,an sint alij casus excepti, quibus transigere liceat, quamuis non irrogetur pœna capitalis. Primùm placet communis productio,vt non solùm is, qui falsum cōmisisse dicitur,sed etiam mandator transigere possit, quia tenetur eadem pœna. Præterea Accurs.& Bald.in l.2.D.ad Silan. per illum tex. excipiunt ea delicta,quæ cōsistunt in non faciēdo, vt,cùm seruus non defendit dominum aduersus latrones. Eadem exceptio placuit Iasoni, & Alciato hîc, Sed communiter reprobatur,& meritò.Primùm,quia nulla lege nititur; deinde nec ratione. Lex enim nostra nō cōsiderat quomodo crimen admittatur, sed quæ sit criminis pœna. Nec moueor d.l.2.vbi serui nō puniuntur quòd dominum non defenderint, eò quòd dominus in testamento eorum innocentiam purgauit: quia cùm esset præsumptio contra seruos,illa præsumptio tollitur per testimonium domini.Hæc dicta sint pro interpretatione huius l. Quia verò egimus tam de criminib. priuatis quàm de publicis,quæreret aliquis posset,quid sentiendum de extraordinariis. Breuiter puto,eandem distinctionem adhibendam,quam l. nostra adhibet in iudiciis publicis,vt si pœna mortis sit irroganda, transigere vel pacisci liceat,si leuior, non liceat. Eadem enim quoad hoc est ratio iudiciorum publicorum & extraordinariorum, nec lex nostra considerat formam aut ordinem iudicij, sed tantū pœnam & pœnæ metum,vt iustus metus propter mortis periculum excuset, quo minus transigens videatur delinquere & fateri delictum,metus autem leuioris pœnæ non excusat.

Ad L. Sub prætextu. 19.

CReditor,cùm debitorem conuenisset, intelligens se non posse debitum probare, quia instrumentum seu chirographum amiserat,cùm aduersario transegit, & modica summa contentus eum dimisit: post factam transactionem repetit chirographum, quod si initio habuisset,non transegisset,sed aduersarium condemnasset. Quæritur, an possit recedere à dicta transactione.Imperatores sic distinguunt:Aut transactio facta est bona fide sine dolo rei conuenti, & rescindi non potest:aut facta est per dolum rei conuenti, qui surripuit chirographum, atque ita extorsit transactionem,& hoc casu transactio infirmatur. Hinc suboritur altera quæstio:quia lex docet, transactionem hoc posteriori casu non esse nullam ipso iure, sed rescindi, & quomodo rescindatur,Imperatores iterum distinguūt. Aut enim actio,de qua transactum fuit,sublata est ipso iure per transactionem, quia interuenit acceptilatio: aut transactio non sustulit actionem ipso iure, sed parit tantum exceptionem,quia facta est nudo pacto.his enim duobus modis transigi potest,D.hoc tit.l.2.Priori casu mouenda est actio pristina, perinde ac si transactum non fuisset,putà actio ex stipulatu, vel ex mutuo: cui actioni reus quidem poterit obiicere exceptionem pacti seu transactionis, sed ea exceptio elidetur per replicationem doli.Altero verò casu, cùm sublata sit pristina actio,necesse est confugere ad subsidiariam actionem de dolo.Hæc in summa est sententia legis.

Ex qua notandum est, transactionem rectè factam non rescindi ob instrumenta postea reperta.

Sed oppono, quòd transactio & res iudicata comparantur,l prox.& de re iud.l.4. atqui res iudicata non officit, quò minùs vtamur instrumentis postea repertis,immo propter hæc instrumenta sententia retractatur,D.eod.l.Imperatores. 35. ergo similiter transactio propter instrumenta postea reperta debet rescindi.Solutio:Distinguendum est inter negotia publica, & priuata.Non enim simpliciter & generaliter in d. l.imperatores. dicitur rescindi sententiam ob instrumenta postea reperta, sed in negotio tantum publico, in quo similiter concedam rescindi transactionem ob eandem causam.

Secundò oppono, quòd transactio non valet,si postea reperiatur testamentum, quo disponatur de ea re, de qua transactum fuit,D.h.t.l.6.& testam.quem.apet. l.1.§.1.& quemadmodum transactio non nocet testamento postea reperto,ita nec codicillis, D. h.t.l.3.§.1. & l.non est ferendus. 12. Vnde videtur apertè colligi, transactionem non nocere instrumentis postea repertis,sed ob ea infirmari.Solutio: Speciale est fauore vltimæ voluntatis,vt de bis controuersiis, quæ ex testamento vel codicillis oriuntur,non aliter transigi vel iudicari possit, quàm inspectis cognitisque verbis testatoris, d. l. 6. d.l.1.§.1.Fauore, inquam, vltimæ voluntatis,id est,ne testamenta supprimantur, & vt faciliùs vltima voluntas executioni mandetur.

Tertiò oppono,quod transactio de vna re facta, ad aliam non pertinet,infr.h. t. l.si de certa. 31. vt etiam de pacto traditur in l.si vnus. 27. §.pacta quæ turpem. vers.ante omnia, D. de pact. atqui in casu proposito non est facta transactio de instrumentis, sed de actione mota.Ergo non pertinet ad instrumenta postea reperta:consequenter ea non officit. Solutio:Etsi transactum non est de instrumentis, tamen transactum est de obligatione instrumentis contenta: vnde fit, vt transactio reddat instrumenta inutilia, quatenus perimit obligationem & actionem, in ea instrumenta deductam.

Secundò ex hac l.notandum est, transactionem dolo interueniente nec esse nullam ipso iure,nec esse efficacem, sed infirmari per exceptionem seu replicationem doli,vt etiam notaui ad l. 9.supr.h.t.

Tertiò notandum, quod transactio nudo pacto facta actionem non tollit ipso iure, sed elidit ope exceptionis,supr.de pact.l.5.& D.eod.l.si vnus.27.§. pactus ne peteret.

Quartò notetur,si acceptilatio interueniat, actionem tolli ipso iure,sup.h.t.l.4.& l.vt responsum.15.

Vltimò notandum,si actio per acceptilationem dolo factam perempta fuerit, confugiendum esse ad subsidiariam actionem de dolo: sed vt hæc actio competat, duas conditiones coniunctim requiri. Altera est, quæ ponitur in contextu, nempe vt agatur intra tempus constitutum,id est,intra biennium,infr. de dolo. l. vlt. Altera est, vt transactio facta sit tantum de prima actione,non etiam de dolo: quoniam & ipsa actio de dolo, quæ post transactionem primam superest, alia transactione tolli potest,supr.h.t.d.l. 4.

Porrò quia lex ait, tantum actionem de dolo competere, videtur huic sententiæ contradicere l.qui tabulas.27.in pr. D. de furt.vbi datur actio furti propter instrumenta surrepta, & in ea actione habetur ratio eius

A eius quod interest; ideóque non tantùm æstimantur tabulæ, sed etiam obligatio tabulis comprehensa, adeo vt habeatur ratio eius damni, quod creditor passus est: quia propter surrepta instrumenta non potuit suum consequi. cùm igitur lex nostra ponat instrumenta surrepta, non tantum de dolo, sed & furti agi poterit. Solutio. Datur quidem vtraque actio, sed ad diuersa. Nam ad consequendum id, de cuius obligatione transactum fuit, nulla alia actio competit, quam de dolo. Nec obstat, quod diximus de damno contingente ob furtum factum: quia in casu nostro, si rem penitiùs inspiciamus, non furtum, sed transactio fuit causa dicti damni. Creditor enim amisit actionem, quia sponte sua transegit, & post instrumenta quoque surrepta potuit non transigere.

B

Ad L. Non minorem. 20.

HÆc lex diuiditur in quatuor partes. Prima continet regulam; secunda, rationem eius regulæ: tertia, ampliationem: quarta, rationem ampliationis. Regula est, Non minorem esse auctoritatem transactionum, quàm rerum iudicatarum. Sicut enim ex sententia datur exceptio rei iudicatæ, ita ex transactione datur pacti exceptio: & hæ exceptiones similiter submouent agentem: item, sicut sententia certis modis rescinditur, vt per appellationem, D. ad S. C. Turpill. l. 1. in fi. ita etiá transactio, putà propter dolum. sup. l. prox. vel propter metú, sup. eo. l. interpositas. 13. Deniq; tam in transactione, quàm in re iudicata locum habet ea regula, quòd res inter alios acta, tertio non nocet, tot. tit. infr. inter alios acta. C Ex his apparet, transactionem rectè comparari rei iudicatæ. Sed videtur huic comparationi obstare, quod ex re iudicata datur actio in factum, etiamsi nullus sit contractus, id est, etiamsi non interuenerit stipulatio iudicatú solui, infr. de reb. cred. l. actori. 8 & D. de condict. indeb. l. in duobus. 28. §. igitur, transactio autem non parit actionem, nisi interuenerit stipulatio, aut alias sit contractus innominatus, supr. h. t. l. 6. l. cùm proponas. 17. & infr. eo. l. siue apud. 28. Pro solutione notandum est, transactionem, vt mihi quidem videtur, hoc loco non comparari sententiæ condemnatoriæ, ex qua datur actio in factum; sed absolutoriæ, ex qua oritur exceptio rei iudicatæ. Sic enim rectè instituitur comparatio, cùm horum vtrumque, id est, & sententia & transactio, pertineat ad cre- D ditorem summouendum. Præterea lex considerat litem & actionem, quæ tollitur per sententiam, vel per transactionem, nec respicit ad petitionem pecuniæ, qua transactum est. proinde in hac regula non habetur ratio actionis, sed tantum exceptionis. Hæc dicta sint de regula, quæ continetur prima parte legis.

Sequitur ratio dictæ regulæ, cùm lex ait, *Siquidem nihil ita fidei congruit humanæ, quàm ea, quæ placuerant, custodiri.* Eadem sententia repetitur in l. 1. in prin. D. de pact. in l. 1. in princ. D. de pecun. constit. & in l. ex empto. 11. §. 1. D. de act. empt. Accurs. in d. l. 1. D. de pact. ait, hoc esse accipiendum hyperbolicè: quia magis conuenit Deum colere, quàm placita seruare. Videtur Accursium decepisse vocabulum fidei, quod in hoc axiomate non debet accipi, vt apud theologos, pro E fide, quam habemus Deo & eius verbo ac promissioni: sed fides hîc accipitur, vt à M. Tullio definitur lib. 1. Off. vt nihil aliud sit, quàm dictorum conuentorúmque constantia & veritas, vnde eodem auctore, videri potest ex eo dicta, quod fiat id quod dictú est. Quamuis igitur magis debeamus Deum colere, quàm promissa seruare: nihilominus tamen dictæ fidei magis conuenit præstare ea quæ promissa fuerunt: quandoquidem in eo natura eius fidei consistit.

A Sequitur productio dictæ regulæ, quæ proponitur his verbis, *Nec ad rescindendum pactum sufficit, quòd hoc secunda hora noctis interuenisse proponas.* Dubitandi causa hîc sumi debet ex præcedenti regula: quia comparauimus transactionem sententiæ & rei iudicatæ, atqui sententia noctu ferri non potest, Nou. 82. cap. 3. quod ius descendit ex xij. tabulis, in quibus scriptum fuit, *Solis occasus suprema tempestas esto.* Ergo similiter videtur noctu transigi non posse. Contrarium respondetur, propter rationem, quæ mox subiicietur. Non obstat obiectio modo proposita: quia transactio comparatur sententiæ solùm quantum ad effectum. ceterùm diuersis modis sine dubio constituuntur, vnde non est mirum, si etiam diuersis temporibus. Nec mirum, quòd transactio facilius procedat, quàm sententia: quoniam B ea fit ex consensu vtriusque partis; hæc verò dicitur in inuitum, D. de verb. oblig. l. inter stipulantem. 83. §. 1.

Superest ratio productionis, quæ proponitur in postremis legis verbis, *Cùm nullum tempus sanæ mentis maiori xxv. annis consensum repudiet.* Sic & testamentum noctu signari potest. D. de testa. l. ad testium. 22. §. posse. Obiter hîc adiiciuntur duæ conditiones, quæ requiruntur ad hoc, vt transactio valeat. Altera conditio est, vt vterq; transigens sit sana mente: quia transactio valet ex consensu, furiosi autem nullus est consensus, D. de diuers. reg. iur. l. furiosi. 40. proinde transactio à furioso facta non valet ipso iure, ita vt non sit opus rescissione. Altera conditio est, vt transigens sit maior xxv. annis. quæ conditio ponitur etiam in l. si maior. C 22. & in l. si maiores. 25. infr. h. t. Quòd si minor transigat, non erit quidem transactio ipso iure nulla, vt modò dicebamus de transactione furiosi, sed rescindetur per restitutionem in integrum ex titulo de minoribus, infr. si aduersus transact. l. 2.

Ad L. Cum ea. 21.

VEritas præfertur instrumento simulato, to. tit. inf. plus valere quod agitur. Huius regulæ hîc proponitur tale exemplum: Cùm peterem à te fundum, ita transegimus nudo pacto, vt datis quinquaginta retineres fundum: postea placuit, vt instrumentum ita conscriberetur, non quasi transegerimus, sed quasi illis quinquaginta à me emeris fundum. Quæritur, an pos- D sim petere ea quinquaginta actione ex vendito. Dubitationem facit: quia emptio & venditio contrahitur nudo consensu: hîc autem consensus interuenit, non solùm vt mihi dares quinquaginta, sed etiam, vt scriberetur ea deberi ex causa emptionis. Contrarium tamen respondetur: quia non fuit consensum in emptionem & venditionem, sine quo consensu emptio & venditio constare non potest. fuit igitur simulata, non vera emptio: proinde non parit actionem.

Nota primò, in id non consentiri, quod simulatur.

Nota secundò, aliud esse consensum, vt aliquid fiat, aliud esse consensum, vt aliquid scribatur, quia scriptura fieri potest per simulationem.

E

Ad L. Si maior. 22.

TRansactio rescinditur propter dolum, supr. eod. l. sub prætextu instrumenti. 19. id est, si dolus probetur, non si contestatio tantum de dolo facta sit. Non enim sufficit, quòd transigens aduocatis testibus protestetur, se dolo inductum ad transigendum.

Quæro, quando intelligatur facta hæc contestatio, post transactionem ne, an ante transactionem? Græci intelligunt contestationem in continenti factam esse post transactionem, non quòd aliud dicendum sit, si ex

internallo

interuallo sit contestatus de dolo, imo eo casu multò magis locum haberet decisio huius legis. etenim si contestatio in continenti facta non prodest, multò minùs ex interuallo facta proderit. sed ideo volunt Græci proponi contestationem factam ex continenti, vt sit species magis dubia: quasi dicatur, valere transactionem, etiamsi in continenti, &c. verba Græcorum hæc sunt: *ἅμα τῷ γενέσθαι τὴν διάλυσιν διεμαρτύρατο*, id est, confestim transactione facta contestatus est, &c. Hotomannus autẽ generaliter accipit hanc legem, siue contestatio præcesserit, siue secuta sit transactionem. Hæc interpretatio mihi probatur: quia lex generaliter loquitur: & ita accepta, videtur mihi elegantior, vt intelligamus contractum vel conuentionẽ valere, etiamsi antè seorsim coram testibus protestatus aliquis sit se transacturum propter dolum aduersarij, à quo sit deceptus. Deniq; generaliter tenendum est, nec induci, nec probari, nec præsumi dolum ex alicuius protestatione, sed legitimè probari debere, dolum interuenisse, D. de probationibus. l. quoties. 18. §. 1.

Ad L. Nec intentio. 23.

ARchimedorus decessit facto testamento, in quo Titium heredem instituit. Tatianus autem huius testamenti ignarus, cùm esset defuncti frater, occupauit possessionem hereditatis, quasi heres ab intestato. creditores quoque hereditarij, cùm putarent Tatianum esse verum heredem, cœperunt eum iudicio conuenire: &, cùm res videretur dubia, Tatianus cùm eis transegit. exempli gratia, cùm peterentur centum, dedit quadraginta, vt à lite discederetur: postea Titius euicit hereditatem ad se pertinentem ex testamento. Iam quæritur, an Tatianus possit à creditoribus repetere ea quadraginta. Quod prima facie videbatur dicendum, vt repeterentur quasi indebita: quia Tatianus nihil debet, cùm non sit heres, vt ab initio existimabatur. Contrarium tamen responderur: qoia non soluit quasi heres, nec soluit ex causa debiti hereditarij, sed ex causa transactionis, quam ipse fecit. Hæc est summaria huius legis expositio. Ordo autem in lege hic seruatur. Primùm proponitur ratio dubitandi, propter quam videbatur repetitio danda Tatiano: secundò, solutio illius dubitationis: tertiò, decisio, & ratio decidendi: vltimò, productio; quæ etiam confirmat eandem decisionem. Singulas partes breuiter enarremus.

Primæ partis, quæ dubitandi rationem proponit, verba hæc sunt, *Nec intentio creditorum Archimedori, cui alius successisse profiteris, si obligatus pro eo non fuisti, tenere te potest.* Ex his verbis colligitur talis ratio dubitandi: Tatianus non tenetur creditoribus hereditariis, ergo potest repetere per condictionem indebiti, id quod ei soluit. Consequentia probatur per l. 6. supr. de iur. & facti ignor. cum similibus. Antecedens, quod solùm in contextu proponitur, omisso consequenti, probatur in eod. contextu: quia Tatianus neque successit Archimedoro, neque pro eo fideiussit, aliterue intercessit. Vis rationis hæc est: Extraneus non tenetur obligatione ab alio contracta, nisi vel ei successerit, vel pro eo intercesserit: atque Tatianus est extraneus, neque successit Archimedoro, neq; pro eo intercessit: ergo non tenetur ex obligatione ab Archimedoro contracta. Hæc de ratione dubitandi.

Sequitur eius solutio, cùm lex ait, *Sed hoc integro negotio tractari conuenerat*, integro negotio, id est, ante transactionem factam. Hæc solutio in eo consistit, quod Tatianus non soluit ex contractu hereditario, vt dici possit soluisse indebitum, sed soluit ex causa transactionis, vt à lite discederetur. hæc autem causa est secuta: quia creditores à lite contra eum instituta discesserunt. Ergo non datur repetitio. Nec obstat quod obligatio nulla fuerit in persona Tatiani: quia sufficit ad impediendam repetitionem, quod fuerit lis dubia, D. de condict. indeb. l. in summa. 65. §. 1.

Sequitur decisio & ratio decidendi, quæ significatur illis verbis, *Nam cùm iam quæstionem transactione decisam, & à te dari placitam, pecuniam numeratam proponas, huius indebiti soluti prætextu, improbè petitionem tibi decerni postulas.* Vis rationis est, quam modò exposui: quia solutum est ex causa transactionis, id est, vt à lite discedatur, & causa est secuta, id est, discessum est à lite: ergo non potest solutum repeti.

Hoc loco occurrunt tres quæstiones breuiter decidendæ. Primò quæro, an pecunia, quam Tatianus soluit creditoribus Archimedori, cùm putaret se esse heredem, prosit Titio vero heredi, ita vt eò minus soluere creditoribus teneatur. Quod prima fronte videtur dicendum, propter regulam illam, Bona fides non patitur idem sæpiùs exigi, D. de diu. reg. iur. l. bona fides. 57. cùm enim creditores, quibus debebantur centum, iam acceperint quadraginta à Tatiano, debebunt solùm reliqua sexaginta petere à Titio. Contrarium verius est, solidi, id est, centum petitionem superesse creditoribus aduersus Titium, cui nihil prodest solutio facta à Tatiano, id est, qui per eam solutionem nulla ex parte liberatur. Ratio est: quia nec ipse Titius eam pecuniam soluit, nec eius nomine alius: quandoquidem Tatianus non soluit eam pecuniam quasi gerens negotia Titij, nec vt solueret debitum hereditarium, sed vt satisfaceret transactioni à se factæ, & impleret fidem à se datam. Vnde non obstat dicta regula, quòd bona fides, &c. quia creditores non exigunt idem bis, siquidem à Tatiano nihil sunt consecuti ex causa obligationis hereditariæ, ex qua causa agunt contra Titium: nihil autem vetat eundem à diuersis personis exigere pecuniam ex diuersis causis: vt in specie proposita creditores accipiunt pecuniam à Tatiano ex causa transactionis, & à Titio ex contractu hereditario. Secundò quæro, an saltem Titius habeat exceptionem pacti seu transactionis factæ à Tatiano. Iam enim docui, Titium non liberari ipso iure per solutionem factam à Tatiano. Prima facie videtur danda exceptio Titio vero heredi: quoniam creditores transegerunt cum Tatiano quasi herede: ergo in id consenserũt, vt nihil amplius petere vellent ex illa causa obligationis hereditariæ. Contrarium verius est: quia transactio vel pactum ab aliqua persona factum, alteri non prodest, infr. inter alios acta. l. 2. & D. de pact. l. si vnus. 27. §. pacta quæ turpem. vers. ante omnia.

Tertiò quæro, quia diximus Tatianum non posse pecuniam solutam repetere à creditoribus, an saltem possit eam repetere à Titio vero herede. Dubitandi causa est: quia transegit quasi heres: proinde videtur gessisse negotium heredis. Dicendum tamen, eum non repetere: quia nec Titij negotium gessit, nec eum dicta solutione liberauit, vt supr. ostendi. Quòd si eum non liberauit, consequenter non potest ab eo repetere, D. de hered. pet. l. si quid possessor. 31. in princ. Ex dictis apparet, damnum solutæ pecuniæ pertinere ad Tatianum: lucrum ad creditores, qui illam accipiunt. Si obiicias, creditores Archimedori locupletari cum iactura Tatiani: respondebo non esse iniquam locupletationem, quæ ex iusta causa fit, vt ex contractu aliquo, vel ex transactione.

Superest vltima pars legis, quæ ponit productionem, qua productione etiam decisio confirmatur. Verba legis hæc sunt, *Cùm etsi tantum in stipulationem fuisset deductu; indebiti promissi velamento defendi non posses.* Sententia horum verborum est: Si Tatianus promissam pecuniam creditoribus non soluisset, cogeretur eis

soluere

ſolut re:ergo cùm ſoluerit,non poteſt repetere.Conſequentia probatur : quia faciliùs datur exceptio, quàm actio,D.de pignot.l.1.in princ.& de ſuperfic.l. 1. §. is autem,& de diu.reg.iur.l. inuitus. 156. §.1.cùm igitur Tatiano denegemus exceptionem,multò magis denegabimus actionem ad repetendum. Simile argumentum in ſimili ſpecie proponitur in l.3. inſt.de condict. indeb.vbi qui ignorans ſoluit indebitum, poteſt repetere:ergo multò magis, qui ignorans promiſit. Ex his duabus legibus coniunctis nitentur argumenta à ſolutione ad promiſſionem ; & contra à promiſſione ad ſolutionem. Nam à ſolutione ad promiſſionem argumentum ducitur affirmatiuè, quod eſt à minori ad maius,hoc modo;Solutum condicitur:ergo multò magis promiſſum condicitur. Contrà,à ſolutione ad promiſſionem arguitur negatiuè,&eſt argumentum à maiori ad minus hoc modo : Promiſſum non poteſt reuocari, ſed eſt efficax:ergo multò minùs ſoluta pecunia reuocari ſeu repeti poteſt. Atque hæc productio fit in hac lege:Dictum enim fuit ſolutum non repeti.productio eſt à ſolutione vel promiſſione , vt promiſſionis liberatio non condicatur, nec promittenti exceptio detur. In ſumma,ſi pecunia ſoluta ſit, manet apud creditores; ſi verò non ſit ſoluta,ſolui debet.

Ad L. Si quidem. 24.

HÆc lex differentiam ponit inter confeſſionem & tranſactionem , inter quas eſt aliqua ſimilitudo. hoc autem declaratur in eiuſmodi ſpecie; Victorinus à muliere quadam petebat centum:poſtea mulier conſenſit in quadraginta ſoluendis. Dixi, conſenſit : quia lex loquitur de nudo conſenſu , id eſt , non facta vlla ſolutione. Quæritur, an Victorinus poſſit petere tota centum. Lex diſtinguit:quia ſi mulier cõſenſit in quadraginta ex cauſa tranſactionis , non poſſunt ampliùs centum peti. ſi verò fuit ſimplex confeſſio debiti abſque tranſactione, Victorino manet ſolidi,id eſt , centum petitio. Dubitationem tamen faciebat ſimilitudo ſpecierum:quoniam in vtraque conuênit de parte ſoluenda,& vtraque conuentio facta videtur ob eundem finem , id eſt , ne litigetur. Verùm differentia harum ſpecierum facilè intelligitur: quoniam in priori ſpecie eſt conſenſus mutuus tam Victorini , quàm mulieris, per quem conſenſum tranſigitur, & à centum petitione receditur : in poſteriori autem ſpecie nihil tale reperitur,ſed eſt pura cõfeſſio debitæ partis. Nec obſtat, quod dicebam,etiam hanc confeſſionem fieri, vt recedatur à lite : quia per hanc confeſſionem à lite receditur ſolùm reſpectu partis confeſſæ , ſalua reſidui petitione,D.de reb.cred.l.quidam.21.quare ſi ne pars quidem confeſſa ſoluta ſit , tunc & hæc ipſa pars & reſiduum quoque peti poterit , quemadmodum Imperatores hic conſtituunt.Porrò præter legis quæſtionem, & deciſionem , de hac ipſa ſpecie notetur obiter , eſſe caſum ſpecialem, quo Victorinus creditor cogitur accipere partem pecuniæ debitæ,ſi mulier ei offerat ſola quadraginta,quæ ſe debere confeſſa eſt;cùm regulariter nemo cogatur accipere partem debiti , licèt res debita diuidua ſit.Vide cent.3.q.70.

Ad L. Si maiores.25.

COnſtat tranſactionem differre à pacto donandi cauſa facto,D.h.t.l.1.Sed in quæſtione huius legis eadem ratio eſt tranſactionis , & donationis. Quidam tranſegit cum patruo,cuius erat creditor , & modica ſumma contentus totam obligationem remiſit, vel,nulla quantitate accepta remiſit debitum ex mera & pura liberalitate : id tamen fecit hac mente & hac

A ſpe,vt patrui hereditatem conſequeretur.poſtea deceſſit patruus alio herede ſcripto. Quæritur, an dicta donatio reuocari,vel tranſactio reſcindi poſſit. Prima facie videbatur poſſe per condictionem ob cauſam:quia cauſa,propter quam ille tranſegit, vel donauit , ſecutà non eſt : Contrarium tamen reſpondetur:quoniam ea cauſa non fuit expreſſa, ideóque locum habet ea regula,Propoſitum in mente retentum,nihil operatur , inſ. de condict.ob cauſ.l. 7. Quæri poteſt,quid dicendum ſit,ſi cauſa expreſſa fuiſſet: veluti,dono tibi centum, vt me heredem facias.hanc quæſtionem commodiùs diſſoluam ad L.cum donationis.34.infr.h.t.

Ad L. Tranſactione. 26.

B CVm hæc lex generaliter dicat,tranſactionem matris non obeſſe ſtatui liberorum , nec facere eos ſeruos,generaliter eam accipio, id eſt,ſiue mater tranſigat de lite contra ſe, ſiue de lite contra filios inſtituta.Prior caſus talis eſt : Mulier cauſam ſtatus ſeu iudicium liberale ſubiuit : quia contendit ſe liberam , aduerſarius autem eam ſeruam ſuam eſſe aſſerit. poſtea ſecuta eſt tranſactio , qua inter mulierem & actorem conuenit , vt mulier pro libera habeatur , filij tamen eius maneant tamquàm ſerui apud actorem. Hæc eſt prior ſpecies,in qua mulier tranſigit de ſtatu ſuo principaliter,ſimúlque agit de ſtatu filiorum,propter regulam,quòd partus ſequitur ventrem,infr. de rei vindic. l.7.In poſteriori ſpecie ponendum eſt, iudicio liberali actum de ſtatu matris,non filiorum. quî igitur factum

C eſt,vt mater tranſegerit? quia ipſa mater mouit iudicium liberale,filios ſuos aſſerens in libertatem.conſtat enim,hoc matri licere,D.de liber.cau.l.3.§. cùm verò. Sic igitur mater pro filiis litigat,&de eorum ſtatu,non de ſuo ſtatu paciſcitur. Vtroque autem caſu ex noſtra lege dicendum eſt , tranſactionem matris non nocere filiis,nec poſſe eos efficere ſeruos.Deciſionis ratio duplex afferri poteſt , omiſſo fauore libertatis , ad quem non eſt neceſſe confugere in præſenti quæſtione.Prior ratio eſt:quia certis tãtũ modis ſerui fiunt, id eſt,captiuitate,natiuitate,& venditione,D.de ſta.homi. l.5.§.1. & Inſt.de iure perſon §.penult. inter quos modos cùm tranſactio non numeretur,non poteſt hanc vim habere,vt ſeruos faciat. Hanc rationem ideo affero : quia lex noſtra apertè dicit , non poſſe tranſactione ſeruos

D fieri. Sed quia dicere aliquis poſſet,non quidem fieri verè ſeruos,ſed tantum effici, vt pro ſeruis habeantur, vt alibi dicitur de re iudicata, eam haberi pro veritate, D.de ſta.hom. l. pen.licèt non mutet veritatem , vt ex eo conſtat,quod debitor abſolutus,ſi ſponte ſua ſoluat, non poteſt condicere quaſi indebitum, D. de condict. indeb. l.iudex. 28. idcirco addo alteram rationem , ex qua apparet , non ſolùm filios mulieris tranſigentis non fieri ſeruos per tranſactionem matris , ſed etiam non haberi pro ſeruis:quia tranſactio vel pactũ vnius, alteri non nocet,infr.inter alios acta.l.2. & D.de pact. l.ſi vnus.27.§.pacta quæ turpem.in fi.Hinc oritur quæſtio,an pro ſeruis habeantur,ſi ipſimet tranſigant cum aduerſario , & ea tranſactione id inter eos conueniat. Hæc quæſtio tractabitur in l.vlt.infr.h.t.

E

Ad L. Sanum. 26.

HÆc lex tractat de tranſactione ab ægroto facta: de qua primùm quæri poteſt , an valeat , nécne: deinde, ſi ipſo iure valet,an reſcindi poſſit. Dubitandi cauſa, propter quam videri poteſt aut non valere , aut eſſe reſcindenda,hæc eſt : quia cum ægritudine corporis ſæpenumero animi morbus eſt coniunctus , adeo vt propter eam animi imbecillitatem non videatur

tranſactio

transactio sustinenda. Contrarium tamen respondetur, nempe dictam transactionem esse efficacem. Ratio decidendi est perspicua: quia transactio valet ex consensu: consensus autem est animi, non corporis. si igitur animus & mens sit illæsa, nihil nocet vitium aut morbus corporis. Idem traditur de testamentis ab ægroto factis in l. 3. infr. qui testam. fac. poss. & in l. 2. D. eod. Non obstat dubitandi ratio suprà allata. fatemur enim eo casu transactionem non valere, quo mẽs debilitata est & affecta ob corporis morbum: tunc autem sustinemus transactionem, cùm mens transigentis fuit integra. Eademque distinctione vtimur in testamentis, D. eod. l. in aduersa. 17.

Ad L. Sine apud. 28.

Mulier quædam transegit cum Titio, à quo petebat fundum actione in rem, ita vt acceptis quinquaginta desisteret à petitione fundi. Hæc transactio facta est extra iudicium, sine scriptura, nudo pacto. Quæritur de vi huius transactionis. Nam Titius non impleuit fidem datam: quærit ergo mulier, qua ratione possit ab eo extorquere dictam summam quinquaginta. Imperatores considerant, & expendunt dictas tres circumstantias huius transactionis. Et primò inquiunt nihil referre, vtrùm transactio facta sit apud acta prę̨sidis, an sine actis: deinde nihil referre, an scriptura interuenerit, nécne. nihil referre, intellige, quod ad vim & effectum transactionis attinet: quia scriptura interponitur tantùm facilioris probationis causâ, D. de pignor. l. 4. & de probat. l. 4. Quod ad tertiam circumstantiam attinet, Imperatores in hac lege duo tradunt. I. Mulierem non posse petere ea quinquaginta propter regulam iuris, quæ habet, ex pacto nudo non dari actionem, D. de pact. l. 7. §. igitur. ideoque Titium non posse præcisè compelli ad ea quinquaginta soluenda. II. Titium posse vrgeri ad eam solutionem, id est, vt soluat quinquaginta, alterius condemnationis vitandæ causa. Hoc ita fit: Mulier, cùm transegerit nudo pacto, saluam habet ipso iure actionem in rem: debet igitur hanc actionem mouere, & per eam condemnabit Titium, ita vt Titius cogatur restituere mulieri fundum, nisi quinquaginta soluat. Non obstat huic decisioni, quod Titius rei vindicationi potest obiicere exceptionem pacti, id est, transactionis: quia mulier hanc exceptionem elidet per replicationem doli, vel in factum. Lex dat replicationem doli: quia dolo facit Titius, si velit vti beneficio transactionis, cuius fidem ipse non præstitit. Item lex dat replicationem in factũ: quia vt actio de dolo, ita etiam doli exceptio potest ita mitigari, vt vocetur in factum: quod fit omissa mẽtione doli, & facta mentione bonæ fidei ne aduersario inde irrogetur vlla infamia, D. de dolo. l. non debet. 11. Hæc autem mitigatio fit vel ea necessitate, vt contra patronum, vel parentem, D. de dolo. d. l. non debet. & de doli excep. l. 4. §. aduersus. vel ea voluntate, vt in casu nostræ legis, in quo datur electio mulieri, vtrùm malit excipere de dolo, an in factum. His expositis, examinanda sunt breuiter quædam verba legis: deinde subiiciam, & paucis dissoluam aliquot quæstiones ad hanc legem pertinentes.

Ait, *Conuenit*. Subaudi, inter legislatores & iurisperitos: vt perinde sit, ac si dixisset, manifesti iuris est. Deinde ait, *Vt certum quid acciperes*: putà vt accipias centum, & discedas à lite. Ait, *Conuenisse*. nudo pacto. Ait, *Nec huius rei*, &c. id est, non es stipulata à Titio ea centum, quibus transegisti. Ait, *Ex pacto*. Obserua hîc esse pactum, sed in l. 6. supr. h. t. esse contractum. cur hæc tam variè? quia ibi consenserunt in contractum innominatum: hîc verò in pactum, id est, ibi voluerunt contrahe-

A te, hîc verò pacisci. Ex consensu autem diiudicandum est, vtrùm sit pactum nudum, an contractus. Ait, *Rerum vindicatione*, id est, actione in rem, quam mulier contra Titium intentauerat. Ait, *Pendente*. Rectè vindicatio dicitur pendere: quia per nudum pactum non potuit tolli ipso iure: quod secus esset, si stipulatio Aquiliana interuenisset, sup. h. t. l. 4. Ait, *Exceptio pacti*, id est, transactionis nudo pacto factæ. Ait, *Ad obsequium placitorum* id est, ad solutionem quinquaginta, quibus transactum fuit. Ait, *Vrgere*: non præcisè cogente, vt supr. exposui.

Quæro primùm quid iuris, si stipulatio interuenisset. Hæc quæstio duobus modis accipi potest. Aut enim interuenit stipulatio confirmans pactum transactionis, videlicèt si id, de quo transactionis causa dando B conuenit, in stipulationem deductum fuerit: aut interuenit stipulatio Aquiliana. Differentia horum casuum est perspicua: quia aliud in stipulationem venit priori casu, aliud posteriori. illo enim casu stipulatur quis pecuniam qua transegit: hoc autem casu ea, de quibus transegit. Illo igitur casu actio competit ad petenda quinquaginta, quibus transactum fuit, actio (inquam) ea stipulatione, supr. h. t. l. 6. hoc verò casu, cùm nulla actio supersit, agendum est de dolo, l. 4. supr. eod.

Secundò quæro, quid dicendum sit, si non tantùm conuenerit de remittenda lite, sed etiam re ipsa lis remissa fuerit. Hanc quæstionem dissolui ad l. 4. supr. tit. proxim.

Tertiò quæro, an remissa lite, detur actio ad petenda quinquaginta, quibus transactum est. Prima facie C videtur danda actio quasi ea contractu innominato, do vt facias, id est, vt remittas litem, vel facio, id est, remitto litem, vt des. Contrarium tamen verius puto, propter receptissimam regulã, quòd in conuentionibus initium spectatur, D. depos. l. 1. §. idem Pomponius. & §. si seruus. & manda. l. si procuratorem. 8. in princ. & pro soc. l. si id quod. 58. §. si filiusfam. & de verb. oblig. l. filiusfam. 78 in princ. & de diu. reg. iur. l. non omne. 144. §. 1. Cùm enim hîc proponatur nudum pactum, & partes consenserint in hanc nudam conuentionem, non potest ex pòst facto per implementum ab vna parte factum fieri contractus: alioquin esset contractus ex conuentione vnius implentis, quod est absurdum: proinde nullo modo est concedendum; pactum, quod semel nudum fuit, postea re interueniente D vestiri.

Quartò quæro, quid dicendum, si ponatur contractus innominatus, do quinquaginta vt discedas à lite; quia partes consenserunt in hunc contractum, id est, partes voluerunt per hunc contractum transigere. quis ergo erit effectus nolente aduersario meo soluere quinquaginta: Respondeo, secundum naturam contractus innominati do vt facias, mihi dari electionem, vtrùm velim pergere in lite principali, quam etiamsi remissione amiserim, tamen possum instaurare per condictionem ob causam, an agere præscriptis verbis in id quod mea interest contractum impleri, D. de pactis l. 7. § . sed etsi in alium, & de præscr. verb. l. 5. lege notata ad l. 6. supr. h. t.

Quintò quæro, si ponamus esse contractum facio vt E des, nempe discedo à lite vt des quinquaginta, qua actione mihi succurratur aduersus te nolentem ea quinquaginta soluere. Respondeo agendum de dolo, d. l. 5. §. quòd si faciam.

Ad L. Sub prætextu. 29.

Doctores hanc legem dicunt esse obscurissimam, & continere materiam quotidianam, sed periculosam. difficultas autem præcipuè consistit in vers.

error,

error. cuius vers. veram sententiam Latini interpretes assequi non potuerunt: Græci autem in Basilicis eam referunt ad priorem partem legis, quasi idem sensus sit & principij & versic. error. cùm tamen & species & decisiones diuersæ sint. Nos igitur, vt habeamus veram sententiam totius legis, principij interpretationem sumemus ex Latinis: ad vers. autem error. accommodabimus dictam Græcorum interpretationem.

Cùm transactio duplex sit, altera generalis, altera specialis, quarum hæc ad vnam vel quasdam res pertinet, ita vt ad alias res, de quibus non fuit transactum, porrigi non debeat, D. de pact. l. si vnus. 27. §. pacta quæ turpem. in fin. illa verò multas res sub se complectatur; veluti si quis transigat de omnibus controuersiis, quas habet cum Titio, vel de petitione hereditatis, vel de actione pro socio, aliave simili, id est, generali multas causas complectente: in hac l. tractatur de generali transactione. Generalem intelligimus, non tam ex verbis, quàm ex consensu. licèt enim verba generalia sint, tamen restringuntur ad ea, de quibus cõsensum est, inf. h. t. l. si de certa. 31. item licèt actio sit generalis, tamen fieri potest, vt specialiter transigatur de aliqua tantùm re; vt puta non de tota hereditate, sed de aliqua re hereditaria, sup. h. t. l. 3. De generali igitur transactione quæritur in lege nostra, vtrùm ei standum sit, an rescindi debet. Habeat autem lex duas partes: quia primùm quæritur, an actor possit eam rescindere, deinde an reus. Quod vt meliùs intelligatur, ponamus ita speciem: Martia contra Titium agebat petitione hereditatis, quam vocemus hereditatem Sempronianam. postea transegit cum Titio, vt acceptis ab eo centum desistat ab actione, & ei relinquat hereditatem. transactione facta, postea apparuit plus esse in hereditate, quàm Martia putarat. verbi gratia, apparuit fundum Tusculanum pertinere ad hereditatem Sempronianam, quod tempore transactionis ignorabatur: vel inuentæ sunt gemmæ, aut pecuniæ, aut aliæ res pretiosæ, quæ tempore transactionis latebant. Iam igitur mulier cupit discedere à transactione, quasi nimis parum acceperit, & quasi aliàs non fuisset transactura, si sciuisset tantum esse in hereditate. Quæritur, quid iuris? Prima facie dicendum videbatur, transactionem esse rescindendam, propter errorem mulieris: siquidem transactio valet ex consensu: nihil autem est iam contrarium consensui, quàm error, D. de iurisdict. l. si per errorem. 15. Secundo loco videbatur dicendum, transactionem hanc & si valeat, tamen non pertinere ad fundum Tusculanum, siue ad gemmas postea repertas: quia de his rebus neque cogitatum, neque consensum fuit: transactio autem, quæcumque sit, id est, siue sit generalis, siue specialis, non pertinet ad ea, de quibus non fuit actum seu cogitatum, D. hoc tit. l. 5. & l. qui cum tutoribus. 9. §. 1. His tamen non obstantibus, lex nostra confirmat transactionem eadem ratione, qua sup. dictum fuit, transactionem non infringi prætextu instrumentorum postea repertorum, supr. eod. l. sub prætextu instrumenti. 19. Nulla enim idonea ratio affertur, propter quam transactio rescindi debeat. Nam quod primo loco dicebatur, mulierem errasse, nihil officit transactioni: quia non errauit in eo, de quo transegit, si quidem transegit de hereditate, cuius quantitas erat incerta, non de singulis rebus hereditariis. quantumcumque igitur postea reperiatur esse in hereditate, transactio rata est. quid enim nos moueat illa incertitudo, qua dubitatur de quantitate hereditatis, cùm transactiones dicantur fieri de rebus dubiis? Præterea non obstat d. l. 5. D. eod. vbi hoc tantùm traditur, transactionem non pertinere ad alias lites. Item non obstat d. §. 1. l. 9. vbi habetur, transactionem quantumuis generalem non pertinere ad alias res, quæ sub ea generali transactione non comprehenduntur: in casu enim nostro neque producimus transactionem de petitione hereditatis factam, ad alias lites, neque producimus ad alias res, quæ non continentur ipsa hereditate. In summa igitur transactio generaliter de hereditate facta tenet, licèt quædam res postea repertæ fuerint, quæ augent hereditatem: Exposui priorem quæstionem, & priorem partem legis.

In posteriori parte, id est, in vers. error. proponitur species priori opposita: in qua sunt eædem dubitationes, eadem decisio, eadem ratio, secundum vulgatam illam regulam, contrariorum eadem est ratio, D. de verb. oblig. l. inter stipulantem. 83. §. sacram. Quid ergo, si post factam transactionem non reperiatur aliquid amplius esse in hereditate, quàm tempore hereditatis esse existimabatur, sed è contrario deprehendatur minus esse in hereditate? num reus, id est, Titius poterit rescindere transactionem quasi nimium dederit transactionis causa, non tantum daturus si sciuisset tam modicam esse hereditatem? an transactio tenet? Hoc quoque casu dicimus, vt in præcedenti, trãsactionem firmam esse. Hæc interpretatio optimè conuenit verbis legis. Imperatores enim rescribunt Martiæ actrici in hanc sententiam: Neque tibi prodest, quòd res quædam hereditariæ postea sint repertæ: neque tibi nocet, quod postea apparuit quasdam res non esse hereditarias, quæ etiam transactionis tempore non erant hereditariæ, sed per errorem pro hereditariis à transigentibus habebantur. Aiunt igitur Imperatores, *Sub prætextu specierum*, id est, rerum hereditariarum. quas enim species vocant, mox appellabunt res. Deinde inquiunt, *pòst repertarum*, id est, post transactionem factam. Repertas intellige, vt exposui, vel quia antea latebant, vel quia non putabantur hereditariæ. Deinde inquiunt, *Generali transactione*, ad differentiam specialis: quia licèt petitio generalis sit, tamen transactio potest esse specialis, ità vt non pertineat ad omnes res, supr. hoc tit. l. 3. Deinde aiunt, *Finita*, id est, post litem finitam & terminatam. Aiunt, *Rescindi*. Subaudi, à te Martia actrice. Deinde inquiunt, *Error autem*, &c. Errorem intellige vel Titij, vel vtriusque, id est, Titij & Martiæ, qui putabant res quasdam esse hereditarias, licèt possiderentur à quodam tertio, cui putabant posse euinci. Inquiunt, *Nihil potest nocere*. Subaudi, tibi Martiæ: quia non obstante hoc prætextu, habebis beneficium transactionis.

His expositis, primùm addenda est exceptio, nisi dolus interuenerit, id est, dolus Titij in primo casu, vel dolus Martiæ in secundo casu. Nam dolus aduersarij facit, vt transactio à nobis possit infirmari per exceptionem, vel replicationem de dolo. D. hoc tit. l. qui cum tutoribus. 9. §. penultim. & de pact. l. tres fratres. 35. Denique potest quæri, an sit addenda exceptio, nisi alteruter transigentium læsus sit vltra dimidiam, argum. l. 2. infr. de rescind. vendit. Hæc est agitata quæstio apud Doctor. an ea lex, quæ de venditione loquitur, ad transactionem produci debeat. Quod non puto dicendum: quia non est par ratio. Primùm enim venditio est bonæ fidei, transactio est stricti iuris. Deinde transactio non facilè rescindi debet, ne exsuscitentur lites, quæ sunt odiosæ. Placet igitur, generaliter nostram legem intelligi, prout generaliter loquitur, id est, prætextu rerum,

quanticumque æstimatarum; quas postea constet ad heredit atem, de qua trāsactum fuit, pertinere, vel non pertinere, transactionem rescindi non posse. Quod diximus de hereditate, exēpli loco accipi debet, vt idem intelligatur de aliis actionibus & transactionibus generalibus. Est enim eadem omnium ratio: & lex nostra generaliter loquitur.

Ad L. *Transactione*. 30.

QVæstio huius legis est, an trāsactio dolo fact a valeat contra eum, qui dolum adhibuit. Prima facie non videbatur valere: quia transactio valet ex consensu & pacto: pacta autem dolo facta non seruantur à prætore: idque prætor generaliter & simpliciter edixit, D. de pact. l. 7. §. ait prætor, & §. dolo. non distinguens, vtrùm ille dolo fecerit qui transactionem rescindi cupit, an aduersarius eius. generaliter igitur & indistinctè transactio dolo facta videtur esse inutilis. Contrarium tamen respondetur, transactionem valere contra eum, qui dolo fecit. Ratio decisionis pendet ex tribus regulis iuris, quæ sunt admodum inter se affines. I. Nemo ex suo dolo debet consequi emolumentum, D. de furt. l. itaque. 12. §. 1. Non debet igitur quis ex suo dolo habere exceptionem doli. II. Dolus vnius non debet alteri nocere, D. de noxal. action. l. electio. 36. §. vlt. ergo dolus actoris non debet nocere reo, quo minùs fruatur beneficio & exceptione transactionis. III. Allegans pro se turpitudinem suam non auditur, infr. de seruo pign. dato manumiss. l. 5. & extr. de donation. c. inter. 8. ergo actor non potest pro se dolum suum allegare ad infringendam exceptionem rei conuenti: proinde manet firma exceptio transactionis. Non obstat, quod dicebamus, prætorem generaliter edixisse, se non seruaturum pacta dolo facta: quoniam intelligendum est, prætorem ita non seruare eiusmodi pacta, quod aduersus ea dat replicationem doli, non quòd ipso iure ea pacta sint inutilia. exceptionem enim nihilominùs pariunt, sed ea exceptio eliditur per replicationem doli, supr. h. t. l. sub prætextu instrumenti. 19. Cùm igitur prætor dixit, Pacta dolo facta non seruabo, perinde est, ac si dixisset, aduersus exceptionem pacti dolo facti dabo replicationem de dolo. Ergo eatenus pacta dolo facta non seruantur à prætore, quatenus aduersus ea datur replicatio: atqui in casu nostro replicatio actori non conceditur propter regulas supr. dictas. Efficax igitur manet exceptio transactionis.

Ait lex, *Ex partibus tuis magis dolum intercessisse*. Accursius particulam *magis* accipit ἐκλεκτικῶς, id est, electiuè, vt ipse loquitur, vt scilicet solus Antoninus actor dolum adhibuerit, aduersarius autem eius bona fide transegerit. meritò igitur transactio prodest aduersario dolo carenti aduersus Antoninum qui dolo fecit. Nec nouum est, vt articulus magis, ita in iure accipiatur. Alij accipiunt συγκριτικῶς, comparatiuè, vt vtriusq; dolus interuenerit, magis tamen actoris, quàm rei. & mihi videtur hæc quoque posterior interpretatio defendi posse: quia dolus cum dolo compensatur, ita vt neuter alteri possit dolum opponere, D. de dolo. l. si duo. 36. & solut. matrim. l. viro atque vxore. 39. Hinc apparet, perinde esse, ac si nullus sit dolus: consequenter transactio, cui dolus non obstat, rata manet. Ait, *Instaurari*, Subaudi, ad tuam actoris petitionem. Nam si reus dolo caret, in potestate eius est, vtrùm velit stare transactioni, an ipse propter dolum actoris eam infirmare. Porrò quamuis actor propter suum dolum non possit rescindere transactionem, potest tamen vrgere aduersarium, vt dicat, an velit transactioni stare, necne, arg. l. Iulianus. 13. §. si quis collodente,

A D. de act. empt. Ait, *Criminosum tibi est*. Ex his verbis Doct. colligunt neminem cogi respondere ad positionem criminosam, id est, quæ contineat crimen respondentis. Malè colligunt: quia in casu huius legis positio continet dolum, non respondentis, sed ponentis, qui fatebatur ex sua parte dolum interuenisse. Deniq; puto, etiam ad positionem criminosam esse respondendum. & ita posui in Epito. iur. disput. 25. the. 25.

Ad L. *Si de certa*. 31.

SEntentia huius legis est, Transactionem factam verbis generalibus restringi ad eam litem, de qua actum & consensum fuit; neque nocere aliis actionibus, de quibus non fuit à transigentibus cogitatum. B Esset enim liberalitas captiosa, si transigentes intelligeretur remittere alias actiones, de quibus non cogitauit. Quare iurisprudentium interpretatio huiusmodi liberalitem captiosam fregit, D. h. tit. l. 5. Quænam est hæc iurisprudentum interpretatio? quæ colligitur ex hac nostra lege, nempe vt subaudiātur & suppleantur hæc verba *eo nomine*, ita vt dum conuenit, ne actor aliquid ampliùs petat, perinde habeatur, ac si conuenisset specialiter, ne petat eo nomine, id est, ne vtatur ea actione, de qua transegit. & hoc est, quod dicitur in l. 9. §. 1. D. eod. transactionem, quęcumque sit, non pertinere ad lites, de quibus non fuit cogitatum. *quæcumque*, id est, siue fiat verbis generalibus, siue specialibus. Aliis quoque casibus verba generalia coangustantur ad subiectum argumentum, inf. de solution. l. 6. & D. de pa- C ctis. l. emptor. 47. §. 1. & de recept. qui arbitr. l. quid tamen. 21.

Ad L. *Si causa*. 32.

HÆc lex primò continet thesim, deinde in vers. proinde: hypothesim. In thesi ponitur hæc regula, De re iudicata non licet transigere. Oppono, quòd vnicuique licet renunciare iuri suo, supr. de pact. l. pen. & D. eod. l. pactum. 46. Solutio: De re iudicata licet pacisci, non transigere. & qui iudicio superior fuit, potest iuri suo per pactum donandi causa renunciare, non tamen de eo transigere, C. Gregor. de pactis & trāsactionib. l. 4. Paul. lib. 1. senten. t. 1. in fi. Ratio est: quia transactio est de re dubia, D. h. t. l. 1. res autem iudicata non est res dubia, cùm omnis controuersia per sententiam D finita sit, D. de re iud. l. 1. Meritò igitur distinguimus inter pactum donandi causa factum & transactionem, D. h. t. d. l. 1. Quod dictum est, non posse transigi de re iudicata, recipit quasdam limitationes. Lex nostra duas exceptiones ponit. Prior est, nisi sententia sit ipso iure nulla, & inutilis posterior, nisi sententia postea rescissa fuerit. Quod attinet ad priorem exceptionem, notandum est, sententiam ipso iure nullam esse posse propter quatuor caosas, quas proposui disput. 29. the. 13. nempe ratione iudicis, vt quia sit incompetens: ratione litigatorum; qui non habeant legitimam personam standi in iudicio: ratione processus, si necessaria fuerint omissa, putà si lis non fuerit contestata: & ratione ipsius sententiæ aliquo vitio proprio laborantis, quia non ita, vt debuit, pronunciata fuit: vt putà quia non E fuit pronunciata ex scripto, inf. de sentent. ex periculo recit. l. 1. Ex his quatuor causis nullitatis lex nostra duas proponit, videlicèt tertiam, & quartam. Tertiam autem non proponit generaliter, sed proponit eius exemplum, cùm ait, *Si causa cognita probata sententia*. Cùm enim multa necessariò sententiæ pronunciationem præcedere debeant, inter alia est causæ cognitio: quia iudex non temerè debet sententiam ferre, sed causa priùs cognita, infr. de iud. l. iudices. 9.

& de

& de senten. & interlo. omn. iud. l.7. Deinde, cùm ait lea, *Sicut iure traditum est*, indicat aliam caosam: quia sententia ipso iute nulla est, nisi ita pronuncietur, vt iure traditum & constitutum est. Hæc igitur requiruntur vt sententia valcar, alioquin iudicatum non videretur, D. de re iud. l.4. §. condemnatũ. consequenter res maneret dubia, & posset trãsigi. Hæc de prima limitatione. Sequitur altera, cùm lex subiicit, *Appellationis vel in integrum restitutionis solemnitate suspensa non est*, id est, nisi his modis reddita sit inutilis sententia, quæ ab initio valuit. Hîc quoque notandum est, quatuor modis sententiam, quæ ipso iure valet, infirmari posse, videlicèt exceptione, appellatione, supplicatione, & in integrum restitutione. vide thes. 13. d. disp. 28. Ea his quatuor modis duo proponuntur in conteatu: appellatio, & in integrum restitutio. Cùm autem lex dicat, *Suspensa non est*, hinc duo colligere debemus. Primùm notetur, sententiam hoc loco dici per appellationem suspendi, cùm tamen alibi dicatur rescindi, D. ad S. C. Turpill. l.1. in fi. & sanè magis propriè dicitur rescindi, quàm suspendi, vt constat ex l.6. §.1. D. de his qui not. infam. Verùm hîc dicitur suspendi, quatenus suspenditur controuersia ad quam Imperatores respiciunt. Secundò notetur, hoc non esse perpetuum, vt appellatio statim rescindat siue suspendat sententiam. hoc quidem regulariter est verum, sed fallit in appellarione, quæ iure canonico admittitur à sententia interlocutoria. hoc enim casu sententia rata manet, & potest eaecutioni mandari etiam post appellationem, donec illa appellatio à superiori confirmata & inhibitio facta sit, eatr. de appellat. c. significantibus. 49. & eo. tit. lib.6. c. non solùm. 7. Ea his habemus duas exceptiones: quia transigi non potest de re iudicata, nisi aut sententia sit nulla, aut aliquo modo rescissa. His eaceptionibus addo tertiam, nisi possit sententia rescindi: quia oon solùm valet transactio, si appellatũ sit, sed etiam si possit appellari, D. hoc tit. l.7. in princ. & de condict. indeb. l. eleganter. 23. §.1. Addo & quartam exceptionem, nisi ignoretur, vel dubitetur an iudicatum sit: & quintam, nisi dubitetur, an sententia valeat. Denique quotiescumque res aliquo modo est dubia, & potest lis subesse, toties valet trãsactio, quamuis res iodicata sit, D. h. t. l. post rem. 11. & de cõd. ind. d. l. elegãter. §.1. Exposui regulam, quòd de re iudicata transigere non licet, licèt pacisci non prohibeamur. Quæro, si quis de re iudicata transegerit pacto nudo, cùm ea transactio non valeat quasi transactio, an valeat saltem quasi pactum. Respondeo, nullo modo valere. Non valet quasi transactio, quia sic valere non potest: nec valet quasi aliud genus pacti, quia in id non consenserunt: fac. l. non codicillum. 14. infr. de testamen. Hæc dicta sint generaliter de thesi.

Transgredior ad hypothesim, quæ tractatur in vers. proinde. cuius vers. sententia est, rem iudicatam executioni mãdandam esse, nisi actio iudicati sublata sit per stipulationem Aquilianam. Continet autem hic vers. tres partes. tria namque tradit. primò sententiam executioni esse mandandam: deinde quomodo sit eaequẽda: tertiò adoectit exceptionem, nisi actio sublata sit per stipulationem Aquilianam. quarum partium naturalis ordo est, quem in præsentia seruaui. sed in cõteatu inuertitur: primò namque ponitur exceptio, deinde modus exequendæ sententiæ, & cuius auctoritate fiat executio: postremò traditur, sententiam esse exequendam: sed in his explicandis naturalem ordinem seruabo. Primùm ergo dicitur, sententiam esse exequendam, propterea quòd secundum ea, quæ supr. dicta fuerunt, supponimus sententiam valere, nec esse rescissam: proprium autem sententiæ definitiuæ est, vt habeat eae-

A cutionem paratam, D. de minor. l. minor. 40. in pr. Modus autem eaequendæ sententiæ significatur in conteatu, illis verbis, *vsitato more legum* Mos vsitatus, & legibus præscriptus est, vt eaecutio fiat captis & distractis pignoribus, inf. de re iud. l.2. Capiuntur autẽ primò res mobiles: quæ si non sufficiant, capiuntur etiam immobiles: denique peruenitur ad iura & nomina, D. eo. l. à diuo Pio. 15. §. in venditione, cum sequentib. Declaratur etiam in cõteatu, cuius auctoritate fiat executio. Ait enim lex, *Præses prouinciæ effectum adhibere curabit:* quia eaecutio fit auctoritate magistratus, non iudicis pedanei, licèt hic iudicauerit, d. l. à diuo Pio. in pr. Superest exceptio, id est, casus, quo sententia non mandatur executioni. Ait lea, *Si non Aquiliana stipulatione & acceptilatione subsecuta competentem tibi actionem per-*
B *emisti*. Intellige actionem iudicati, vt & supr. dixi. His autem verbis Imperatores videntur sibi contradicere: quia supr. diaerunt, non valere transactionem, nec ea perimi actionem iudicati: nunc vidẽtur apertè contrarium dicere, ita demum sententiam exequendam esse, si transactum non sit. Nam per stipulationem Aquilianam transigitur, D. h. t. l. 2. Propter hanc difficultatem bic locus explicatur tribus modis. Quidam distinguũt inter transactionem factam nudo pacto, & factam per stipulationem Aqoilianam. illa non tollit actionem iudicati: hæc verò, inquiunt, tollit. Accurs. meritò reiicit hanc sententiam: quia priora verba legis generaliter loquuntur de transactione: quod autem attribuitur generi, id verè attribuitur etiam omnibus speciebus coo-tentis sub eo genere. Adde, quòd eadem ratio est boc
C casu omnium trãsactionum, quia omnis transactio est de re dubia, res autem iudicata non est dubia. Dooellus putat, his verbis non proponi eaceptionem, sed potius rationem decidendi, & accipiunt *si*, pro, *quia*, quod non est nouum: vt sensus sit, ideo sententiam esse eaequendam: quia actio iudicati per stipulationem Aquilianã non est sublata. Mihi verò maximè placet tertia interpretatio, quã Accurs. affert, & probat, quod dictis verbis contineatur exceptio. Hoc autem sic intelligi debet: stipulatio Aquiliana interoenire potest vel transigendi, vel donandi caosa. Si transigendi, nõ valet: si donandi, valet: secũdum ea, quæ sup. exposui. Aiunt ergo Imperatores sententiam esse eaequendam, nisi actio sublata sit per stipulationem Aquilianam, id est, nisi talis sit ea stipulatio, quæ sustulerit actionem iudicari,
D quod perinde est, ac si dicerent, nisi donandi causa ea stipulatio interuenerit.

Ad L. *Si pro fundo.*

HÆc lex tractat de rei euictione, præcipuè vt intelligamus, an ob eam rescindatur transactio, siue res euicta fuerit per vindicationem, sioe per actiooem hypothecariam. Declarantur autem duæ species: quia vel euicta est actori res, qua transegit, id est, quam à reo ex causa transactionis accepit: vel contrà euicta est reo res, de qua transegit, id est, quam actor petebat, & ipsi reo reliquit ália re accepta. Eaempli causa, petebam à te fundum Tusculanum; ac transegimus ita, vt dares mihi
E fundum Seianum, & retineres Tusculanum. vel igitur mihi euincitur Seianus, & est prior species, quæ discutitur in prin. legis: vel euincitur tibi Tusculanus, & est posterior species quæ explicatur in vers. si tamẽ. Quod attinet ad priorem speciem, in ea sunt considerandæ tres partes, seu tres gradus. Primus gradus est, quòd Euchrusius petebat, id est, vindicabat fundum Tusculanum à Titio. Secundus gradus est, quòd Euchrusius cum Titio transegit, ita vt accepto prædio Seiano libero & certis finibus distincto litem

omitteret, & fundum Tusculanum Titio relinqueret. A In hoc secundo gradu notaudæ suot tres circumstantiæ. quæ ponuntur in contextu. Prima circumstantia est, quæ continetur illis verbis, *Certis finibus.* ponimus prædium Seianum certis finibus circumscriptum: quia postea dicemus partem eius fuisse euictam: non posset autem constare de euictione partis, nisi constaret de finibus prædij. Altera circumstantia est, quòd placuit dari Euchrusio illud prædium *liberum*, id est, non oppigneratum. hoc ideo ponitur: quia lex agit de euictione, non solùm per rei vindicationem, sed etiam per actionem hypothecariam. Tertia circumstantia est, quod Euchrusius tempore huius transactionis erat maior xxv. annis. Superiores duæ circumstantiæ pertinebant ad hoc, vt intelligamus euictionem interuenisse contra promissionem Titij: B hæc autem tertia circumstantia ideo ponitur, vt sciamus transactionem esse validam, nec posse rescindi per restitutionem ex titulo de miuoribus. atque hæc circumstantia in hoc tit. sæpiùs ponitur, vt in l. 4. & l. non minorem. 20. & l. si maior. 22. supr. & l. si si quis maior. 41. infr. Antequam ad tertium speciei nostræ gradum explicandum accedam, videndum est, qualis sit hæc transactio, seu conuentio, vt Euchrusius accepto fundo omittat litem, & relinquat alium fundum Titio. Donellus Alciatum secutus existimat esse permutationem: Euchrusius namque accipit, & dat. Si opponas Euchrusium non dare fundum Tusculanum Titio, quippe cùm Titius iam eum habeat, facilis est responsio. dum enim relinquit ipsi fundum, videtur dare, argumen. l. si mu- C lier. 10. D. de condict. cau. da. Hotomanus verò negat esse permutationem, propterea quòd hæc conuentio est de re dubia, permutatio verò, inquit, est rerum certarum. Existimo vim argumenti in eo consistere, quòd non potest dici, Euchrusium dare fundum Tusculanum Titio, nisi constet eum fundum esse Euchrusij: atqui de eo fundo erat controuersia, neque Titius concedebat fundum esse Euchrusij. adhuc igitur Titius potest dicere, se non habere eum fundum ab Euchrusio: proinde non habere ex causa transactionis, sed quòd etiam ante transactionem ipse esset fundi dominus. Quid igitur sentiendum est? Distinguendi sunt tres casus. Transactio namque de lite proposita fieri potest tribus modis. I. Do prædium Seianum, vt discedas à lite, qua petebas D fundum Tusculanum. & est contractus do vt facias, non permutatio. & puto speciem nostræ legis hanc esse, quia in postremis verbis vocatur litis decisio: & hinc dabitur actio præscriptis verbis, quam certum est competere ex contractu do vt facias, D. de præscript. verb. l. 5. II. Do vt relinquas mihi fundum, quem petis. hoc casu, si fundum mihi relinquis quasi tuum, egóque id agnoscam, atque adeo quasi à te accipiam, est quidem permutatio: sed, vt iam diximus, hoc minus conuenit transactioni: nisi dicamus præcessisse quidem controuersiam, idemque rectè transigi; reum autem, dum fatetur & adgnoscit fundum ab actore, hoc facere controuersiæ tollendæ, & transactionis causa. Denique dicta confessio rei non repugnat transactioni, si in ipsa trans- E actione fiat, immo eam adiuuat: quia vtraque, id est, tam confessio, quàm transactio, pertinet ad litem vel controuersiam tollendam: tum demum verò impedit transactionem, cùm ante eam fit: nam sublata per confessionem controuersia, non potest ampliùs transigi, siquidem omnis traosactio est de re dubia. III. Discedo à lite, vt des mihi prædium Sempronianum. hic contractus non est permutatio, sed facio vt des: ex quo non agitur præscriptis verbis, sed de dolo, D. de præscript. verb. d. l. 5. §. Quòd si faciam. Proinde in casu nostræ legis non fuit ita transactum, quia lex dat actionem præscriptis verbis. Iam venio ad tertium gradum nostræ speciei. Pars prædij Semproniani, quod Euchrusius à Titio ex causa trãsactionis acceperat, euicta fuit eidem Euchrusio vel per rei vindicationem, quia dominium eius pertinebat ad tertium, vel per actionem hypothecariam, quia erat oppigneratum tertio creditori. hic tertius gradus ponitur illis verbis, *hoc prædium obligatum pòst, vel alienum pro parte fuerit probatum.* Ait lex *pòst.* refer hanc particulam, non ad verbum *obligatum*, quod proximè præcedit, sed ad verbum *fuerit probatum*, quod postea sequitur. Non enim sensus est, prædium fuisse pigneratum post transactionem, sed fuisse pignus probatum, & prædium euictum post transactionem. Atque hoc verbum *post*, non solùm pertinet ad obligationem, id est, pignerationem, & ad euictionem, quæ ratione pignoris fit per actionem hypothecariam, sed etiam ad euictionem per rei vindicationem: ac si lex diceret, si post transactionem prædium probatur esse oppigneratum, vel post transactionem probetur esse alienum. Deinde lex ait, *pro parte.* Hoc quoque verbum referri debet ad vtrumque, id est, & ad verbum *obligatum*, & ad verbum *alienum.* Nam prædium euictum fuit pro parte, vel quia pars fuerat obligata seu oppignerata, vel quia erat pars aliena. Quid autem dicendum sit, si totum prædium euincatur, paulò pòst disquiram.

Hæc dicta sint de priori specie, ex qua oriuntur duæ quæstiones: prior, an Euchrusius possit instaurare litem, de qua transegit: posterior, an rata manente transactione, id est, omissa lite, de qua transactum fuit, Euchrusius agere possit de euictione aduersus Titium. Ad priorem quæstionem respondent Imperatores his verbis, *Instaurari decisam litem prohibent iura.* Ratio decidendi perspicua est: quia lites transactione decisæ & finitæ, non debent exsuscitari, supr. h. t. l. fratris, 10. l. causas. 16. Sed vt intelligatur ratio dubitandi, oppono primùm contra hanc decisionem, quòd Titius re vera non impleuit fidem transactionis. debuit enim dare prædium Sempronianum Euchrusio: quod etsi prima facie videtur dedisse, tamen re vera & cum effectu non dedit, quandoquidem fuit Euchrusio euictum. Id enim datum non videtur, quod ita datum est, vt propter euictionem haberi non possit, D. de leg. iij. l. qui concubinam. 29. §. pen. & de solut. l. qui decem. 72. §. pen. Quapropter si Euchrusius instauret litem, & Titius opponat exceptionem transactionis, videtur Euchrusius posse replicare de dolo, vel in factum, supr. h. tit. l. siue. 28. Iterum oppono, quia quod datur ob causam, causa non secuta, condici debet, D. de condict. ob turp. caus. l. 1. atqui Euchrusius dedit fundum Tusculanum Titio, vt ipse haberet prædium Sempronianum. cùm igitur hac causa non sit secuta, cur non poterit Euchrusius condicere fundum Tusculanum? quod si ei licet, iam instaurat litem, de qua transegerat. lis enim erat de hoc ipso fundo Tusculano. Neque dicas hoc argumentum cessare: quia Euchrusius non dedit fundum Titio, cùm Titius eum iam possideret. hæc solutio non satisfaciet, quoniam remissio est loco dationis, & æquè atque datio parit condictionem ob causam, D. de condict. cau. da. l. 4. & l. si mulier. 10. Ad has obiectiones respondeo, argumenta illa tunc posse admitti, cùm tota res euicta est. sed iam diximus, dumtaxat partem prædij Semproniani fuisse euictam Euchrusio. Quòd si totum prædium euictum fuisset, existimarem de dolo replicationem vel condictionem Euchrusio non esse denegandam. Ad

alteram

alteram quæstionem, an Euchrusius habeat actionem de euictione, Imperatores respondent illis verbis, *Ex stipulatione sanè*, &c. adhibentes distinctionem perspicuam. Aut enim transactio stipulatione subiectâ confirmata fuit, aut stipulatio fuit omissa. Vtroque casu datur actio, propter euictionem prædij. Sed priori casu agitur ex stipulatione: posteriori verò agetur præscriptis verbis, tanquam ex contractu innominato, do prædium vt discedas à lite. Ex hoc enim contractu datur actio præscriptis verbis, non solùm danti aduersus facientem, sed etiam facienti aduersus dantem, D. de pact. l. 7. §. sed & si in alium. rectè igitur in casu proposito datur actio præscriptis verbis Euchrusio, quamuis ipse Euchrusius non dederit, sed fecerit, id est, litem remiserit. Sed opponis, quod cessante stipulatione, non datur actio ei qui transegit, supr. hoc tit. d. l. siue. Solutio in dicta l. siue. ideo non datur actio: quia transactum fuerat nudo pacto: hic autem rectè datur actio præscriptis verbis ex contractu innominato, do vt facias.

Exposita est prior species, quæ in princ. l. continetur: sequitur altera species in vers. si tamen. Hic Imperatores speciem inuertunt: quia supr. fuit euicta res actori, hîc reo. cetera vtroque casu eadem sunt, id est, eadem fuit lis inter Euchrusium, & Titium de fundo Tusculano: eadem quoque fuit transactio, vt Titius accepto prædio Semproniano desisteret à lite: postea verò fundus Tusculanus fuit euictus Euchrusio. ergo Euchrusius hîc est reus, suprà erat actor: & hîc ei euincitur fundus Tusculanus, quem & ante transactionem possidebat: in superiori autem specie euictum ei fuerat prædium Sempronianum, quod ex transactionis causa acceperat. Si quis quærat rationem huius personarum mutationis, id est cur Imperatores ad eundem Euchrusium scribentes, suprà fingerent eum esse actorem, nunc verò eundem faciant reum: respondebo: hoc ideo esse factum: quia Euchrusius (vt sæpenumero contigit in precibus, ad quas Imperatores in Cod. respondent) imperfectè proposuit speciem Imperatoribus, simpliciter & generaliter quærens, an propter rei euictionem transactio rescindi possit, vel aliud remedium ei detur, cui res fuit euicta. Quapropter Imperatores coacti sunt distinguere dictas duas species, ac si dicerent: Aut tu Euchrusi eras actor, & accepisti prædium Sempronianum, quod tibi postea fuit euictum: aut eras reus, & dedisti prædium Sempronianum, vt retineres fundum Tusculanum, qui postea fuit tibi euictus. Prior casus fuit supr. decisus: posterior nunc est decidendus. Hunc posteriorem casum Imperatores ponentes aiunt, *Res ipsas*. Obseruandum, hîc non repeti verbum *pro parte*, quod positum fuit in prima specie. Rationem hanc esse puto, quod hoc posteriori casu decisio, quæ mox afferetur, locum habet, siue res pro parte, siue in totum fuerit euicta. Aiunt, *Apud te constitutas*. His verbis significant non fuisse has res Euchrusio datas ex causa transactionis, vt supr. ei datum fuerat prædium Sempronianum: sed iam fuisse has res apud eum constitutas, proinde eum fuisse possessorem & & reum, non, vt in præcedenti specie, actorem. Aiunt, *Ob quarum quæstionem*, id est, litem & controuersiam, quam Titius contra Euchrusium mouerat vindicans eas res. Aiunt, *Nihil petere potes*. Ad superiorem speciem duo quærebantur, id est, an Euchrusius possit instaurare litem, & an possit agere de euictione. Prior quæstio hîc non habet locum: quoniam in hac specie Euchrusius est reus, lis autem mouetur vel instauratur ab actore, non à reo. Tantùm ergo quæritur, an Euchrusius propter fundum Tusculanum sibi euictum intentare nouâ aliquam actionem possit, id est, vtrùm possit condicere prædium Seianum, vel petere quod sua interest fundum Tusculanum non esse euictum. Aiunt igitur Imperatores. *Nihil petere potes*, id est, neque prædium Sempronianum, neque interesse. Videbatur prima facie posse condici, primòm per condictionem ob causam, quasi causâ non secutâ: quia dederat prædium Sempronianum, vt haberet fundum Tusculanum, quem fundum habere propter euictionem non potest. Item videbatur omissa repetitione prædij, posse conqueri de euictione fundi, argumen. decisionis allatæ ad speciem præcedentem. His tamen non obstantibus, contrarium respondetur, nihil peti posse, propterea quod hic fundus, qui est euictus, non est datus Euchrusio à Titio, sed possidebatur ab ipso Euchrusio, qui noluit eum restituere, sed maluit dare prædium Sempronianum: sibi ergo debet imputare, cur non restituerit, & videtur suo periculo voluisse retinere, arg. l. & ex diuerso. 35. §. pe. D. de rei vind.

Ad L. Cum donationis. 34.

TRansactio vel donatio propter spem consequendæ hereditatis fieri potest quatuor modis. I. Propositum in mente retinetur, id est, nulla fit mentio eius spei, siue eius hereditatis, sed simpliciter aliquis modico transigit cum alio, vel ei donat hac mente, vt eum sibi reddat beneuolum, quò magis ab eo heres instituatur, nihil tamen exprimens de hoc hereditatis præmio, quod expetitur. II. Hereditatis mentio fit extra transactionem siue donationem. Hæc species est priori opposita. Vt enim ibi donans captabat hereditatem alterius, ita promittit hîc aliquis alteri suam hereditatem, vt eum habeat beneuolum, quò magis ille secum transigat, vel sibi donet. III. Fit mentio hereditatis in modo transactioni vel donationi adiecto: veluti, dono tibi decem vt me heredem scribas. IV. Fit mentio hereditatis in conditione adiecta: veluti, dono tibi decem, si me heredem scripseris. Ex his quatuor speciebus primam exposui, supr. in l. si maiores. 25. reliquas in præsentia declarabo, præsertim secundam, quæ fuit (vt opinor) Imperatoribus nostris proposita. Hæc igitur species ea fingi potest; Titius tutelam gessit fratrum suorum Cyrilli & Ptolomaidis. ex huius tutelæ administratione debitor fratrum suorū factus est certæ summæ. finita tutela, cùm Cyrillus & Ptolomais peruenissent ad iustam ætatem, id est, maiores essent xxv. annis (hoc enim ad nostram legem suppleri debet ex d. l. si maiores.) Titius metuens ne a fratribus tutelæ iudicio conueniretur, eis blandiebatur, sæpe significans se eis velle hereditatem suam relinquere. immo & se relicturum promittens. cuius hereditatis spe moti Cyrillus & Ptolomais, vel modico accepto de obligatione tutelæ cum fratre suo Titio transegerunt, vel nulla re accepta totum debitum ei liberaliter remiserunt, postea Titius mortuus est Sempronio herede relicto; ita vt spes fratrum qui putabant se hereditatem consecuturos, in irritum reciderit. Iam Cyrillus & Ptolomais duo quærunt. Primò quærunt, an de dolo Titij fratris sui possint conqueri aduersus Sempronium illius heredem, id est, an possint vel instaurare iudicium tutelæ, quod constat dari in heredes, &, si opponatur sibi exceptio conuentionis, replicare de dolo; vel, si non possint instaurare actionem tutelæ, an possint saltem vti actione subsidiaria de dolo, quasi decepti illecebris fratris suam hereditatem promittentis, posteáque alium heredem instituentis. Ratio dubitandi perspicua est: quia videtur Titius dolo induxisse fratres ad transigendum, vel donandum. Contrarium tamen respondetur,

nulli querelæ esse locum, nec posse argui dolum Titij. A Ratio decisionis hæc proponitur in contextu: is, cui dolus non infertur, non potest de dolo queri: atqui dictis fratribus non est dolus illatus: non possunt igitur queri de dolo. Propositio est manifesta. Assumptio in context. sic probatur: Nemo sciens fraudatur, infr. de rescind. vend. l. venditor. 11. & D. de diuers. reg. iur. l. nemo. 145. atqui dicti fratres scientes remiserunt debitum: hoc enim in specie ponenda supponimus. non sunt igitur fraudati a Titio. Quod dixi, eos scientes remisisse debitum, sic intelligo. Primùm quia sciebant, quid & qua ex causa sibi a Titio deberetur: deinde, quia sciebant, aut saltem scire debebant, (quandoquidem iuris ignorantia neminem excusat) pollicitationem hereditatis, esse inutilem, nec parere vllam actionem, vt mox dicetur in explicanda seq. quæstio- B ne. Secundò igitur dicti fratres quærunt, an possint agere & petere hereditatem sibi promissam: quod videbatur eis concedendum, ob naturalem æquitatem, quæ vult promissa seruari, D. de pact. l. 1. in princ. Quæ æquitas augetur, si ponamus Semptonium heredem scriptum, fuisse extraneum. nam certè æquiùs est fratres succedere, quàm extraneum. Contrarium tamen Imperatores nostri respondent, ex ea promissione actionem nullam competere. Cuius decisionis ratio duplex afferri potest. Prima: quia hæc promissio est contra bonos mores, cùm indicat votum captandæ alienæ mortis, consequenter inutilis, infr. de inut. stipul. l. 4. Altera: quia ius publicum priuatorum conuentione mutari nequit, D. de pact. l. ius publicum. 38. C atqui successio & testamenti factio est iuris publici. D. qui testament. fac. poss. l. 3. ergo priuatorum conuentionibus tolli aut mutari non potest, supr. tit. prox. l. pactum quod dotali. 15. Ex quo sequitur, dictam donationem seu transactionem non potuisse adimere Titio liberam facultatem testandi, & quemcumque etiam extraneum heredem instituēdi. Ex his habemus decisionem duarum quæstionum. Addo tertiam, & quæro, an Cyrillus & Prolomais habeant saltem condictionem ob causam, qua condicant liberationem Titio præstitam: quia non est causa secuta, id est, non sunt ab eo heredes facti. Respondeo, hoc quidem ius eis competere, d. l. si maiores. quia hoc propositum consequendæ hereditatis in mente retinuerunt: quo fit, vt tale propositum nihil possit operari, infr. D de condict. ob caus. l. 7. Sed ponamus Cyrillum & Ptolomaidem in transactione vel donatione hoc expressisse, vt sit contractus innominatus, *donamus tibi vt facias nos heredes*, vel, *transigimus tecum, & decem acceptis remittimus vniuersam tutelæ obligationem, vt nos heredes facias*. an hoc saltem casu poterunt habere condictionem ob causam, quia causa contrahendi non est secuta, cùm non sint facti heredes Titij? vel poterúntne agere præscriptis verbis? quia constat has actiones dari solere ex contractibus innominatis. Neutram actionem puto competere: quia vt supr. dixi, contractum est contra bonos mores captando hereditatem alienam: proinde nec agi potest ad implementum contractus, d. l. 4. infr. de inutil. stipul. neque datum seu remissum condici, infr. de condict. ob tur. cau. l. 2. Tandem finge, E emolumentum hereditatis collatum esse in condictionem, hoc modo, *Remitto tibi obligationem tutelæ, si me heredem feceris*. Quæro, an hinc detur aliqua actio, si me heredem non feceris, atque ita impleta sit conditio. Huius quæstionis decisio pendet ex eo, vt sciamus, an dicta conditio sit turpis, nécne. Nam si turpis est, conuentionem vitiat. sin minùs, conuentio debet habere effectum. Bulgarus, quem Accursius & plerique alij secuti sunt, dixit, conditionem esse turpem, consequenter transactionem seu donationem non valere. Placentinus autem & Donellus contrariam sententiam probant, id est, conditionem non esse turpem, & donationem seu transactionem, valere. Non recedo à communi sententia. Primùm enim eam condictionem turpem esse disertè probatur l. illæ. 71. §. 1. D. de hered. institut. Præterea, quod non potest fieri purè, non potest etiam fieri per conditionem, vt alibi traditur de prohibitione Falcidiæ, D. ad leg. Falcid. l. Scius. 27. quoniam igitur iam diximus non posse purè constitui obligationem relinquendæ hereditatis, consequens est, vt nec in conditionem conferri possit. Non obstat ratio differentiæ, quam nonnulli afferunt inter modum, & conditionem: quoniam, inquiunt, conditio non obligat, proinde non est turpis; modus autem si valeret, obligaret ad relinquendam B hereditatem. Hæc ratiocinatio praua est: quia neque modus, neque conditio obligat. quare secundum hanc rationem neutrum contineret turpitudinem. Verùm turpitudo in eo consistit, quòd captatur aliena viuentis hereditas: non minùs autem captatur per conditlonem, quàm per modum, immò magis per cōditionem, quandoquidem conditio debet priùs impleri, modi autem implementum postea sequitur.

Ad L. *Transactionem*. 35.

TRansactio per metum extorta, ita demum rescinditur, si iustus fuerit metus, qui etiā in hominem constantem cadat, supr. h. t. l. interpositas. 13. quemadmodum & in tit. quod metus causa requirit, vt metus C iustus sit, D. quod metus cau. l. 5. l. 7. Hinc est, quod si quis præsentibus amicis transegerit, postea volens prætextu metus rescindere transactionem, non auditur: quia & si forrasse metuit, tamen non potuit esse iustus metus, cùm potuerit præsentium amicorum opem implorare. atque hæc est decisio huius legis. Ait, *Qua dominij translatione vel actione parta seu perempta, finem accepit*. His verbis indicat tres modos transigendi, qui quidem modi ponuntur apertius in l. transactio. 38. inf. h. t. vbi dicitur, transactionem non procedere, nisi aliquid datum sit, vel retentum, vel promissum. Cùm enim aliquid datur, tunc transigitur dominij translatione, veluti, *do tibi decem*, vel, *do tibi Stichum, vt discedas à lite*. Cùm autē aliquid promittitur, interueniente scilicet stipulatione, tunc transigitur actione D parta, quia noua actio oritur ex ea stipulatione, veluti, *promitto tibi decem, vt discedas à lite*. Denique cùm transigitur re retenta, tunc actiu perimitur, atque ita dicitur transigi actione perempta: veluti si reus paciscatur cum actore de ipso non reconueniendo, vt à lite discedat. Exempli gratia, debebas mihi decem ex stipulatione, petiisti autem à me quindecim actione ex testamento, quasi tibi legata ab eo cui heres extiti. si tecum transigam de hac actione ex testamento, &, vt à lite discedas, remittam tibi actionem ex stipulatu: sic perimitur actio ex stipulatione mihi competens; actu retines ea, quæ mihi debebas.

Ad L. *Si maior*. 36.

E PRoponitur transactio ita facta, vt reus ex causa illius transactionis debeat actori soluere (exempli gratia) decem, atque ita à lite discessum sit. postea reus decem, neque soluit, neque actori obtulit. ait lex non posse actorem propterea aliquid ampliùs petere. Quæ verba possunt accipi duobus modis: nec displicebit, si accipias generaliter, vt eadem hæc verba complectantur vtrumque modum. Primum enim actor nō potest amplius petere, id est, non potest instaurare litē, de qua transegit, propter regulam illam, Lis trāsactione finita non

non potest instaurari. Nec obstat l.fiue.28. sup. h. t. vbi lis instauratur,& exceptio transactionis eliditur per replicationem doli, vel in factum, eo quod reus fidem datam fregit; non obstat (inquam) quia eo casu reus prorsus fuit contumax & recusauit solutionem: hic verò tantùm non obtulit, non tamen recusauit. Præterea in casu nostro actor non potest amplius petere, id est, non potest petere vltra decem sibi promissa ex causa transactionis; quamuis prima facie videatur posse aliquid ampliùs,id est,præter sortem exigere,quia videtur aduersarius moram commisisse.

Ad L. Promissis. 37.

TRansactio potest fieri nudo pacto: confirmari autem potest non solùm stipulatione Aquiliana & acceptilatione,D.hoc tit.l.2.sed etiam stipulatione pœnali,D.eod.l.pacto.15.veluti si actor certam pecuniam promittat,si ampliùs moueat eaio litem,de qua transegit. Lex nostra docet hanc pœnalem stipulationem esse vtilem,& conditione impleta,id est, si contra transactionem factum fuerit,pœnam cõmitti,& ex ea stipulatione peti posse.Quæro,vtrùm reus, si pristina actione conueniatur, & exceptione transactionis actorem submouere, & præterea etiam pœnam ex stipulatione petere possit, an debeat alterutro beneficio esse contentus.Respondeo,regulariter ei dari electionem, vtro beneficio vti malit: quia non potest vtrumque habere, & exceptionem & pœnam, D.de pact.l.rescriptum.10. §.1. Nam si exceptione actorem repellat, cùm actor non egerit cum effectu, non videtur egisse: quia verba io iure cum effectu accipiuntur, D. quod quisque iuris. l.1. in fin. Excipiendi sunt duo casus. I. Nisi id expressum sit in transactione, vt rato manente pacto, pœna præstetur, id est, vt salua exceptione transactionis, pœna soluatur, supr. hoc tit.l.cùm proponas. 17. & D. cod. l. penultim. II. Nisi transactio iureiurando confirmata fuerit. Nam religionis fauore, & periurij odio, qui transactionem iuratam infringit, siue infringere tentat, simul exceptione transactionis submouetur, & pœnam promissam cogitur præstare,infr.eod.l.si quis maior.41.

Ad L. Transactio. 38.

HÆc lex coniungi debet cum l.3. infr. de repud. hered. est enim illius pars. Vnde exemplum transactionis inualidæ, quia neque datum, neque retentum, neque promissum quid fuit, habetur perspicuum in ead. l.3. Exempla autem transactionum, quibus aliquid fuit datum, vel retentum, vel promissum, proposui suprà ad l. transactionem. 35. vti eadem hæc tria repetuntur aliis verbis,vt ibi notaui.

Ad L. Quamuis. 39.

NOn semel in hoc titulo habuimus hanc regulam; Lites transactione decisas non debere instaurari. Habuimus etiam varias eius productiones, veluti non posse litem instaurari per rescriptum principis, vel si ægrotus transegerit, & multas alias productiones. Hic ponitur alia productio eiosdem regulæ, id est, si transigentem statim pœniteat. Minùs dubitaretur, si pœniteret ex interuallo: sed etiamsi confestim eum pœniteat, (intellige confestim post transactionem perfectam) tamen transactio non rescinditur. Intellige à neutra parte posse rescindi: quod breuiter explico. Petebam à te fundum, ac transegi ita, vt acceptis decem discederem à lite. Dico neu-

A trum nostrûm posse pœnitere, aut rescindere transactionem. Primùm ego non possum instaurare litem, vt hac nostra lege deciditur, licèt ea decem à te nondum acceperim, vt dictum est in l.si maior. 36. Sed videtur obstare, quod in contractibus innominatis re integra locus est pœnitentiæ, D.de condict. caus. data. l. 3. §. sed si tibi. & §. seq. & l. 5.cùm igitur res sit integra, id est,nondum acceperit decem, quid vetat me pœnitere? Speciale hoc est in transactione odio litium, ne instaurentur, cùm in aliis causis regulariter sit locus pœnitentiæ. Præterea tu non potes rescindere transactionem, quasi causa non sit secuta. Nam hoc ipsum, quod à lite discessi, videtur causa esse, D. de condict. indeb. l. in summa. 65. §.1. Quòd si tu dedisti mihi decem, ego autem necdum

B discessi à lite,nec discedere velim;existimo tibi dari condictionem ob causam, quia causa non est secuta. Sed hæc species est præter l. nostram, quæ loquitur tantùm de actore, non de reo: & inquit actorem non posse instaurare litem: non negat autem reum posse repetere, quod dedit ex causa transactionis. Nisi quis dicat, ideo reum non habere condictionem, quia exceptionem transactionis habet, nec debet vtrumque dari, & exceptio & repetitio: sed exceptio facit cessare repetitionem,D.cod.l.eleganter.28.§.penult.

Ad L. Vbi pactum. 40.

HAnc legem omnes Doctores obscurissimam & difficillimam appellant,excepto Hotomanno,qui

C tamen eam non satis explicare mihi videntur. Continet autem speciem,& decisionem.

In specie notandæ sunt quatuor circumstantiæ. I. Lis remissa fuit vel donandi, vel transigendi causa. Hoc significat lex, cùm ait, *vbi pactum, vel transactio*, quamuis enim transigitur etiam pacto, tamen, cùm pactum ab ea distinguatur, apparet intelligi pactum donandi causa factum, D.hoc tit.l.1. Imperatores igitur his verbis ostendunt, quod ad decisionem huius legis attinet, nihil discriminis esse constituendum inter transactionem, & donationem. II. Hæc conuentio in scriptis redacta fuit: sed hæc circumstantia nihil facit ad decisionem: nihil enim interest, vtrùm transactio scribatur, an non, supr. cod. l. fine. 28. sed ita proponitur, quia ita contigit. III. Eadem

D conuentio confirmata fuit per Aquilianam stipulationem & acceptilationem, quo modo transactiones firmari solent, D. eod. l. 2. vt actio tollatur ipso iure, quæ aliàs non tolleretur, nisi ope exceptionis: ideóque hæc circomstantia in casu proposito habet maximum momentum: est enim fundamentum totius decisionis, vt ex sequentibus apparebit. IV. Dictæ conuentioni adiecta fuit pœnæ promissio, si quis contra dictam conuentionem fieret: qua pœnali promissione præter stipulationem Aquilianam solent confirmari transactiones, D.eod. l. pacto. 13. Hæc vltima circumstantia in specie ponenda ab Imperatoribus prætermittitur, sed facilè colligitur ex decisione. Præterea ad hanc speciem duo sunt notanda. I. Non explicari

E in contextu, vtrùm hæc pœna per stipulationem sit promissa, an in nudum pactum & conuentionem deducta: sed probabile est, interuenisse stipulationem, vt in dicta l. pacto. non solùm quia stipulatio est vtilior, quia parit actionem; sed etiam quia iam dictum est interuenisse stipulationem Aquilianam: & minùs probabile videtur, vt iterum ad nudam conuentionem redierit. Veruntamen decisio non minus habebit locum, si ponas, nudo pacto de cœna conuenisse, vt posteriùs docebo. Quæ fortasse causa est, cur Im-

 peratores

peratores non sollicitè exposuerint, vtrùm stipulatio, an nuda pactio interuenerit. I I. Non explicari in contextu, an præter pœnæ promissionem, etiam de eo conuenerit, vt actor si contra transactionem peteret, ea restitueret, quæ à reo transactionis causa acceperat: quia hoc etiam nihil facit ad decisionem, quã postea dicetur, ea esse restituenda. Hæc dicta sint de specie. Ex qua oritur hæc quæstio, an actor possit ab iis conuentionibus iam dictis recedere, & litem instaurare. Imperatores disiunctiuè respondent, cùm inquiunt, *Aut subsecutis*, &c. Sensus est, aut standum esse transactioni, aut actorem, prius quàm litem instauret, reo debere restituere, & quæ ab eo transactionis causa accepit, & præterea pœnam promissam. Ne autem hæc videantur conferri in arbitrium actoris, expressè addunt, *Si aduersarius hoc maluerit*. Primùm explicanda sunt verba legis: deinde soluendæ sunt obiectiones, vnde intelligetur ratio decidendi.

Ait lex, *Subsecutis*, id est, stipulationi, & acceptilationi, quæ secutæ sunt & confirmarunt nudam conuentionem.

Ait, *Secundum leges*, id est, secundum ius ciuile, quia conuentio non stetit in terminis nudi pacti, sed confirmata fuit per stipulationem & acceptilationem, quæ valent iure ciuili: ideoque suprà dixit, firmitatem iuris esse innexam, id est, iuris ciuilis.

Ait, *Accommodandus est consensus*, id est, seruanda est conuentio, nec recedendum à placitis. Nam accommodare consensum hîc non significat consentire, sed implere conuentionem, seu permanere in eo quod semel placuit.

Ait, *Aut pœna*, necesse est intelligere pœnam fuisse promissam siue per stipulationem, siue nudo pacto.

Ait *Vnà cum his, quæ data probantur*, id est, quæ reus transigendi causa dedit actori, vt à lite discederet.

Ait, *Ante cognitionem causæ*, id est, ante litem contestatam: tunc enim lis contestari & initium sumere dicitur, cùm iudex, auditis partibus, causam cognoscere incipit, infr. de lit. contest. l. 1.

Ait, *Si aduersarius*, id est, reus. Ait, *Hoc maluerit*. Obserua duo pẽdere ab arbitrio rei. Primùm est, vt lis instauretur, quod eo inuito non potest fieri, quoniam actio ipso iure sublata est per acceptilationem, nemo autem sine actione experiri potest, D. de negot. gest. l. 6. §. vlt. & de adminstr. tutor. l. quoties. 9. §. & generaliter. Alterum est, vt pœna soluatur ante litem contestatam: quia conditio promissionis pœnalis per litis contestationem impletur, vt postea dicam.

Iam contra hanc decisionem primò oppono, quod reus non potest repetere ea quæ dedit, sed tantùm habet exceptionem transactionis, si ab actore conueniatur, supr. hoc tit. l. cum proponas. 17. Hæc obiectio habet locum, si intelligamus actorem non promisisse, se restituturum ea quæ accepit, quia lex non dicit eum hoc promisisse. Solutio: In specie dictę l. cùm proponas. nuda tantùm conuentione transactum fuit, nec fuit actio sublata ipso iure, ideòque dabatur conuentionis exceptio, non datorum repetitio: hîc autem actio ipso iure sublata fuit per acceptilationem: proinde nec exceptio locum habet, nec data repeti possunt; siquidem repetere est àb inuito exigere; hîc autem actor non inuitus exigitur, sed ex communi nouo consensu soluit: ita enim inter partes conuenit, vt actor, restitutis his quæ accepit, litem instauret, cùm neutrum aduersario inuito fieri possit, id est, neque actor possit amplius agere inuito reo, neque possit cogi ad ea restituenda, quæ accepit. Vnde intelligitur verum esse, quod suprà dixi, nihil referre, vtrùm ponamus conuenisse de datis restituendis, néne: quia sponte & ex consensu restituuntur, non propter aliquam præcedentem obligationem. Secundò oppono, quod reus ipso iure tutus est, & conueniri nequit, propter stipulationem Aquilianam, & acceptilationem, supr. eod. l. si causa. 31. cùm igitur actor actionem suam amiserit, non potest litem instaurare, quia (vt suprà dixi) nemo potest sine actione experiri. Hinc videtur falsum esse, quod dicitur in context. litem instaurari: falsum etiam esse, quod dicitur pœnam promissam solui debere: siquidem pœna promissa fuit sub conditione, si actor ampliùs peteret: vnde cùm non possit petere, non potest ea stipulatio committi. Si dicas ideo stipulationem committi, quia actor de facto petit, quamuis iure petere nequeat, vt pote actione defectus: hæc solutio admittenda non est, quia, vt in aliis partibus iuris, D. quod quisque iur. l. 1. in fin. ita in his stipulationibus pœnalibus verba cum effectu sunt accipienda, (vt pœna ita demum committi intelligatur, si re vera & cum effectu petitum sit, infr. si manc. ita fue. alien. l. penultim. & D. de seru. expor. l. 6.) non potest autem dici aliquem verè petere cum effectu, nisi habeat actionem. Vera igitur solutio repetenda est ex supr. dictis, videlicet pœnam non esse commissam, nec deberi ab actore, siue dicamus eum velle petere, siue dicamus eum de facto mouisse actionem, quam ipso iure non habet, sed pœnam reo præstat ex consensu: quia cùm non habeat actionem, non potest reum inuitum conuenire: reus autem non patitur se conueniri, nisi pœnam actor præstiterit. Hinc etiam sumi debet solutio ad sequentem obiectionem: quia non dicitur peti, nisi lis contestetur, D. rat. rem hab. l. amplius. 15. vnde lex malè videtur statuere, vt pœna inferatur ante litem contestatam. Solutio est, quam dixi, nimirum pœnam solui, non quia sit commissa, sed ex communi consensu, vt reus patiatur se conueniri. Hinc etiam apparet, verum esse quod suprà notaui, nihil referre vtrùm hæc pœna sit promissa per stipulationem, an nudo pacto: item nihil referre vtrùm de his restituendis, quæ actor ex transactionis causa accepit, vel stipulatione vel nudo pacto conuenerit, an nihil conuenerit: quandoquidem hæc non debentur, sed ex consensu præstantur, vt iam docui. Hæc dicta sint de specie huius legis, in qua transactum fuit nudo pacto, quod postea per stipulationem Aquilianam & acceptilationem firmatum fuit. Quid autem dicendum sit, si nuda conuentio interuenerit sine stipulatione & acceptilatione, expositum suprà fuit ad l. promissis. 37.

Ad L. Si quis maior. 41.

SVbiectum huius legis est pactum vel transactio iureiurando confirmatum. Cùm audis pactum à transactione distingui, intellige pactum donandi causa factum, vt & in l. præced. Scopus autem legis est, confirmare & sanctione firmare hujuscemodi conuentiones. Diuiditur in tres partes: nam in primis verbis legis ponitur species: deinde in vers. non solùm notetur. ea species deciditur: postremò in vers. cos etiam. decisio producitur.

Speciei partes considerandæ duæ sunt, nempe transactio seu pactio, & id quod contra eam pactionem seu transactionem postea factum est: & quia pactionis & transactionis eadem est ratio, breuitatis causa in posterum de sola transactione loquemur. In hac transactione tres sunt circumstantiæ notandæ, prima circa personas transigentes, reliquæ circa ipsam transactionem. Prima circumstantia est, quòd transigentes erant maiores xxv. annis, quæ circumstantia sæpe ponitur

nitur hoc titul. vt notaui supr. ad l. si pro fundo. 33. Altera circumstantia est, quòd transactio fuit facta libero consensu, non vi, aut metu aliquo illato, supple, etiam bona fide, non dolo malo transactum fuisse. Nam doli & metus eadem est ratio, id est, ob vtrumque trāsactio æque rescinditur, supr. eod. l. interpositas. 13. Hæ duæ circumstantiæ ponuntur, vt transactio sit valida & efficax, nec possit rescindi, putà ex titulo de minoribus, vel ex edicto quod metus causa. Vnde intelligimus, hoc iure idem dicendum esse de minori ætate, & de metu, vel dolo: hoc est, ex his causis transactiones quamuis iuratas rescindi: quod videtur emendatū esse per nouam Constitutionē Friderici, infr. si adu. vend. aut h. sacramēta. vbi Fridericus iubet conuentiones minorum iuratas, ratas manere: per dolum autem, vel metum interpositas rescindi, quamuis factæ fuerint à maioribus xxv. annis. Tertia speciei nostræ circumstantia est, quòd transactio iureiurando transigentium confirmata fuit. Hæc circumstantia est præcipua, & ex ea pendet sequens decisio: quia propter vim iurisiurandi, & fauorem religionis, atque odium periurij, irrogabuntur pœnæ, quæ in aliis transactionibus non iuratis cessant. Itaque hæ tres circumstantiæ necessariæ sunt, vt sit locus huic constitutioni. Exposui priorem partem speciei pertinentem ad transactionem: sequitur altera pars, id est, quod contra transactionem, & fidem datam, à transigentium alterutro factum est, propter quod factum committuntur pœnæ huius constitutionis. Ponit autem lex tres modos, quibus veniens contra transactionem iuratam incidit in pœnas hîc statutas. Primus est, si interpellauerit iudicem: alter, si principi supplicauerit: tertius, si promissa non impleuerit. Primus & secundus modus referendi sunt ad actorem, qui contra fidem transactionis postea voluit agere, & aduersarium in ius vocare: etenim vocari aliquis in ius potest duobus illis modis, id est, vel statim iudice competente interpellato, cuius auctoritate reus in ius vocatur; vel supplicatione principis proposita, ac deinde iudici incompetenti insinuata, Nouel. constit. 112. capit. 1. Tertius modus pertinet ad reum, qui promisit aliquid actori, vt à lite discederet; deinde non soluit, quod promisit; ideóque incidit in pœnas huius legis propter periurium, quia iurauit se soluturum, nec soluit, D. de iureiurand. l. si duob. 13. §. vltim. Intellige eum non soluisse, quia noluit soluere: nam periurium sine dolo non committitur, D. eod. l. qui iurasse. 26. in princip. Si igitur cùm soluere vellet, vel inopia vel alio impedimento obstante non potuit soluere, non incidit in periurij pœnas, sed ab illis excusatur, D. qui satisdat. cogan. l. vltim. Hæc dicta sint de specie.

Sequitur decisio, quæ multiplicem pœnam irrogat venienti contra iuratam transactionem. Hæc quoque decisio duabus partibus constat. In priori irrogantur pœnæ: in posteriori parte declarantur, cui pœnæ illæ sint applicandæ: quoniam interdum fisco, interdum aduersario applicari, interdum inter eos diuidi solent. Quod attinet ad priorem partem, constitutio infligit quinque pœnas. Prima pœna est infamia: hæc est communis tam actori, quàm reo, qui transactionis fidem fregit, & quia in specie ponenda lex expressè ait, iuratum fuisse inuocato Dei omnipotentis nomine, hinc apparet, etiam iure ciuili puniri periurium; quando per Dei nomen iuratum fuit, nec soli Deo puniendum committi. Quod verò inquiunt interpretes hoc esse proprium transactionis iuratæ, mihi non probatur: generaliter enim periurium punitur iure ciuili, quotiescumque iuratum fuit de re pecuniaria, non calore quodam, sed dolo malo, vt constat ex variis locis, præsertim ex l. si duo. 13. §. vltim. D. de iureiurand. & l. 2. infr. de reb. cred. si rectè explicetur, & l. 2. infr. ad leg. Iul. maiestatis. atque hanc sententiam pluribus confirmaui ad dictam l. 2. infr. de reb. cred. vbi est proprius locus. Præterea hanc pœnam infamiæ non esse propriam solius transactionis auctoritate quoque M. Tullij probari potest, qui 2. de legib. ait generaliter, periurij pœnam diuinam esse exitium, humanam dedecus. Sed & verba nostræ constitutionis videntur mihi hoc indicare, si quis eam loquendi rationem expendat, *non solùm notetur infamia, verùm etiam actione priuatus*, & quę sequuntur, quasi dicant Imperatores præter illam generalem periurij pœnam, quæ etiam locum habet ex iure veteri aduersus omnes periuros, qui in causa pecuniaria peierarunt, nos addimus has nouas & speciales pœnas, scilicet priuationem actionis, &c. Secunda igitur pœna est amissio actionis: quam pœnam perspicuum est esse propriam actoris. Tertia quoque pœna in actorem quadrat, sed & aduersus reum accommodari potest, vt præstetur pœna, quæ fuit promissa, si à transactione recederetur. Hanc pœnam potuit actor promittere sub conditione, si instauraret litem contra fidem transactionis: potuit etiam reus promittere sub conditione, nisi statuto tempore ea solueret, quæ transactionis causa promiserat, vt putà, *intra mensem dabo tibi Stichum, vt discedas à lite & petitione fundi: si intra mensem Stichum non soluero, pœnæ nomine dabo decem.* Hîc notandum est, duo esse specialia, religionis fauore, & periurij odio, introducta. I. Vt hæ duæ pœnæ concurrant, & simul locum habeant, id est, vt actor & actione sua priuetur, & simul pœnam promissam præstet, cum regulariter reus debeat alterutro esse contentus, vt exposui suprà ad l. promissis. 37. II. Vt actor, qui promisit pœnam, si peteret, incidat in eam pœnam, antequàm sit litem contestatus, immo & antequàm aduersarium in ius vocauerit: sufficit enim, vt ex verbis constitutionis apparet, iudicem competentem esse interpellatum, aut preces principi esse oblatas. Committit igitur pœnam, eò quod agere voluit, licèt nondum egerit, contra regulam l. amplius. 15. D. rat. rem hab. & Nouel. 112. capit. 1. Quarta pœna est, quòd fidem transactionis frangens, rerum proprietate caret. Hæc pœna referri potest & ad reum, & ad actorem. Reus caret rerum proprietate, id est, rem à se petitam cogitur actori restituere, etiamsi aliàs, id est, nisi fidem transactionis iuratæ deseruisset, ei restituere non debuisset: actor quoque priuatur proprietate rerum, quas ex causa transactionis accepit, & eas cogitur reo restituere. Quamuis autem hæc vera sint, tamen commodiùs puto hanc partem decisionis referri solùm ad reum: quòd autem actor priuetur rebus acceptis, id puto potiùs contineri sequenti pœna. Quinta igitur & vltima pœna est ademptio omnis commodi & emolumenti ex transactione proficiscentis: quia reus amittit exceptionem transactionis, vel actor restituit ea quæ ex causa transactionis acceperat. Hæ sunt pœnæ in casu proposito irrogatæ in vers. non solùm. qui continet priorem partem decisionis. Altera pars continetur in vers. itaque omnia. quæ ostendit has pœnas non accommodari fisco, sed aduersario: vt putà actor ea, quæ accepit, ipsi reo restituit. Denique quod fidem frangenti adimitur, pertinet ad emolumentum aduersarij, excepta prima infamiæ pœna, quæ non potest alteri accommodari. Exposui speciem & decisionem: superest productio in vers. eos etiam. Suprà namque Imperatores locuti sunt de iureiurando per numen diuinum præstito:

nunc

nunc eadem statuunt in eum qui iurauit per salutem principis. Sic enim veteres sæpe iurare solebant, vt & Ioseph iurauit Gen.cap. 42. vel per genium principis, D.de iureiurand.dicta l.si duo. 13. §. vltim. vel per venerationem principis, infr.de reb.credit. dicta l. 2. Itaque iuramentum per Dei nomen, & iuramentum per principem præstitum comparantur in hoc casu, in quo agitur de periurio puniendo: quia iuratum fuit de re pecuniaria, & peieratum dolo malo: sic etiam comparantur, cùm agitur de periurio non puniendo: quia calore quodam iuratum est, non de re pecuniaria, nec dolo malo, vt in casu l.2.infr.ad leg. Iul.maiestatis. Atque hic est verus sensus d. l. 2. infr. de reb. cred.vulgò malè intellectæ.

Ad L. Penultimam.

HÆc lex constituit, transactionem factam ob falsa instrumenta retractari & rescindi. Continet autem speciem, decisionem, duas productiones, & duas limitationes: quamquam in contextu ordo inuertitur, quatenus productiones ponuntur ante decisionem. Species generaliter habet, transactionem esse factam propter falsa instrumenta. Potest autem poni exemplum tam in actore, qui produxerit falsa chirographa; quàm in reo, qui sit vsus falsis apochis. Notandum porrò est circa hanc speciem, hæc falsa instrumenta prolata esse absque dolo ipsius proferentis. Nam lex doli mentionem nullam facit, nec debet dolus suppleri, alioquin nihil haberemus hìc noui, & transactio rescinderetur, non tam propter instrumenta falsa, quàm propter dolum, supr. hoc tit. l. 4. & l. interpositas. 13. Item intelligendum est, transactionem factam esse à maioribus xxv.annis: alioquin daretur restitutio ex titulo de minoribus, infr. si aduersus transact. l. 1. & 2. Denique proposita transactio nullo vitio laborat, præterquàm quòd falsa instrumenta ei causam dederunt, adeo vt non possit ob aliam causam retractari, quàm ob falsa instrumenta. Ex quo perspicua est dubitandi ratio. Videbatur enim transactio firma & rata esse debere, cùm bona fide facta sit à maioribus xxv. annis. Nec videtur obstare falsitas instrumentorum, quæ dederunt causam transactioni: vt enim causa legandi non cohæret legato, nec vitiat legatum, quamuis falsa sit, D. de condit. & demonstrat. l. cùm tale. 72. §. falsam. ita etiam causa transigendi non cohæret transactioni, consequenter falsitas causæ non videtur vitiare transactionem. Contrarium tamen respondetur. Aiunt enim Imperatores, *eas retractari præcipimus.* Ratio decidendi est odium falsi. Nec obstat argumentum sumptum à legato: quia non est par ratio vltimæ voluntatis, & actus inter viuos. Illa enim est fauorabilior, & iis quoque casibus sustinetur, quibus actus inter viuos esset inutilis, veluti cùm impossibilis conditio adiecta est: nam per eam contractus vitiatur, D.de obligat.& act. l.1. §.item sub impossibili. l.non solùm.31. &. Instit. de inutil.stipul.§.si impossibilis. vltima verò voluntas non vitiatur, sed purè valet, eo quod conditio pro nõ scripta habetur, D.de hered. instit.l.seruum meum. 50. §. 1.& de condit.institut.l. 1.& l.6.& de condit.& demonstrat. l. 3.l.6.in fin.& Institut.de hered. instit. §. impossibilis. Quæro pro interpretatione huius decisionis, quomodò transactio retractetur. Respondeo, hoc fieri vel per doli exceptionem, vel per restitutionem: quamuis enim dolus ab initio non interuenerit, quia supposuimus transactionẽ bona fide factam esse: tamen ex postfacto subest dolus, dum aliquis vult vti beneficio transactionis factæ ob falsa instrumenta, ideóque vult lucrum consequi ex causa falsi. Nihil autẽ interest, quòd ad pacta confirmanda & exceptionem doli pariendam, vtrùm dolus ab initio adhibitus sit, an postea interuenerit, D. de pact.l 7.§.dolo.& de doli excep. l. 2. §.circa. Sed hanc sententiam distinctiùs declaremus. Aut actor protulit ea falsa instrumenta, aut reus. Priori casu finge actorẽ petere à reo, quod sibi promissum est ex causa transactionis: certè obstabit ei doli exceptio: posteriori casu, si transactum fuit nudo pacto ex causa falsorum instrumentorum, certum est actionem ipso iure saluam esse: eam igitur actor rectè mouebit, & reus quidem opponet exceptionem transactionis, sed actor eam exceptionem elidet per replicationem doli mali. Quòd si transactio confirmata sit per stipulationem Aquilianam & acceptilationem: actio, quæ ipso iure sublata fuit, non potest ampliùs intentari, itaque necessariò confugiendum erit ad restitutionem in integrum ex hac constitutione, & generali clausula edicti, D ex quib.caus. maior.l.1.in fin. Quæro vlteriùs, si reus non tantùm promiserit aliquid ex causa transactionis, sed etiam soluerit, an, & qua actione possit id repetere, quia transegit deceptus falsis instrumentis. Donellus ei concedit condictionem sine causa, quam sententiam non probo: quia non potest dici sine causa soluisse is, qui soluit ex causa transactionis. Vt enim verba constitutionis ostendunt, & vt similibus exemplis confirmari potest: hæc transactio non est ipso iure nulla, sed retractatur & rescinditur. Nam & transactio dolo facta (vt suprà expositum fuit) non est ipso iure nulla, sed parit exceptionem, & eget rescissione. Ergo veriùs est, hîc quoque requiri restitutionem in integrum. Hæc dicta sint de decisione.

Sequuntur productiones. Prima productio est, vt transactio propter falsa instrumenta rescindatur, quamuis iureiurando confirmata fuerit. Ait enim constitutio, *Quamuis iusiurandum de his interpositum sit.* Hoc igitur casu cessant illæ pœnæ, quibus lex præcedens muniebat transactiones iuratas. Hoc loco non immeritò dubitabit aliquis contra hanc productionem, inspecto iure canonico, quo cauetur, vt omne iuramentum seruandum sit, quod seruari sine præiudicio salutis æternæ potest, extr.de iureiurand.cap.cùm contingat.28. Nam qui iurauit se staturum transactioni, potest sine peccato fidem præstare: ergo non debet eam rescindere, quamuis ob falsa instrumenta transegerit. Pro solutione huius argumenti tria sunt notanda. Primò notetur, regulam oppositam non habere locum, si iusiurandum sit vinculum iniquitatis: id enim ferri non debet, extr.de reg.iur.lib.6.c.non est obligatorium. atqui in casu nostro, si iusiurandum teneret, esset vinculum iniquitatis, vt occasione falsorum instrumentorum aliquis locupletaretur cum iactura alterius: ergo non est seruandum. Præterea notetur, cùm restitutio datur aduersus iusiurãdum, perinde esse, ac si iuratum non sit: licèt enim ab eo, quod per iusiurandum promissum fuit, recedere ex iusta causa, D. qui satisd.cogan.l.vlt. nec propterea est periurium. Ratio duplex est. Altera, quia non est periurium sine dolo, D.de iureiurand.l.qui iurasse.26.in princip. non est autem dolus in eo, quod iustè fit, id est, ex iusta causa legibus probata. Altera ratio est: quia à promissione facta hæc causa tacitè excipitur, ita vt de ea non videatur esse iuratum: veluti qui iurat se staturum iudicio, tacitè excipit, nisi valetudine, aut alia iusta causa impediatur, dicta l.vlt. ergo similiter qui iurauit se seruaturum transactionem, tacitè ex interpretatione legis excipit, nisi postea constiterit, aut eam dolo malo factam esse, aut ex falsis instrumentis, aut alia iusta causa

causa subsit rescindendæ transactionis. Denique iuramentum generaliter præstitum, non porrigitur ad hæc, nisi sint specialiter expressa: quia (vt est doctrina certissima omnium Doctorum) omnis renunciatio est stricti iuris, & strictissimè debet accipi, vt nemo censeri debeat renunciare alicui iuri sibi competenti, nisi nominatim & specialiter renunciet. Vltimò notetur, si quis diligenter speciẽ nostram expendat, videri quodãmodò transactionem defectu cõsensus non valere. Cùm enim posuerimus, transactum esse bona fide: apparet, neutrum voluisse alterum fraudare, proinde noluisse vti beneficio falsorum instrumentorum. In hunc igitur casum, quo ponimus instrumenta falsa esse, & alterum fraudari, si transactio teneat, videtur transigentium consensus deficere. Quòd si ponas vnum eorum consentire in hunc casum, & velle transactionem valere, quamuis instrumenta sint falsa, tunc propter dolum rescindẽda esset transactio: nec teneret iusiurandum, quia esset vinculum iniquitatis, id est, tueretur dolum malum. Si verò ponas vtrumque in hunc casum consensisse, certum est transactionem ratam esse, vt posteriùs apparebit. Altera decisionis productio est, vt propter falsitatem rescindatur transactio, siue ciuili, siue criminali iudicio falsitas instrumentorum detecta fuerit: vtroque enim modo potest cognosci de falso, infr. ad leg. Cornel. de fals. l. penult. atque hoc significat nostra lex, cùm ait, *Etiam ciuiliter falso reuelato.* Nam particula *etiam* habet vim implicandi, ideóque connotat siue implicat iudicium criminale. Porrò de falso cognoscitur criminali iudicio per accusationem ex l. Cornelia de falsis: ciuiliter autem vel per actionem in factum, D. eod. l. qui nomine. 25. vel per exceptionem; quia cui damus actionem, ei multò magis damus exceptionem, D. de superfic. l. 1. §. is autem. & de diu. reg. iur. l. inuitus. 156. §. 1. Exceptionis appellatione intelligo etiam replicationem. sic in casu nostro potest esse exceptio, vel replicatio. Exceptio, si actor petat promissa ex causa transactionis: nam reus excipiet de falso. Replicationi autem erit locus, si ponamus transactum nudo pacto, & actorem instaurare litem, reum autem opponere exceptionem transactionis: rectè enim actor replicabit de falso, atque ita elidet exceptionem, & rescindet transactionem. Exposui productiones: sequuntur duæ limitationes. Prior limitatio ponitur illis verbis, *Ita demum, vt, si de pluribus,* &c. Sensus est, si de multis causis, vel multis capitulis transactum sit, & de quibusdam tantùm occasionem transigendi falsa instrumenta dederint, in aliis transactionem valere. Vnde notandum est, transactionem esse diuiduam, & vtile per inutile non vitiari.

Ait lex, *De pluribus causis, vel capitulis.* Intellige plures causas, id est, plures lites separatas: capitula autem intellige, partes eiusdem litis: quia plerumque in eadem lite sunt multæ quæstiones: veluti, cùm petitur restitutio in integrum, quærendum est de ætate restituendi, & de læsione, D. de minorib. l. minor. 32. Ratio autem limitationis perspicua est: quia transactio vel pactio valet ex consensu: ideóque quod de vna re dicitur vel de vna parte, ad aliam rem vel partem, de qua non est consensum, non producitur, supr. hoc tit. l. si de certa. 31. & D. de pact. l. si vnus. 27. §. pacta quæ turpem. in fin. Posterior limitatio est, *Nisi forte etiam de eo, quod falsum dicitur, controuersia orta decisa sopiatur,* id est, per decisionem seu transactionem tollatur. Simile est, quod suprà fuit dictum de dolo, transactionem ob dolum rescindi, nisi & de dolo transactum sit, supr. hoc tit. l. 4. Vnde apparet, verum esse, quod dixi, transactionem ratam manere, si vtraque pars sciens

A prudens transegerit, id est, sciens instrumenta esse falsa. Item ex hoc loco colligitur, de falso posse transigi: quod latè exposui ad l. transigere. 18. supr. hoc tit. Quæcumque dixi de transactione, eadem sunt intelligenda de pacto donandi causa facto: quia lex non solùm transactionis, sed etiam pactionis mentionem facit, vt & duæ leges præcedentes, & quædam aliæ: sed breuitatis causa tantùm locuti sumus de transactione. Cùm dictum sit, transactionem rescindi ob falsitatem instrumentorum: quæritur, an similiter retractetur ob falsa testimonia, & cum Doctoribus dicendum est, retractari: cùm quia eadem est ratio falsi instrumenti, & falsi testimonij: tum etiam argumento sententiæ, quæ similiter infirmatur, non solùm si iudica-
B tum sit ex falsis instrumentis, verùm etiamsi ex falsis testibus, D. de re iud. l. Diuus. 33. Donellus notat, tunc transactionem rescindi, non tam ob falsum testimonium, quàm ob dolum producentis falsos testes. Quod non est omnino verum: quia si quis sit heres, ideóque ignoret quod defunctus fecerit, putet autem testes verum deponere, qui tamen falsum dicunt odio aduersarij, certè transactio infirmabitur, non propter dolum producentis, sed propter falsitatem testimonij. Quòd si pecunia testes corrupti essent à producente, tunc haberet locum, quod ille ait, transactionem non tam rescindi ob falsum testimonium, quàm ob dolum transigentis, qui eos testes produxit.

C
Ad L. vltimam.

CONsideratur in hac lege transactio de statu personæ. Continet autem hæc lex regulam, duas productiones, & exceptionem vnam. Regula est, Trãsactio super conditione seruili, aut adscriptitia valet. Conditio hìc accipitur pro statu, vt illo loco, *in seruorum conditione nulla est differentia*, Institut. de iur. person. §. vlt. & aliis locis similibus. Porrò adscriptitij rectè comparãtur seruis, quia æquè sunt in dominorum potestate: sed in eo differunt à seruis propriè dictis, quòd sunt fundo adscripti, & vnà cum fundo transeunt, infr. de agricol. & cens. l. *τῶν γεωργῶν*. 18. & l. oe diutius. 21. Ait igitur nostra lex valere transactionem
D de conditione seruili, vel adscriptitia.

Oppono primò, quòd transactio inter dominum & seruum non valet, supr. hoc tit. l. interpositas. 13. in fin. Solutio: Aut constat eum esse seruum, & de alia re, quàm de statu transigit, vt de causa pecuniaria: & transactio est inutilis, d. l. interpositas. aut dubitatur, an sit seruus, & de hac ipsa lite, id est, de quæstione status transigitur, & transactio valet, vt hìc constituitur.

Secundò oppono, quòd transactio non potest facere ingenuum, infr. de ingen. manumiss. l. ingenuum. 8. Vnde non videtur transactio valere, si conueniat, vt seruus libertate fruatur: sic enim erit ingenuus, quippe cùm conueniat, non vt videatur ex seruo fieri liber, sed vt in libertate maneat. Solutio: Concedo, per transactionem non fieri ingenuum: sed nego inde sequi, quòd transactio non valeat: quia natura transactionis
E non est, vt aliquid fiat tale, sed vt pro tali habeatur respectu transigentium, vt putà transactio non facit heredem, sed facit vt aliquis habeatur pro herede, D. hoc tit. l. 3. l. controuersia. 14. Simile est, quod alibi traditur de adoptione, nempe si libertus à patrono adoptetur, eum non fieri ingenuum, sed tantùm haberi pro ingenuo, & consequi iura ingenuitatis in familia patroni, D. de statu homin. l. vlt. D. de ritu nupt. l. sciendum. 32. Sic ergo in casu proposito non fiet per transactionem verè ingenuus, sed habebitur pro ingenuo respectu aduersarij,

aduersarij, qui transegit, quatenus, si velit contradicere, non poterit: eo quòd submouebitur exceptione transactioois.

Tertiò oppono, quòd non solùm non potest pacto fieri liber, sed etiam tale pactum non valet, infr. de liber. caus. l. post certi. 36. Quòd à simili confirmatur. Pactum enim quo aliquis adgnarioni renuociat, nullum habet iuris effectum, D. de pact. l. ius adgnationis. 34. Quare si de adgnatione pacisci non licèt, nec de libertate, vel seruitute videtur licere. Solutio: Distinguendum est inter pactũ & transactionem. Pactum de statu certo non valet: transactio de statu dubio, litinm vitandatum causa, sustinetur hac constitutione. Hæc dicta sint pro defensione oostræ regulæ. Quæ producitur primò, vt procedat tam in litibus ante hanc constitutionem motis, quàm in postea mouendis; & tam in trãsactionibus ante celebratis, quàm in iis, quæ postea celebrabuntur. Hæc productio non sine causa in contextu est expressa: quia si fuisset omissa, tunc constitutio pertineret solùm ad futuros casus, non ad præteritos, supr. de legib. l. 7. Secundò producitur, vt transactio valeat, non solùm si conuenerit, vt quis pro libero habeatur, quem casum fauor libertatis minùs dubium reddit, sed etiam si placuerit eum haberi pro seruo, aut pro adscriptitio. Hæc productio ponitur in extremis verbis legis, quæ ita habent, *Nec ob id videri tenorem earum titubare, quod pro conditione seruili vel adscriptitia confectæ sunt.* Vt mirum sit, Accursium censuisse, ita demum valere trãsactionem, si fiat pro libertate: secus si pro seruiture. Sed opponit Accurs. quod hæc transactio est contra bonos mores. Solutio est facilis per negationem. Non est enim contra bonos mores, vt aliquis adgnoscat se esse seruũ: alioquin omnis seruitus esset contra bonos mores. Secundò opponit, quòd transactio non valet: nisi aliquid detur, vel pro-

A mittatur, vel retineatur, supr. h. t. l. transactio. 38. atqui seruus nihil potest consequi ex ea transactione, siquidem omnia domino acquirit: nec potest videri dominus seruo dare, cùm eius quod dat, dominium retineat, & possit adimere, quandocumque velit: ergo transactio est inutilis. Respondeo, si dominus seruo det, transactionem sustineri, quamuis dominium non transferat: argumento inde sumpto, quod venditio hominis liberi valet, & facit eum seruum, si re ipsa sit factus particeps pretij, cuius participandi causa passus est se venumdari, quãuis etiam eo casu non sibi acquirat, sed emptor, qui pretium soluit, illud ipsum, quod soluit, retineat pro ea parte, quæ ad seruum peruẽnit: item si in transigendo promisit seruo, promissio naturaliter tenet, item promissio potest habere effe-
B ctum iure exceptionis, putà si conuenerit, vt seruum certis modis tractet. Nam si dominus malè tractet, poterit ille proclamare in libertatem, & si dominus opponat exceptionem transactionis, ea exceptio infirmabitur per replicationem doli, quia dominus dolo facit volẽs vti beneficio transactionis, cuius fidem ipse non impleuit. Deniq; potest seruus aliquid retinere ex trãsactione, quamuis non habeat eius rei dominium: & id sufficit ad sustinendam transactionem. Confirmatur nostra sententia ex eo, quòd interdum dominus officio iudicis cogitur quædam seruo præstare, veluti certa alimenta legata, D. de aliment. & cib. leg. l. seruis. 17. Exposui productiones. Exceptio non eget expositione. Est autem exceptio generalis. diximus transactionem valere: excipitur, nisi ob aliquam aliam causam
C sit inutilis, putà nisi facta sit dolo, aut metu, aut cum minore, &c. Semper enim supponimus terminos habiles, vt est vulgata regula. Hæc exceptio ponitur illis verbis, *Si non alio iuri cognito modo eas vacillare contigerit.*

A D



AD TITVLVM QVINTVM DE ERRORE CALCVLI.



Ic titulos est superioris pars, & pertinet ad transactiones. Quemadmodum enim transactio potest rescindi propter dolum, nisi & de dolo transactum sit. supr. tit. prox. l. 4. vel propter falsa instrumenta, nisi & de falso transactum sit. supr. eod. l. pen. ita etiam retractari potest propter errorem calculi, nisi & de ipso errore transactum sit, vt deciditur in seq. l. vn.

Ad L. vn.

HÆc lex continet regulam, tres productiones, & duas exceptiones. Regula est, *errorem calculi veritati non afferre præiudicium.* Videtur hæc regula pendere ex alia magis generali, quòd error non facit veritati præiudicium. D. de offic. præsid. l. 6. §. veritas. Quod enim ibi generaliter tribuitur errori, hîc specialiter dicitur de errore calculi. & cùm lex dicit veritati non fieri præiudicium, eò respicit, vt rationes semel supputatæ, si in ea supputatione error admissus sit, possint retractari. Sic igitur & transactio retractabitur ex eadem erroris causa. Cuius rei ratio afferri potest ex iis, quæ dixi ad l. penult. tit. præced. Sicut enim transigentes, qui decepti fuerunt falsis instrumentis, non videntur in id consensisse, vt alter alterum fraudaret; quia dolo caruerunt, & per ignorantiam vsi sunt instrumentis falsis: ita etiam similiter qui errarunt in calculo, non consenserunt in vllam fraudem. quare si transactio maneret firma, videretur valere præter consensum transigentium. Quòd si alterutrius consensum ponas, iam hic non ampliùs errat, sed dolo facit: ideoque transactio multò magis rescinderetur ex causa doli. Hæc de regula: sequuntur productiones. Prima productio, ponitur illis verbis. *Siue ex vno contractu siue ex pluribus emerserit.* subaudi, error calculi. Sententia horum verborum est, fieri posse, vt supputentur rationes pertinentes ad vnum contractum, vel pertinentes ad plures contractus: & cùm diuersorum contractuum rationes inimus, contingere posse, vt vel in omnibus illis contractibus seu in causis ad omnes eos cõtractus pertinentibus, vel in quibusdam, vel in vna tantùm causa erremus. Sed generaliter placet transactionem rescindi, & rationes retractari. Quod est ita intelligendum, vt eatenus rescindatur & retractetur, quatenus erratum fuit. Nam error in vna causa interueniens, non facit retractari rationes pertinentes ad alias causas, quoniam hæc sunt diuidua. Sic enim & ad l. pen. tit. præced. diximus rescindi transactionem eatenus, quatenus ex falsis instrumentis trãsactum est, ita vt rescissio referatur ad eam solam partẽ, vel ad illud solum capitulum siue causam, in qua fuit falsorum instrumẽtorum habita ratio. Sequitur secunda productio nostræ regulæ, cùm lex ait. *Vnde rationes etiā sæpe computatas, denuò tractari posse, exploratis iuris est.* Siue igitur semel, siue sæpius rationes fuerint subductæ, indistinctè admittitur retractatio ex causa erroris. Non est huic sententię cõtrarium, quod actus repetitio

A solet ipsum confirmare: vt (exempli gratia) mulier iterata intercessione amittit beneficium Velleiani. inf. ad S.C. Velleian. l. si mulier. 22. quoniā id procedit, cũ quis sciens prudens actum repetit, & confirmat. secus est, si interueniat dolus, vel, vt in casu nostro, error. Sequitur tertia productio: vt retractentur transactiones, etiamsi promissio secuta sit. i. etiamsi aliquis promiserit se soluturũ id, cuius debitor & reliquator videbatur ex rationibus per errorem subductis. Hæc productio ponitur in vers. sed & si per errorem. Vnde apparet, computationem retractari, non solum si fuerit inchoata, sed etiam si fuerit perfecta, & (vt vulgò loquuntur) post rationes solidatas. Argumento huius productionis existimo aliam quoque addi posse, nimirũ vt retractentur

B rationes, etiamsi ex causa illius supputationis aliquid solutum sit, vt ducamus argumentum à promissione ad solutionem, quorum mutuo, hîc eadem est ratio. vt enim promissio fuit indebiti, ita est solutio indebiti, sicut igitur promissio reuocatur, ita etiam solutum repetitur. Expositis productionibus subiiciamus exceptiones. Prima exceptio est, nisi cùm dubitaretur de errore calculi, ea dubitatio per transactionem sopita sit: de qua exceptione dixi ad rubr. Altera exceptio est, nisi de errore iudicatum sit: quia cùm res iudicata pro veritate habeatur, & ei standum sit, nisi fuerit appellatum, consequens est, vt allegans errorem

C non audiatur, ex quo semel iudicatum fuit non interuenisse errorem. Ex his notandum est, aliud esse transigere vel iudicare per errorem: aliud, transigere vel iudicare de errore. Hoc enim casu transactio vel sententia valet, illo casu nulla est. Quemadmodum enim transactio per errorem facta non valet, ita etiam non valet sententia, adeò vt appellatione opus non sit. D. quæ senten. sine appell. rescind. l. 1. §. 1. Sed hoc eget aliqua expositione. Aut enim error est expressus in ipsa sententia, aut colligitur tantum ex actis. Prioris casus exemplum esto, si iudex ita pronunciet. *Quia probatum est, Titium Seio debere quinquaginta ex causa mutui, & viginti quinque ex causa legati, quæ summæ coniunctæ*

D *efficiunt centum: ideo Titium Seio in centum condemno.* Hîc est manifestus error in sententia, quia 50. & 25. non efficiunt centum, sed 75. Posterioris casus exemplum esto; si Seius petierit & probauerit sibi deberi 50. ex causa mutui, & 25. ex causa legati; deinde iudex simpliciter pronunciat, *Titium Seio in centum condemno*, non facta vlla mentione supputationis. Priori casu certum est sententiam non valere. Posteriori autem casu communis opinio est, sententiam esse vtilem. Cinus contrà sensit, hoc quoque casu, sententiam esse nullam, hoc argumento, quòd sententia sumit robur ex actis, & ad ea debet referri. infr. de sent. quæ sine certa quantit. l. 3. Communiter autem, vt dixi, distinguunt, vtrùm

E error in sententia sit expressus an non: quis sic solet in causa pronunciationis distingui, vt si ea falsa expressa sit, sententiam reddat inutilem: si verò non sit expressa, quantumuis falsa, non vitiet sententiā. Mihi videtur sententia Cini esse melior. Primùm quia est æquior: quandoquidem ęquum est, errorem iudicis non nocere siue in sententia fuerit expressus, siue ex actis colligatur. Præterea quia iurisconsultus in d. l. 1. §. 1. non ait sen-

tentiam esse nullam, si errorem iudex in sententia expresserit: sed esse nullã, si iudex errauerit. Verba iuriscõsulti hæc sunt: *Siquidẽ ideo, quòd 50. & 25. fieri centũ putauerit, adhuc idem error cõputationis est, nec appellare necesse est.* quamuis autem Cini sententia & ex æquitate & ex scripto iure commodè defendatur, tamen in praxi & iudiciis non auderem à communi opinione recedere. Suprà dictis exceptionibus addo tertiam sumptam à tempore. Nam post certum tempus rationum retractatio peti nequit. Ad hoc Cuiacius in Parat. citat sententiam Pauli his verbis conceptam: *Ratio calculi sæpiùs se patitur supputari, atque ideò potest quocumque tempore retractari, nisi longo tempore euanescat.* His verbis Paulus significat, post decennium rationes retractari non posse. Sed huic sententiæ standũ nõ est: quia Modestinus in l. calculi. 8. D. de administ. rer. ad ciuit. pertin. disertè docet, etiam post decennij aut vicennij

A tempus admitti quæstionem de errore calculi, & retractationẽ rationum. ergo huic quæstioni non longi, sed longissimi temporis exceptio potest obiici. His expositis, quæro, qua via possit aliquis consequi, vt rationes retractentur. siquidem promissio interuenerit, lex nostra in vers. vlt. docet, dari condictionem liberationis, vt contingit etiam in aliis casibus, quibus aliquid indebitũ promissum est. infr. de cõd. indeb. l. 4. & D. eo. l. is qui plus 51. Quare similiter si quid ex ea causa datũ sit, repeti poterit tamquam indebitè solutum. item si accepto latum fuerit, condicetur obligatio. D. de condict. cau. da. l. 4. Præterea dari potest etiam exceptio

B doli, quæ concurrit cum condictione indebiti, infr. de condict. ind. d. l. 4. Præter hæc remedia, puto aliquem posse per restitutionem in integrum generali clausula edicti, & hac constitutione ad eam clausulam accommodata, petere, vt rationes retractentur.

F I N I S.



INDEX

INDEX

RERVM ET VERBORVM

MEMORABILIVM, QVÆ IN HIS COMMENTARIIS CONTINENTVR.

Numerus paginam, minor litera columnam, maior litera locum columnæ indicat.

D

in

Quæ

illis

Tra

F I N I S.

LVGDVNI,

Ex Typis Amedei Pollerij.

M. DC. XVI.